3 1761 04121 9585

P4665J
(67)
I
725

AULI PERSII FLACCI SATIRARUM LIBER.

CUM SCHOLIIS ANTIQUIS

EDIDIT

OTTO IAHN.

171224
18/5/22

LIPSIAE,

TYPIS ET IMPENSIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

1843.

PA
6555
A2
1843
Cop 3

CAROLO LACHMANNO

PRAECEPTORI INCOMPARABILI

AMICO INTEGERRIMO

SACRUM.

Tandem aliquando concessum mihi est, quod diu exoptavi, ut librum hunc ad Te mitterem, amoris mei erga Te atque venerationis testimonium. Nam ex eo inde tempore, quo a Te in seminarium philologicum receptus sum, cum statim intelligerem, nihil exoptatius mihi potuisse contingere ad iudicium acuendum et alendum, nihil fructuosius ad studia regenda atque promovenda, quam severam Tuam atque subtilem disciplinam, nullam occasionem omisi Te rectore vires exercendi, idque semper propositum habui, ut Tibi quantum fieri posset satisfacerem. Ita factum est, ut Tu quem strenuum et indefessum vidisti non solum publicis seminarii exercitationibas benevolentia et favore acciperes, sed domi quoque exceptum familiari colloquio docendo monendo firmares et ad altiora accenderes, ego vero summo erga Te amore afficerer. Etenim cum verae doctrinae copia et iudicii egregia arte exculti acumen atque subtilitas iuvenis animum, qui Te tamquam perfectum artis nostrae exemplum intuebatur, iusta admiratione impleret, tum eam humanitatem, eum animi candorem in Te expertus sum, ut neminem habeam, quem plus Te diligam. Quamquam enim acerrimum Te vanae arrogantiae castigatorem novi eiusque temeritatis, quae cogitandi et quaerendi laborem fugiens verbis splendidis superbit, neminem inveni, qui, si modo ingenuum

strenuumque veri inveniendi studium agnoscendum se praebeat, aequior sit erroribus ignoscendis, neminem, qui promptior sit aliena merita praedicandi, neminem qui clarius ostendat, ubique se veritatis non sui studio duci. Quarum virtutum exemplum haud minus imitandum mihi proposui, quam philologicae disciplinae, neque quicquam elaboravi, quin imago Tua mihi ante oculos versaretur, et ex me quaererem: Quid de te dicet Lachmannus? Itaque iam tum cum Berolino discederem, certum ratumque fuit, quandocunque librum ederem disciplina Tua haud prorsus indignum, eum ad Te mittere. Postea vero haud una re mihi probasti, quam amicum mihi servaveris animum, quod, quamquam augere amorem meum non potuit, firmavit animum gaudio, quo a Te amicitia Tua dignum me habitum vidi. Accipe ergo Persium meum, et, quicquid de eo iudicabis, amoris integerrimi pignus accipe. Neque enim puto, operam meam Tibi prorsus satisfacturam, cum mihi minime satisfaciat, qui absoluto opere, ut fieri solet, clarius iam perspiciam, quid in eo perficiendum fuisset. Ita autem Te iudicaturum spero, ut, quamvis haud pauca fortasse minus recte fecisse videar, negligentiam tamen et ignaviam alienam a me fuisse censeas. Atque in re critica ea est ipsius scriptoris atque codicum ratio, ut de multis locis verendum sit, ne semper in utramque partem probabiliter disputari possit, et quid verum sit, pro certo constitui nequeat. Attamen cum antehac nec multis nec antiquis codd. collatis incerta saepe fluctuaret disputatio, collecto nunc undique apparatu critico, certius poterit de multis rebus iudicari. Quamquam nescio, an Tibi probem, quod tot recentiorum quoque codd. lectiones

apposuerim. Spero tamen, Te sicut rationes a me ea de re expositas, ita viam, quam in edendis scholiis tenui, non plane improbaturum esse. Olim quidem in componendo apparatu critico operam meam continere volui, mox tamen intellexi, in hoc scriptore interpretis gravissimum officium esse, itaque commentarium conscripsi, in quo id spectavi, ut explicatio quam plenissima sit et quam brevissima. Non singulis igitur locis, si quid novi et eximii haberem, prolixa disputatione expromsi, quod adnotandi genus viris, qui doctrina et ingenio excellent, relinquendum duxi, sed quodcunque ad recte intelligendum poetam faceret afferre studui, ita ut ne minoris quidem momenti res breviter perstringere omitterem. Sententiarum igitur nexum explicare, et rerum atque verborum obscuritatem illustrare volui, qua in re id mihi praecipue curae fuit, ut cum prorsus singularis Persii loquendi ratio sit, notarem, quatenus a vulgari usu recederet, et, quoniam saepe prorsus similia afferre non licebat, analogias quasdam indicarem, quas secutus esse videretur. Ita iustae explicationis quaedam fundamenta iacta a me esse non iniuria fortasse censeam. Quod vero brevitatem memoravi, ridebit hoc fortasse qui commentarium satis amplum videt, neque tamen re accuratius considerata brevitatis studium negabit. Hoc ita probare volui, ut primam reciderem superflua, neque tam occasionem de rebus scitu iucundis disserendi arripere quam poetam explicare viderer, quamquam interdum res altius repetenda erat, et omnino distinguendum erat inter vulgaria et minus nota. Si tamen me quoque illud philologis natura ut videtur insitum vitium extra oleas vagandi superaverit, veniam me impetraturum

esse apud Te aliosque haud iniquos confido. Alterum quoddam in testimoniis apponendis secutus sum. Obsecundavi enim laudabili, ut puto, philologorum mori, ut nihil credant, nisi idoneis testibus productis, sed abstinui magis quam fieri solet recentiorum testimoniis cumulandis. Cum enim experientia edoctus essem, saepe tres, quatuorve et plures libros sine fructu evolvi, cum eadem iisdem antiquorum locis laudatis omnes doceant, satius duxi, non quidem operae parcere quaecunque vel in adversariis congesta vel ab aliis laudata inveni perlegendi, sed quae ad rem facerent breviter enarrare, appositis antiquorum scriptorum gravissimis testimoniis, qua re id assequi videbar, ut summam rem quisque statim perspiceret, et multo facilius in eam altius inquirere posset. Spero equidem hoc a peritis non improbatum iri ne hoc quidem tempore, quo longe maiori crimini esse solet, si quis eorum, quae ab iuventa arte typographica usque ad recentissimum librum excogitarunt VV. DD., quidquam nescivisse videatur, quam si scriptores antiquos neglexerit. Verum hoc fortasse apud multos excusatione indigebit, quod nusquam diversas sententias commemoravi, ea enarrare contentus, quae mihi vera viderentur. Nam id omnino huius commentarii consilium est, ut verba Persii explicet, ut ego probabiliter ea explicari posse puto; non quasi ego omnia recte constituisse mihi videar, aut quia alios contemnam, a qua ridicula iactantia quam sim alienus, non est, quod Tibi, Lachmanne, exponam. Verum hac quoque in re brevitati consulendum arbitrabar. Etenim si VV. DD. varias sententias colligere, digerere, refutare, confirmare voluissem, commentarius conscribendus fuisset enormis molis

et mihi lectoribusque taedii plus afferens quam utilitatis. Equidem non nego, si insigni quodam loco egregiorum virorum sententiae accurate recensentur et aestimantur, id multum utilitatis habere posse ad iudicium formandum et recte disputandi viam monstrandam, verum in universum non possum negare, ex mea sententia nimium sibi placere multos VV. DD. in diversis sententiis recensendis et perlustrandis, cum persaepe taediosa hac opera res ipsa non multum promoveatur, disputatio autem obscuretur potius quam illustretur. Id denique nunquam fere assequimur, ut iam priorum libris aliquis carere possit, sed ii denuo semper inspiciendi et consulendi sunt. Quare equidem, quaecunque ad Persium illustrandum scripta sunt, diligenter perlegi, et quicquid inde hauriri potuit, in usum meum converti, denique omnibus accurate examinatis et perponderatis, quod verum mihi videbatur proposui et cur placeret firmavi. Hoc modo usum commentarii faciliorem et commodiorem redditum esse puto, cum statim quid de quaque re et cur ita sentiam appareat nullis ambagibus tectum, et ubicunque erraverim, facile id possit deprehendi et emendari. Neque illud denique apud aequos et peritos invidiam mihi facturum spero, quod ea, quae ab aliis congesta inveni, ut communis iuris adhibuerim, quis quem locum primus adhibuerit parum sollicitus. Nam quae in hisce versatur anxia et putida cura, quam quidam pietatem et religionem putant, nec litteris utilis nec liberali disciplina digna est. Nam pusilli animi est, in talibus vel ipsi gloriam quaerere, vel eximiorum virorum laudem ponere. Quicunque enim in hac re versatus est, scit profecto, maximam eorum partem, quae afferenda sunt, ita esse

comparatam, ut ab unoquoque, qui in eo scriptore curam posuerit, sciri et afferri debeat, et re vera iuris esse communis. His igitur quivis ut suis uti potest et debet. Alia res est, ubi singularis vel doctrinae vel ingenii specimina exhibita sunt, nam haec tacite adhibere, quasi ipse inveneris, turpe foret. Sed si verum fatearis haec quammaxime afferuntur, ut refellantur, quod cum a commentario meo exclusum sit, nemo peritus mirabitur, non ita saepe aliorum inventa a me esse relata. Omnino eam spem sine arrogantiae crimine exprimere possum, id iudicium de hoc commentario Te laturum esse, Tuique similes, non esse eum ex aliorum scriniis compilatum, sed proprio labore conditum. Itaque gaudebo, si in eo quaedam allata invenient VV. DD., quae in suum usum adhibere possint. Perlegi autem, ut iam dixi, editores antiquiores et recentiores, ne quid negligerem, fere omnes, quod taediosum sane officium mihi imposui. Quorum si neminem Casaubono comparandum dico, omnes consentientes habeo, neque tamen silentio praeterire possum Th. Marcilium, quem oppressit inimicitiae, quam cum Casaubono et Scaligero exercuit, invidia. Is vero in commentario, quamquam multa inepta et inutili doctrina congessit, haud pauca tamen docte et utiliter monuit, et mihi saepe usui fuit. Recentiorum praeter Königium et Plumium, cuius diligentia in rebus notioribus maxime perspicitur, Orellius fere solus brevibus sed vere doctis annotationibus totum Persium illustravit, ceteri singulos locos tractarunt, quorum doctrinam multum mihi profuisse, gratus agnosco. Hic autem de duabus rebus breviter mihi monendum video. C. F. enim Heinrichii schedas et praelectiones in Persium

accepi a C. B. Heinrichio, mox, ut spero, edendas. Eas cum mihi mense Septembri anni praeteriti traderet, ubi commentarius meus praeterquam in sextam satiram iam typis mandatus fuit, seposui, nec ullum earum usum feci, nisi quod cod. Romani collatione in prolegomenis usus sum. Sub finem autem anni praeteriti accepi C. F. Hermanni lectiones Persianas ab auctore mihi dono missas, quo tempore praeter textum et commentarium etiam scholia impressa erant, et prolegomenon prima pars perscripta. Itaque nec eas legere volui, sed opus, paene absolutum, ut inceperam, perfeci, et nunc tandem ad eius libri lectionem accedam. Quamquam enim vellem ut suo tempore uti iis potuissem, quae vir doctissimus commentatus est, nunc melius duxi, meorum studiorum proventum prorsus intactum servare. Iam cum multa sine dubio ab eo proposita sint, quae apud me quoque leguntur, non nego gaudere me, quod ita constet, a me quoque ea inventa esse. Restat denique, ut de prolegomenis paucis moneam. In quibus paullo latius evagandum fuit, ut omnia componerentur, quae ad formandum de Persii ingenio et arte, de eius satira cum ceteris satiricis comparata iudicium facerent. De quibusdam accuratius quaerendum duxi, quae nondum ita exposita inveni, ut breviter de gravioribus, quae maxime ad rem pertinerent, referri potuerit. Quamquam vel sic multum abest, ut omnia exhausta vel satis subtiliter et plene tractata esse putem: sufficiet mihi si gravissimas res attendisse nec indiligenter quaestionem movisse Tibi videbor. Iis, quae de Cornuto et Probo disserui, nondum rem peractam esse fateor, verum in re obscura et intricata nulli operae parcendum existimavi, ut

quid veri simillimum sit inveniri possit, itaque nullam ne de minutis quidem rebus quaestionem detrectavi. Qua in re diligentiam meam Tibi probatum iri spero, etiamsi aliquando, id quod fieri posse non nego, me verum non invenisse, certis testimoniis evincatur.

Haec potissimum habui, quae Tibi, Lachmanne, commendarem. Vale igitur, meisque studiis, quod facis, favere pergas.

Gryphiswaldiae d. XXIV Mart. MDCCCXLIII.

Otto Iahn.

PROLEGOMENA.

ПРОЛЕГОМЕНА.

In vita Persii enarranda optimam ducem sequimur vitam a doctissimo grammatico scriptam, quae quamvis nec integra nec incorrupta ad nos pervenit, qua de re infra dicendum erit, tamen ea nobis tradidit, quae non nisi ab eo tradi potuerunt, qui poetae nostri temporibus proximus erat, et quae ad conformandum de scriptore iudicium prae ceteris utilia sunt. Nostrum igitur erit, quae in ea vita dispersa sunt, apte concinnare atque cum iis, quae aliunde scimus, componere, ut inde, quantum fieri potest, veram imaginem Persii conformemus [1].

A. Persius Flaccus natus est pridie non. Dec. Fabio Persico, L. Vitellio Coss. (a. u. c. 787, p. Chr. 34) Volaterris Etruriae oppido, ut praeter vitae scriptorem testantur Eusebius et Cassiodorus in chronicis. Cui testimonio cur fidem denegemus et Lunae potius natum esse Persium putemus cum scriptoribus quibusdam Italis [2], nulla causa est. Nam quod ipse narrat Caesio Basso (VI, 6 sqq.), se Lunae cum maxime morari, et amoenum loci secessum magnifice praedicat, inde non sequitur, eum in illo oppido natum esse; potuit ibi commorari multas ob causas, ut propter coeli hominibus,

1 Cf. Bayle diction. s. v. *Perse*. Fabricius Bibl. lat. II p. 164 sqq. Passow ad Pers. p. 81 sqq.

2 Fabricius affert: Aprosio, della patria di Persio. Genuae, 1664. D. Gasparo Massa, della vita, origine e patria di A. Persio Flacco. Gen. 1667. Gregor. Leti, Italia regnante t. IV p. 375. Aug. Oldoinus, Athenaeum Ligusticum p. 80. Cf. Dempster, Etrur. reg. V, 4 p. 286. Storia letterar. della Liguria (Gen. 1824) I p. 37 sqq. 43 sqq. Müller, Etrusk. I p. 402.

qui non satis firma valetudine utuntur, saluberrimam temperiem [1]. Neque est cur spernamus quod tradit schol. (ad l. l.), Persii matrem post secundum matrimonium illic habitasse. Volaterris fuisse Persios docent inscriptiones ibi repertae, apud Gorium (Inscrr. Etr. II p. 164):

1.	2.
A. PERSIVS	D. M.
A. F. SEVERVS	VERGINIAE
V. ANN	SATVRNINAE
VIII. M. III	A. PERSIVS. SE
D. XIX	VERVS. VXORI
	OPTIMAE

Quarum prior dudum edita (Grut. 700, 4. 920, 10. Riccobaldi del Bava diss. istorico-etrusca p. 162), ridiculo errore de nostro Persio intellecta sententiam procreavit, eum ob satirarum gravitatem Severum vocatum fuisse (C. Barth. Advers. VI, 1); quam merito explosit Casaubonus (p. LIII ed. Dübn.): ex altera futili coniectura Gorius effecit, Verginiam Saturninam, Verginii Flavi rhetoris, a quo Persius institutus est, filiam, nuptam fuisse Persii nostri fratri Severo. Ceterum ex Ugolini Verini Carliade, quod carmen seculo XIV scriptum est (cf. Voss. de hist. latt. III, 8), hunc versum protulit Bandini (cat. bibl. Laur. Latt. II p. 328): *Duxit et invictum Volaterris Persius agmen;* et Hippol. Landinelli (origine de Lunic. 11), quem affert Passovius (p. 87), non solum Volaterris vidisse se Persii domum affirmat, sed nobilem Falconciniorum familiam inde Persii nomen frequentare dicit, assentiente Stellutio. Ad Tuscam Persii originem referendum mihi videtur, quod in plerisque vitae codd. vocatur *Aules*, non *Aulus*, quod in hoc consensu non videtur calami errori tribui posse. Etrusci autem *Auli* nomen sonabat *Aule* (cf. Lanzi saggio

1 Ita apud Statium (Silv. IV, 4, 23) Gallus Lunae secessum quaerit.

t. II p. 291, 74. 330, 213. 216. Müller, Etr. I p. 410): iam sive genuinam formam a librariis obscuratam credimus, sive in ore populi Romanas Etruscasque formas coaluisse putabimus, non negandum videtur, *Aules* et gen. *Aulis*, qui in cod. F etiam apparet, ut in cod. Bern. n. 223 (cf. p. 245 n. 1), Etruscum quiddam sonare. Aperte Etruscum nomen gerit Persii mater Fulvia Sisennia, ut monuit iam Müllerus (Etrusk. I p. 426). Neque nimis argutus esse videor, cum in parvis quibusdam rebus huius Tuscae originis vestigia agnosco, veluti cum Arreti potissimum memor est, ubi municipalium aedilium fastum notat (I, 129 sq.), aut Tuscum stemma (III, 29) vel Marsos Umbrosque clientes (III, 74 sq.) exempli loco affert, qualia per se haud magni momenti non indigna tamen sunt, ad quae attendas. Quamquam enim in universum omnia satis demonstrant, Romae poetam esse educatum [1] ibique eum accepisse quibus ingenium aleret atque firmaret et unde notam scriptis suis imprimeret, tamen eorum, quae puer vidit, memoria non exolevit, et non quaesita scribenti se obtulit. Nobis vero ad pleniorem magisque vividam poetae cognitionem neque talia negligenda sunt. Ita quod ait, se, si heres deficiat, Bovillas accessurum ibique facile aliquem inventurum (VI, 55), intelligitur illud quidem, etiamsi nesciamus, habuisse eum praedia in via Appia, paucis millibus a Bovillis distantia, sed tamen haec notitia confert, ut quasi familiarius cum poeta agamus. Illuc revertor. Persius igitur ex ordine equestri natus, qui tot illustres Romanorum scriptores procreavit [2], sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus, inter quos eminet Paetus Thrasea, et re familiari satis ampla instructus

1 Causae, quas Ritter (spec. annott. in A. Persii Flacci sat. I p. 48 sqq.) protulit, ut inde efficeret, Persium satiras suas non Romae scripsisse, sed in Etruriae quodam oppido, ita mihi videntur comparatae esse, ut nihil inde concludi possit.

2 Cf. Paldamus Röm. Erot. p. 44 sq.

fuit. Ita fieri potuit, ut summa cura ac diligentia educaretur. Quod cum per Flaccum patrem non potuerit perfici, quippe qui filio sexenni morte ereptus est, mater Fulvia Sisennia, quam tanta pietate veneratus est filius, ut exemplo esse posset, egregium Romanarum matronarum exemplum secuta, omnem in hanc rem curam impendit, adiuvante, ut videtur, cui secundo matrimonio coniuncta fuit, Fusio, et ipso equite Romano [1]. Itaque cum usque ad annum aetatis duodecimum Volaterris educatus esset, et quae in tali oppido exstabant subsidia litteraria non sufficerent ad ingenium plene erudiendum, Romam, ut fieri solebat, accessit, ibi facile inventurus magistros, qui iuvenem studiis liberalibus instruerent. Ita Horatium pater ludo municipali detractum Romam adduxit *docendum artes, quas doceat quivis eques atque senator semet prognatos* (sat. I, 6, 71 sqq.), nec aliter Ovidius cum fratre tenera aetate Romam migrarunt, ut ibi excolerentur (trist. IV, 10, 15 sqq.). Ibi grammaticis et rhetoricis potissimum studiis, quibus continebatur maximam partem liberalis educatio, operam dedit, disciplinae traditus illustrissimorum tunc temporis magistrorum, Remmii Palaemonis grammatici et rhetoris Verginii Flavi.

Remmius Palaemon [2], de quo narravit Suetonius (ill. gramm. 23), Vicentinus fuit. Servili loco

1 Videtur hic quoque ex numero equitum municipalium fuisse, cf. Marquardt, hist. eqnitt. Rom. p. 87 sqq. Qui si ex codd. fide *Fusius* nominatur, videtur sane verisimile, extra urbem diutius antiquas nominum formulas servatas fuisse.

2 Cf. Dodwell, ann. Quintil. p. 184 sqq. Saxe onom. I p. 244 sq. Passow p. 100. Inscriptio

PALAEMON. L. L. L. D. F
GRAMMA. VEICET. ATQ. RHET
SIBI. ET. TVBERONIAE. CONTVBERNALI
FEMINAE. OBSEQENTISSIMAE
ATQ. BENEMERENTI
LAPIDEVM. STRVXIT. TVMVLVM
IN. EO. QVIDEM. CADAVER. QVIES. ESTO
ALIO. AVTEM. REVERTITO. ANIMVS

natus, postea manumissus, Romae docuit iam sub Tiberio et Claudio, et usque ad senectutem provectus est, teste Quintiliano, qui suae aetati eum adscribit (I, 4, 20), quocum consentit Iuvenalis (VI, 452. VII, 215). Eo igitur tempore, quo Persius institutione eius utebatur, quam maxime florebat, et quamquam non modo vanae supra modum arrogantiae, sed immodicae luxuriae (cf. Plin. XIV, 4, 5) et turpissimae libidinis fama flagrabat, ita ut tuto pueros ei committi posse negaretur, principem tamen inter grammaticos locum obtinuit et affluente undique discipulorum copia magnam rem familiarem effecit, cuius diligentissimus fuit, nec sufficientem tamen sumtibus. Sed alliciebat homines memoria rerum et facilitate sermonis, neque poetica facultate carebat, ex tempore poemata facere promptus [1]. Ita apud posteros quoque magnam famam adeptus est (Sidon. Apoll. epp. V, 10. Cassiod. orth. p. 2321 P.), et haud raro eius apud grammaticos mentio fit (cf. Charis. II p. 199. 200. 205. 207. 212. Diom. I p. 409. cl. Osann, Beitr. II p. 325 sq. Prisc. I p. 560) [2].

quam ex Manutio (orth. p. 779) Gruterus (653, 1. cf. Fleetwood syll. p. 215, 3), ex Ligorio paucis mutatis Gudius (222, 5) repetiit, quin supposita sit, nemo dubitabit vel ob Ligorii nomen (cf. Schopen de Ter. et Don. p. 35).

1 Quod scribit Martialis (II, 86, 9 sqq.):

Turpe est, difficiles habere nugas
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palaemon,
Me raris iuvat auribus placere.

non certum est ad hunc esse referendum. Quamquam quae praecedunt, allata in commentario p. 109, concinunt cum eius dissolutis moribus et grammaticum decent carmina cum ostentatione artificii componentem; quid quod similitudo huius epigrammatis cum iis, quae Persius notat, huic coniecturae favere videtur.

2 Quae hodie supersunt scripta Remmii Palaemonis plus quam dubium eius nomen gerunt. De carminibus, quae Prisciano iam tribuuntur, v. Wernsdorf (Poett. Latt. min. V, 1 p. 212 sqq.), Endlicher (praef. ad Prisciani carm. p. XVI sqq.). Quae in Obss. misc. nov. IX p. 977 editae sunt Differentiae sermonum Remi Palaemonis ex libro Suetonii Tranquillini, qui inscribitur pratum, eas neutro dignas esse facile apparet. De arte grammatica, quae eius nomen prae se fert (p. 1365

Verginius Flavus [1] (cuius vitam Suetonius in libro de ill. rhett. decimo loco, ut vetus index testatur, narravit) cum Musonio Rufo ob claritudinem nominis a Nerone in exilium pulsus est, cum studia iuvenum eloquentia foveret (Tac. Ann. XV, 71). Scripsit artem rhetoricam teste Quintiliano (III, 1, 21), qui summam eius apud se auctoritatem esse dicit (VII, 4, 40) neque raro ad eum respicit (III, 6, 45. IV, 1, 23. VII, 4, 24. XI, 3, 126).

His igitur clarissimis tunc temporis praeceptoribus per aliquot annos Persius usus et ea, quae tunc vulgaris erat, ratione ab iis instructus est. Quae institutio quamquam non dubitari potest quin ad ingenium eius excolendum multum contulerit, multo plus tamen auctoritatis in eum exercuit Cornutus, quem primum quidem petiisse videtur, ut philosophicis studiis imbueretur (ut Plinius quoque praeter rhetorem etiam philosophum magistrum habuit, epp. VI, 6), mox tam arctissimis amoris et amicitiae vinculis cum eo coniunctus est, ut nunquam ab eo decederet. De huius viri moribus atque studiis hic paullo accuratius disquirendum est, cum quicquid de eo statuendum sit ad iudicium de Persio ferendum haud parvi momenti sit [2].

Pauca sunt, quae de L. Annaeo Cornuto [3] nobis tradita sunt. Cum ea deperdita esse videantur, quae de Cornuto olim narravit Diogenes Laertius, si fides Salmasio [4], contenti esse cogimur pauculis illis, quae Suidas

sqq. P.) accuratius se quaesiturum esse nuper promisit Osannus (Beitr. II p. 227 sq.).

1 Cf. Passow p. 98 sqq. Westermann, Gesch. d. Röm. Bereds. § 79, 29.

2 Exstat Ger. Io. de Martini disputatio litteraria de L. Annaeo Cornuto philosopho stoico (Lugd. Bat. 1825), docta atque diligens. Ego nunc iis tantum utor, quae inde excerpsi, cum Heidelbergae a. 1837 paucos dies commoranti humanissime eius usum concederet mihi Creuzerus.

3 Praenomen *Lucii* fuisse Cornuto statuerunt ex fide Charisii I p. 102 P., ubi L. Annaeus Cornutus laudatur; alio loco (II p. 181) cod. legit: *uttannaeus Cornutus* (loco ceteroquin corrupto), ubi facile *t* pro *l* poni potuit.

4 Salmasius (Exercc. Plin. p. 888 sq.) postquam attulit Stephani

habet s. v. *Κορνοῦτος*, et quae ex eo exscripsit Eudocia (p. 273). Qui cum nostrum confunderet cum alio quodam Cornuto, historiarum scriptore, recte agnovit Reimarus (ad Dion. Cass. II p. 1025), postrema tantum verba ad nostrum referenda esse. Haec ita nunc emendata leguntur: *Οὗτος ὁ Κορνοῦτος Λεπτίτης φιλόσοφος· Λεπτὶς δὲ πόλις Λιβύης· γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸς αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ. ἔγραψε πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά.* Fuit ergo Leptitanus et ex Bouhierii (in Scheelhornii amoen. litt. t. X p. 1137) coniectura libertus Annaeorum, quorum familia tunc studiis liberalibus florebat; et revera Annaeus Lucanus discipulus fuit Cornuti. Plerique vero, qui hasce artes docebant, libertino genere orti erant. Quando natus sit, et quo anno mortuus, non est traditum. Causa tamen, cur Neronis iram in se commoverit, accuratius ita narratur a Dione Cassio (LXII, 29): *Παρεσκευάζετο δὲ (ὁ Νέρων) ὡς καὶ τὰς τῶν Ῥωμαίων πράξεις ἁπάσας συγγράψων ἐν ἔπεσι· καὶ περί γε τοῦ πλήθους τῶν βιβλίων, πρὶν καὶ ὁτιοῦν αὐτῶν συνθεῖναι, ἐσκέψατο, παραλαβὼν ἄλλους τε καὶ Ἄνναῖον Κορνοῦτον εὐδοκιμοῦντα τότε γε ἐπὶ παιδείᾳ. καὶ αὐτὸν ὀλίγου μὲν καὶ ἀπέκτεινεν, ἐς νῆσον δ' οὖν ἐνέβαλεν, ὅτι τινῶν τετρακόσια ἀξιούντων αὐτὸν βιβλία γράψαι, πολλά τε αὐτὰ εἶναι ἔφη, καὶ μηδένα αὐτὰ ἀναγνώσεσθαι. Καί τινος εἰπόντος·*

Byz. verba: *Ἔστι καὶ πόλις Ἐνετός, ἀφ' ἧς ἦν ὁ Μύρμηξ ὁ διαλεκτικὸς φιλόσοφος, ὡς Διογένης ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας*, haec addit: *Myrmecis illius nulla quod sciam mentio invenitur in iis libris Diogenis qui hodie exstant. Sed magnus defectus in illa Historia Philosophica Laertii iniuria temporum accidit, ut ex Indice vetustissimi codicis observatum mihi olim, qui longe plures Philosophorum vitas habemus* (sic). *In eo Laterculo memini legere, et Κορνοῦτον et Πολέμωνα et Ἄρειον et alios quam plurimos, ut alibi dicam, in his et Μύρμηξ Philosophus Διαλεκτικός, qui fuit ex oppido Eneto Paphlagoniae oriundus.* Num alio loco de hoc indice accuratius tradiderit Salmasius, non potui investigare; ceterum quin noster hic intelligendus sit Cornutus vix dubium videtur.

Καὶ μὴν Χρύσιππος, ὃν ἐπαινεῖς καὶ ζηλοῖς, πολὺ πλείω συνέθηκεν, ἀπεκρίνατο ὅτι· Ἀλλ' ἐκεῖνα χρήσιμα τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ ἐστίν. Ὁ μὲν οὖν Κορνοῦτος φυγὴν ἐπὶ τούτῳ ὤφλεν [1]. Hoc a. p. Chr. 68 factum esse dicit Hieronymus in chron.: *Nero cum ceteris viris insignibus et Octaviam uxorem suam interfecit, Cornutumque philosophum, praeceptorem Persii, in exilium fugat.* Apparet inde, quomodo illud *ἀναιρεθείς* apud Suidam intelligendum sit, qui s. v. *Μουσώνιος* similiter ait: *διὰ γοῦν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ ἐλεγκτικὸν καὶ τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐλευθερίας ὑπὸ Νέρωνος ἀναιρεῖται*, quem in exilium missum esse constat (Tac. Ann. XV, 71) [2]. Quae Dio narrat, liberum et non sine quadam petulantia ferocem animum stoici probant, nam stoicus fuit, quod, quamquam per librarios vitae antiquae aliquantum obscuratum est, tamen e Dione atque luculentissime e Persii satira V apparet. Fuit autem multiplici doctrina instructus, eiusque varia specimina haud paucis in scriptis reliquit. Ad philosophiam pertinebant, quae de Aristotelis categoriis disputavit, quorum mentio fit in Simplicii et Porphyrii commentariis (cf. p. 48b, 13. [cl. Simplic. f. 5a ed. Bas.] 57a, 16. 80a, 22 ed. Brandis.). Cum alio loco a Simplicio (p. 47b, 22) afferatur *Κορνοῦτος ἐν οἷς πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην ἐπέγραψεν*, et a Porphyrio (expos. Arist. categ. p. 21 ed. Par. 4.) [3] *Κορνοῦτος ἐν τῇ πρὸς*

1 Haec ita leguntur in Excerptt. Mai. p. 213: *Ὅτι ἐπαγγελλομένου Νέρωνος ὡς τετρακόσια γράφειν βιβλία, πολλὰ αὐτὰ εἶναι ἔφη Ἀννίας Κορνοῦτος καὶ μηδένα αὐτὰ δύνασθαι ἀναγινώσκειν· εἰπόντος δὲ Νέρωνος· Καὶ Χρύσιππος, ὃν ἐπαινεῖς καὶ ζηλοῖς, πολλῷ πλείονα ἔγραψεν, ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος· Ἀλλ' ἐκεῖνα χρησιμωτάτων ἀνθρώπων βίος ἐστί. Καὶ διὰ τοῦτο ἐφυγαδεύθη.*

2 Galei coniecturam, apud Tacit. Ann. XIV, 39 *Cornutum* esse legendum pro *Coeranum*, memorat et ni fallor probat Martini: quam ubi protulerit Galeus nescio; ubi de Cornuto agit (praef. ad opp. myth. phys. et eth. sect. IV ed. Amst.) non legitur.

3 Equidem Porphyrii editione Parisiensi non potui uti, nec Simplicii Basileensi nisi per amicum quendam, sed Brandisii scholiorum excerpta tantum ad manum erant, in quibus nec hoc, nec alia inveni, quae mox ex fide Martinii allaturus sum.

Ἀθηνόδωρον αὐτῇ γραφῇ, ubi nullum dubium, quin recte emendaverit Bake (apud Martin. p. 94) *ἀντιγραφῇ*, videtur hic liber ad eum Athenodori librum pertinuisse, qui scriptus fuit *πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους κατηγορίας*, in antiquis illis commentariis saepius commemoratus [1], quamquam plenior titulus fuit *πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην*. In hoc libro, quamquam saepe ei cum Athenodoro Aristotelem vituperante convenit, videtur quaedam tamen contra eum quoque disputasse. Quis vero Athenodorus intelligendus sit, Rhodius (cf. Quint. II, 17, 15), an Tarsensium alteruter, Cordylion aut Cananita, non ausim decernere [2]. Ad philosophica studia referendum est etiam opus, quod indicavit Theodoretus (graec. aff. cur. II p. 36, 5 ed. Sylb.): *Κορνοῦτος δὲ ὁ φιλόσοφος τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν ξυντέθεικε*, quibus ex verbis apparet, fuisse illud opus pervulgatum neque exiguae famae. Iam vero notum est, exstare librum *περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως*, editum inter Galei opuscula mythologica, physica et ethica p. 139 sqq., qui cum in libris vulgaribus Phurnuto cuidam adscribatur, in melioribus Cornuti nomen prae se fert, idque ea praesertim re confirmatur, quod Etym. M. s. v. *Ζεύς* auctorem affert *Κορνοῦτον ἐν τῷ περὶ Ἑλληνικῆς θεολογίας* eorum, quae in hoc libro leguntur: nam quod a Porphyrio in libro de antro Nympharum Cornuti verba commemorari scribit Galeus, errorem refellit Goensius (p. 85). Galeus dubitavit, num nostro Cornuto hoc opusculum tribuendum sit, Martinius operosa disputatione evincere studuit, et hoc certe demonstravit, esse hunc librum secundum stoicam philosophiam compositum, quare H. Ritterus (Gesch. d. Philos. IV p. 202)

1 De eo ita loquitur Simplicius fol. 15 b: *Ἀθηνόδωρος ἐν τῷ πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους μὲν κατηγορίας ἐπιγεγραμμένῳ βιβλίῳ, μόνην δὲ τὴν εἰς τοσοῦτον πλῆθος διαίρεσιν ἐξετάζοντι. Καὶ Κορνοῦτος δὲ ἐν οἷς πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην ἐπέγραψε, καὶ οἱ περὶ τὸν Λούκιον δὲ καὶ τὸν Νικόστρατον, ὥσπερ πρὸς τὰ ἄλλα πάντα σχεδόν, οὕτω καὶ πρὸς τὴν διαίρεσιν ἀντειρήκασιν.*

2 Cf. de Athenodoris doctam Weicherti disquisitionem (Imper. Caes. Aug. scriptt. rell. p. 42 sqq.).

nostrum Cornutum auctorem agnovit. Quod tamen assensum cohibet, exilis quaedam sterilitas est, qua hic liber compositus est, quae non videtur cadere in virum eximie doctum, qualem iure nobis repraesentamus Cornutum. Difficile est in hac opusculi conditione, quod misere laceratum atque corruptum exstat [1], aliquid pronuntiare; verum cum illud Cornuti opus, quod eodem titulo afferunt Theodoretus et Etym. M., ut diximus, vulgari usui traditum esse videatur, et a multis usurpatum, quae res inde quoque confirmatur, quod permulta ex eo libro grammatici, inprimis Hesiodi scholiastae, in usum suum converterunt [2], videndum an hoc quoque opus, ut tot alia, epitomatorum et sciolorum magistrorum opera ad hanc ieiunitatem redactum et luxatis membris maleque curatis turpiter deformatum sit. Eo ducunt etiam diversi huius libri in codd. tituli, quorum unus sententiae meae egregie patrocinari videtur. Nam quod in cod. Vat. legitur: *Κουρνούτου ἐπιδρομὴ τῶν κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν θεωρίαν παραδιδομένων*, id vix dubito, quin emendandum sit: *Κορνούτου ἐπιτομὴ τῶν κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν παραδιδομένων*. Quod si accipias, vides, verum titulum esse servatum et simul opusculi indolem indicatam. Quare donec accuratior investigatio aliud ve-

1 Cf. Mützell de emend. theog. Hesiod. p. 307 sq. Villoisoni apparatum criticum (Anecd. gr. II p. 423), qui in bibliotheca Regia Paris. asservatur (Schöll, Gesch. d. Griech. Litt. II p. 657), Osannus, ni fallor, in usum suum vertit, qui quantis copiis instructus sit exemplo docuit (auctar. lex. gr. p. 82 sq.).

2 Animadvertit hoc iam Galeus; *Κορνούτου ἐξήγησις εἰς τὴν τοῦ Ἡσιόδου θεογονίαν*, et *εἰς ἆθλα τοῦ Ἡρακλέους* in bibliotheca Laurentiana dicitur exstari a Montefalconio (Bibl. Ms. I p. 338). Hic commentarius utrum revere a Cornuto profectus sit, quem a grammatica commentandi opera non fuisse alienum scimus, an ex opusculo, quod Cornuti nomen habet, concinnatum, non possum diiudicare; Osannum nec haec neglexisse speramus. Ea ratio vero, qua apud Eudociam Cornuti libellus discerptus est (cf. Mützell. l. l.), auget suspiciones, quae contra violarium Eudociae prolatae sunt. Quam rem Turici tandem aliquando confectum iri, est quod speremus.

rum esse docebit, putabimus, in illo libro servatam esse quasi umbram quandam, quamquam nec ipsam integram operis a Cornuto, Persii praeceptore, confecti. Haec sunt philosophica scripta Cornuti, de quibus quidem traditum sit; nam scripsisse eum alia quoque, verisimile fit consideranti Suidae verba *ἔγραψε πολλὰ φιλόσοφα*, et vitae Persii, quae tradit, eum philosophiae libros reliquisse. Haud exigua eum apud posteros floruisse fama, docent etiam quae de Origene refert Porphyrius apud Eusebium (hist. evang. VI, 19, 3): *Συνῆν γὰρ ἀεὶ τῷ Πλάτωνι τοῖς τε Νουμηνίου καὶ Κρονίου, Ἀπολλοφάνους τε καὶ Λογγίνου καὶ Μοδεράτου Νικομάχου τε καὶ τῶν ἐν τοῖς Πυθαγορείοις ἐλλογίμων ἀνδρῶν ὡμίλει συγγράμμασι. Ἐχρῆτο δὲ καὶ Χαιρήμονος τοῦ στωικοῦ Κορνούτου τε τοῖς βίβλοις, παρ' ὧν τὸν μεταληπτικὸν τῶν παρ' Ἕλλησι μυστηρίων γνοὺς τρόπον ταῖς Ἰουδαικαῖς προσῆψε γραφαῖς.* Quocum consentit Hieronymus ep. ad Magnum (ep. LXXXIV. t. II p. 219 ed. Frcf.): *Hunc imitatus Origenes decem scripsit stromateas, Christianorum et philosophorum inter se sententias comparans et omnia nostrae religionis dogmata de Platone, Aristotele, Numenio Cornutoque confirmans.* Quamquam haec ad theologiam illam potissimum referri possunt. Praeterea scripsit Suida teste *ῥητορικά*, et Graece quidem, *τεχνὰς ῥητορικάς*, quas afferre Porphyr. expos. Arist. categ. p. 21, testis est Martinio [1].

1 Idem Martinius Cornuti artem rhetoricam hisce Simplicii locis respici putat, f. 5. 33. 41. 82. 91 ed. Basil. Verum qui a me rogatus iuvenis amicus in bibliotheca Berolinensi Simplicium inspexit, Theod. Becker, p. 82 et 91 nihil omnino legi affirmavit, quod ad Cornutum spectaret, f. 41 a. laudari *τοὺς παλαιοὺς τῶν κατηγοριῶν ἐξηγητὰς Βοηθόν καὶ Ἀρίστωνα, καὶ Εὔδωρον, καὶ Ἀθηνόδωρον*, non memorato Cornuto. Quae restant (cf. Brandis schol. p. 48 b. 13. 47 b. 22) non videntur confirmare hanc suspicionem, immo omnia e libro illo *πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην* desumta esse videntur. In quo Athenodori magis etiam quam Aristotelis rationem habitam fuisse, possit aliquis e titulo iam concludere. Fortasse nec plenam de Aristotelis

Ad eam pertinent, quae in scholiis ad Hermogen. art. rhet. (t. VII p. 931 Walz.) legimus: *Δοκεῖ δὲ ὁ Κορνοῦτος σαφέστερον περὶ αὐτῶν εἰπεῖν — φησὶν οὖν ὁ Κορνοῦτος· Κῶλόν ἐστι μόριον λόγου συγκείμενον ἐξ ὀνομάτων δύο ἢ καὶ πλειόνων, τελειοῦν ἐπὶ μέρος διάνοιαν, εἶτα παρακατιὼν σαφέστερον τὸν λόγον ἐποίησεν ἐπιμνησθεὶς αὐτοῦ· κῶλον γάρ ἐστι διανοίας μέρος ἀπάρτιζον πρὸς ἕτερον κῶλον παρακείμενον· τὸ γὰρ Εἰ τὸν χορευτὴν οὐδὲ ὁ προσκαλέσας ἀζήμιος ἔσται* (Dem. Mid. 57 p. 532) *κῶλον μέν ἐστι σαφῶς, οὐκ ἂν δὲ εἰλικρινῶς, οὐδὲ τὴν ἐπὶ μέρος παρέστησεν ἡμῖν διάνοιαν μὴ προσλαβοῦσι· Τὸν δὲ χορηγὸν αὐτὸν οὐδὲ ὁ συγκόψας οὐ δώσει δίκην; Διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ τοῦ κόμματος ὁ Κορνοῦτος σαφῶς οὕτωσί πως λέγων· Κόμμα ἐστὶ λόγος διανοίαν δηλῶν δύο ἢ τρίσι λέξεσιν· οἷον ἐστι τὸ· Μηδὲν ἄγαν, καὶ τὸ· Γνῶθι σαυτόν.* Latine autem scripsit libros de figuris sententiarum (cf. Sauppe, ep. crit. p. 155), quorum secundum affert Gell. IX, 10: *Sed Annaeus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus neque imprudens, in secundo tamen librorum, quos de figuris sententiarum composuit, egregiam totius istius verecundiae laudem insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit* (Loquitur de Virg. Aen. VIII, 404 sqq.). *Nam cum genus hoc figurae probasset, et satis circumspecte factos esse dixisset,* „*MEMBRA tamen,*“ *inquit,* „*paulo incautius nominavit.*“ Eundem librum respexit Iul. Rufin. I p. 267 R., ubi ait: *Sed eiusmodi figurae, quae iuvenilius in schola lasciviunt, ut Cornutus ait, minime maturae*

categoriis quaestionem instituit, sed quaedam tantum tractavit, et fieri potuit, ut haec rhetoricam maxime tangerent. Inde fortasse omissum eius nomen, ubi interpretes recensentur (cf. Brandis Rhein. Mus. I p. 239). Libri ab Ad. Stahrio de Romanorum in Aristotelem studiis scripti usum mihi non fuisse concessum, est quod doleam.

sunt, et parum ganeis (*canis* Pith. prob. Ruhnk., num *causis?*) *foroque conveniunt. Nam in his, quae prodesse aut obesse causae videntur, cur, quod nolis intelligi, dicas? aut cur, quod facias intelligi, involvas?* Praeter haec grammatica quoque studia scriptis probavit, et commentaria quidem, quae in Virgilium scripsit, magnam habuisse famam videntur [1]. Nam nostri Cornuti esse haec commentaria, qua de re dubitatum est, ex iis, quae statim afferam, patebit. Charisius igitur haec habet (I p. 100 P.): *Civitatium. Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergilio lib. decimo: „Iamque exemplo tuo etiam principes civitatium, o poeta, incipient similia fingere.“* Idemque infra (I p. 102): *Itaque et L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis Aeneidos X Didus ait: „Hospitio Didus exceptum esse Aenean.“* Non est dubitandum, Italicum illum, cui inscripsit opus suum Cornutus, fuisse Silium Italicum poetam, quem etiam Plinius (epp. III, 7, 4) inter principes civitatis numerat, et qui quanta veneratione Virgilium prosecutus sit, satis constat (Plin. l. l. 8. Mart. XI, 48 et 49). Huius vero aetas, quo consule Nero obiit (Plin. l. l. 9) prorsus convenit cum Cornuti nostri aetate. Quanta eius fuerit auctoritas, e Charisii locis apparet, qui non grammaticam quandam observationem ex eius commentario repetit, sed ipsius verbis pro testimonio utitur. Quodsi, ut videtur, decimo commentariorum libro de Didus amore egit, nisi amplissimum eorum ambitum statuere velis, sumendum potius erit, eum non versuum ordinem commentando secutum esse, sed singulas quaestiones tractasse; quamquam difficile est de hac re iudicare: Q. Terentii Scauri commentariorum in Horatii artem poeticam liber X laudatur (Charis. p. 182. 188. cf. Suringar

1 Cf. Burmanni praef. p. 44 sq. Heyn. t. IV p. 743 ed. Wagn. Mai, ad intpp. Ver. p. XI sq. Suringar hist. crit. scholl. Latt. t. II p. 116 sqq.

hist. crit. scholl. Latt. III p. 91 sq.). Et in iis, quae de Cornuti commentariis modo allaturus sum, sunt sane, quae de exemplo ab eo correcto et annotato (de quibus grammaticorum officiis infra dicetur) potius cogitandum suadeant. Huc pertinet Gellii locus (II, 6), apud quem haec leguntur: *Nonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt, reprehendunt quasi incuriose et abiecte verbum positum in his versibus* [Ecl. VI, 75 sqq.]:

Candida succinctum latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto,
Ah, timidos nautas canibus lacerasse marinis.

Vexasse enim putant verbum esse leve, et tenuis ac parvi incommodi, nec tantae atrocitati congruere, cum homines repente a bellua immanissima rapti laniatique sint. Item aliud huiuscemodi reprehendunt [Georg. III, 4 sq.]:

Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Illaudati parum idoneum esse verbum dicunt, neque id satis esse ad faciendam scelerati hominis detestationem, qui quod hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione exsecrationeque totius generis humani dignus esset. Item aliud verbum culpaverunt [Aen. X, 314]:

Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.

Tamquam si non convenerit dicere auro squalentem, quoniam nitoribus splendoribusque auri squaloris illuvies sit contraria. Quae Gellius deinceps refellere studet. Hic quoque aetatis significatio in nostrum quadrat, et mentio honorifica concinit cum ea ratione, qua loco supra iam allato aliud Cornuti opus memoravit. Similiter etiam Macrobius (Sat. V, 19): *In libro quarto in describendo Elisae morte ait, quod ei crinis abscissus esset, his verbis* [Aen. IV, 689]:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco,
deinde Iris a Iunone missa abscidit ei crinem et ad Orcum fert. Hanc Vergilius non de nihilo fabulam fingit, sicut vir alias doctissimus Cornutus existimat, qui annotationem eiusmodi apposuit his versibus: „Unde haec historia, ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur; sed assuevit poetico more aliqua fingere, ut de aureo ramo.“ Haec Cornutus. Sed me pudet, quod tantus vir Graecarum etiam doctissimus litterarum ignoravit Euripidis nobilissimam fabulam Alcestim. Hic quoque vides summam etiam in vituperando erga doctissimum grammaticum reverentiam. Eius commentarii reliquiae quaedam servatae sunt apud Servium et in scholiis Veronensibus, quae suo ordine adscribenda duxi, quo accuratius de Cornuto iudicari posset. Sunt vero fere haec:

Schol. Ver. ad Ecl. III, 40. *In medio.* Cornutus sic aestimat: *Dic[it in medio sicut ill]ud: „In medio mihi Caesar erit“ pro eminebit.*

Schol. Ver. ad Ecl. VI, 9. *Non iniussa cano.* Cornutus putat hoc ad Musas pertinere.

Serv. ad Georg. I, 277. *Pallidus Orcus.* Probus *Orchus* legit, Cornutus vetat aspirationem addendam.

Serv. ad Aen. I, 45. *Infixit.* Cornutus ait: *Inflixit* verius, ut sit fortius.

Serv. ad Aen. I, 150. *Volant.* Multi non *volant* sed *volunt* invenisse se dicunt. Sed Cornutus: *Verendum,* ait, *ne praeposterum sit faces velle et sic saxa, et ex ordine dictum sit: „Arma velit poscatque simul rapiatque iuventus.“*

Serv. ad Aen. I, 488. *Se quoque.* — Cornutus tamen dicit versu isto [II, 396]: „*Vadimus immixti Danais*“ hoc esse solvendum *principibus perm. agn. Ach.*

Schol. Ver. ad Aen. III, 691. *Comes infelicis Ulixi.* Cornutus: Num indecore hoc dicitur, cum sit Ulixis hostis Aeneae?

Schol. Ver. ad Aen. IV, 178. *Illam terra parens ira inritata.* Cornutus: . . . (quid) . . . e posset.

Schol. Ver. ad Aen. V, 488. *Volucrem traiecto in fune columbam.* Longus. Adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit.

Serv. ad Aen. IX, 348. *Et multa morte.* Cornutus *nocte* legit et annotavit: *Utrum nocte pro morte? an cum multa nox esset?*

Serv. ad Aen. IX, 675. *Ducis imperio commissa.* Cornutus vero melius [sententiam Donati modo retulerat] sensit, dicens: *Portam, quae ducis imperio commissa fuerat, hoc est clausa, eam aperuerat.*

Serv. ad Aen. X, 547. *Dixerat ille aliquid magnum. Μὴ μέγ' εἴπῃς.* Cornutus [1] ut sordidum improbat.

Schol. Ver. ad Aen. XII, 470 . . . t in Corn. et . . . uit. Ego reli . . .

Ad interpretationem Virgilii spectant etiam duae glossae apud Placidum (Mai. auctt. class. t. III), quae Cornutum auctorem produnt. Quarum altera (p. 476): *Ingluviem, Cornutus ventrem, Plinius edacitatem,* ad Virg. Georg. III, 431 referenda videtur, ubi v. *ingluviem* Servius *ventris capacitatem*, Philargyrius *gulam* explicat. Altera (p. 485) valde corrupta est: *Magmentem alii pinguissimum excernere (extorum* em. Müller. ad Fest. p. 126), *alii secunda prosecta. Cornutus quicquid mactus id est quicquid distatur.* Legebatur ea iam et paullo quidem emendatior apud Io. a Ianua et Papiam, unde allata est a Laur. Pignorio (symb. epistolic. XXX

1 Ita verissime pro vulg. *Corinthus* em. Ruhnk. apud Koen. praef. ad Greg. Cor. p. VIII, qui monuit, scribendum videri *μηδὲν μέγ' εἴπῃς*, desumtum e Soph. Ai. 386.

p. 113). Io. a Ianua: *Magmentum est quoddam pinguissimum extum, vel secundum prosectum. Cornutus, quicquid mactatur vel quicquid distrahitur dicitur magmentum. Ita narrat Hug.* Papias: *Magmentum alii pinguissimum intestinum, alii secunda prosecta. Cornutus vero quicquid mactatur vel distrahitur.* Haec quoque in commentario Virgiliano tradita esse verisimile fit, si haec contuleris, quae apud Servium leguntur (ad Aen. IV, 57): *Mactant, verbum sacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum, unde et magmentum dicebant, quasi maius augmentum* [1].

Inde videmus, Cornuti curam ad omnia Virgilii carmina pertinuisse, quod etiam e Gellii loco potuit concludi. Videtur autem, quantum ex hisce reliquiis perspici potest, omnibus grammatici officiis diligenter et accurate functus esse, ut de vera lectione disceptaret, singula verba non sine poetae vituperatione notaret, in historias inquireret,

1 Paull. s. v. *magmentum, magis augmentatum,* ubi Müller reposuit *magmentatum,* Scaliger rectius *maius augmentum,* e Servio sine dubio, quamquam non laudato. Varro (L. L. V, 112): *Magmentum a magis, quod ad religionem magis pertinet; itaque propter hoc magmentaria fana instituta locis certis, quo id imponeretur,* cf. gloss. H. Steph. p. 135: *Magmentarium, ἐφ' οὗ τὰ σπλάγχνα τιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται.* In inscriptione Narbonensi celeberrima (Grut. 229, 1. Orell. 2489) legitur: SIVE QVIS HOSTIA SACRVM FAXIT QVI MAGMENTVM NEC PROTOLLAT IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO, eademque verba inveniebantur in titulo nunc mutilato (Morcelli de stil. inscrr. I p. 62 ed. Pat. Or. n. 2490), quem integrum descriptum in codd. Vatt. 5248 p. 29 et 5249 p. 8 b et 32 invenit Kellermannus. In alia inscriptione (Fabr. p. 635 n. 301) dicitur Ofentius *Matri Deum taurobolium et criobolium magmentum fecisse. Magmentum* igitur in sacrificiis in cumulum superadditum fuisse videtur, indeque explicatur *prosecta secunda,* nam *prosectum* de extis dicebatur, ut *insicia* quasi insecta caro (Varro L. L. V, 110). Quare alii *pinguissimum extum* explicarunt, et Arnobius magmenta inter ea vocabula numerat, quibus vulgaria augustius ob sacrum usum nuncupentur (VII p. 272 Elm.). Cornutus, eiusdem originis esse *magmentum* ac voc. *mactus* intelligens, hoc latiore sensu cepit, quamquam in eius explicatione quid sibi velit voc. *distrahitur* non magis intelligo, quam *distatur.* Legendum aut *dis datur,* aut *dis traditur.*

ἀπορίας denique solveret, quas in Virgilii carminibus grammaticorum λυτικοὺς illos aemulantium putida saepe subtilitas invenisse gloriabatur [1]. Quodsi in hisce nimis subtiliter et minus recte disputasse videri potest Cornutus, non nimium tamen de eius meritis atque fama detrahemus ipsi grammatici [2]. Opus quoddam Cornuti grammaticum in corruptis Charisii verbis (II p. 181 P.) latere videtur: *In mundo pro palam et in expedito, ac cito. Plautus in *:* „*Quia sciebam,*“ *inquit,* „*pistrinum in mundo fore.*“ *Caecilius quoque ut tannaeus Cornutus libro tab' castarum patris sui:* „*Profecto qui nobis in mundo futurum lectum.*“ *Item:* „*Idem namque malum in mundo is ire.*“ Quae verba ita emendanda censuit Lindemannus [3]: *ut Annaeus Cornutus libro fabularum castarum patris sui,* quae quamvis facilis correctio sit, non multum tamen proficimus, neque eam explicavit auctor. Quamquam enim notitiam de Cornuti patre litterato lucramur, tamen quae sint castae fabulae haud facile quisquam dixerit, neque

1 Cf. Iuv. VII, 229 sqq. Lehrs, de Aristarchi stud. Hom. p. 219 sqq.

2 Quod in Terentium quoque commentarium scripsisse perhibetur Cornutus, id nulla satis certa fide nititur. Cf. Schopen. de Terent. et Donato p. 39. Suringar. hist. crit. I p. 164 sq. De commentariis in Persium et Iuvenalem, qui eius nomen ferunt, infra accuratius disputabitur. Hic denique commemorabo, cuius me commonefecit Beierus (ad Cic. de off. II p. 170). Ioannes Scoppa enim (coll. c. 2 apud Grut. thes. cr. I p. 895) haec scribit: „Cornutus philosophus de urbis Romae antiquitate ad Palaemonem grammaticum haec scribens inquit. *Iani templum biforis in clivo Capitolino vetustissimum, crustatis marmoreis vel e Pariis columnis vidimus, quia in medio eius clivi summitas Ianus summus, et imus in extremo clivo nominatur. Locus sub templo medius etiam Ianus dicitur, ubi puteal et foeneratores incolerent.* Hucusque Cornutus.“ Ad eadem respiciunt Nannius misc. IV, 13 et Brodaeus misc. II, 19. Haec unde sumta sint, et num de tali libro ab aliis traditum sit, ignoro.

3 Qui Lindemanni epistolam ad M. Hauptium legerunt, mirabuntur fortasse, quid sit, cur ego Charisii illud fragmentum describendo de Lindemanno nostrisque studiis merendi occasionem omiserim. Verum Ianellius nescio quo errore ductus non de hac re, sed de toto Charisii opere denuo cum codice conferendo mecum sermonem fecit, quod ego tunc temporis Neapolim relicturus suscipere non potui.

quid de hac mirá operis inscriptione censendum sit, patet. Si corruptum titulum mittimus, indicare videntur verba, Caecilii testimonium allatum esse a Cornuto, idque factum esse in opere grammatico consentaneum est [1]. Cassiodorus in iis, quae de orthographia collegit, primo loco dedit excerpta ex Agnaeo Cornuto de enuntiatione vel orthographia p. 2281 sqq. Ibi legendum esse *Annaeo* statim apparet, et videtur noster intelligendus esse. Positus enim est primo loco ante Velium Longum, quod antiquum grammaticum indicare videtur. Idque firmant quae ex eius libro affert Cassiodorus, quamquam ea suum in usum disposuisse, decurtasse, fortasse etiam interpolasse censendus erit. In iis antiquiores scriptores et Varronem potissimum respicit. Semel dicitur Lucio idem videri atque quod ipse modo praecepit, qui Lucius putatur esse L. Caesellius Vindex, ex cuius scriptis postea excerpta referuntur (cf. Osann, Beitr. II p. 329 sq.). Quod si ve-

1 Videndum tamen an maior hic lateat corruptela. Quam tollant fortasse acutiores, ego quid mihi in mentem venerit modeste hic indicabo. Ex verbis *tab'castarum* mutatione haud violenta efficias *tabernariarum*, et in vv. *patris sui* latet fortasse titulus tabernariae, quales sunt *socrus*, *matertera*, *consobrini*, *privignus*, *sorores* cett. Neque enim mihi persuadebo laudari apte Cornuti librum fabularum vel. sim. patris sui. Cornuti verba exempli loco a Charisio afferri iam vidimus, et cum Plauto Caecilioque (cuius verba periisse censenda essent, ut Plautinae fabulae titulus periit) apte componeretur tabernaria. Tabernaria vero, qua Romanos homines moresque repraesentatos esse notum est (cf. Neukirch. de fab. tog. p. 38 sqq.) nescio an deceat praeceptorem Persii, qui praetextam composuit. Neque iure, ut puto, obiiciat quis, eundem haud facile composuisse tragoedias atque tabernarias, quod his temporibus praesertim in grammatico non mirum. Omnium minime offendere tabernariarum librum posse, docent exempla ad sat. I, 76 p. 98, quibus addi potest Tac. dial. 3, ubi saepius Materni tragoedia vocatur *liber*. Hoc igitur argumento uti non debuit Grauert (üb. d. Metrik des Röm. Epik. p. 278). Scilicet postquam legebantur potius quam agebantur fabulae, librorum nomine apte vocabantur. Eodem modo orationes in publicum editas libros nominari recte significavit Weichertus (poett. latt. rell. p. 112). Ceterum coniecturae a me propositae deesse illam persuadendi vim, quam in coniecturis potissimum desideramus, bene sentio, pronunciavi tamen, si forte aliis verum inveniendi ansam daret.

rum esset, firmaret Lerschii sententiam, qui Caesellium aevo Augusteo vixisse putat (Zeitschr. f. Alterth. Wiss. a. 1840 p. 109 sq. a. 1841 p. 1101 sqq.). Posset autem a Cassiodoro additum esse, ut Cornuti et Caesellii consensum indicaret. Lucius grammaticus affertur etiam a Pompeio de barbarismo (p. 430 Lind.): *Lucius autem dixit centum (soloecismos) et enumerat omnes. Exstat liber ipsius, dicit illud et illud; nam ait sic:*

Adde soloecismo (soloecismon) genera atque vocabula centum.

et currit (percurrit Lind.) *ipsa vocabulis versibus scriptis arte, et ibi enumeravit illa omnia. Interim iste breviter strinxit.* Verum de hoc poeta grammatico omnia incerta. Ceterum videtur Cornutus de enuntiatione opus conscripsisse. Inter grammaticos magnae famae atque auctoritatis Cornutum refert etiam Augustinus (de util. cred. 17): *Nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non audes, Asper, Cornutus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi.* Ubi commentarii Virgiliani potissimum videntur respici. Praeter haec, quae virum philosophicis et grammaticis studiis eruditum variaeque doctrinae copiis instructum demonstrant, poeticae quoque operam dedit Cornutus. Fuit enim, ut vita Persii testatur, poeta tragicus, quod iniuria in dubium vocatum esse, nuper monuit etiam Welckerus (Griech. Trag. III p. 1456 sq.). Nam apud Romanos videmus permultos grammaticorum atque philosophorum Musarum quoque artes coluisse, et audimus Cornutum in consilium vocatum esse a Nerone, qui poetarum commercio gaudebat, ea de re, ubi poetam potius quam philosophum consulere attinebat. Nec mirabitur, tragoedias eum scripsisse, qui consideraverit, inde ab Augusti temporibus haud paucos extitisse, qui tragoedias, magnam partem in usum recitationum, composuerint, et omnino hoc carminum genus magno favore acceptum

fuisse, cf. Welcker. l. l. p. 1408 sqq. Magis etiam ad rem nostram facit, quod ex Annaeis, quorum libertum fuisse Cornutum coniecimus, alter Seneca eodem tempore tragoedias composuit (v. Welcker. l. l. p. 1446 sqq.), alter Lucanus, cuius praeceptor Cornutus fuit, Medeam tragoediam, teste vita antiqua, imperfectam reliquit, quod ita haud improbabiliter interpretabimur, ut iuvenile opus postea ab eo derelictum esse dicamus, ideoque fortasse a Statio non commemoratum (Silv. II, 7, 51 sqq.). Ipse denique Persius iuvenis praetextam composuit: quae omnia, ni fallor, quod de Cornuto tragico relatum est, egregie firmant. Quid quod Cornutus satiricus poeta fuit, si, ut fecit Wernsdorfius (Poett. Latt. min. III p. XVII, 4), Fulgentio credimus, qui sub v. *titivilitium* (p. 562 M.) haec habet: *Titivilitium dici voluerunt fila putrida, quae de telis cadunt; ut Plautus in Casina ait:* „*Non ego hoc verbum emsitem titivilitio,*“ *id est re admodum vilissima. Nam et M. Cornutus in satira sic ait:* „*Titiviles Flacce do tibi*“ [1]. Hic de alio quodam Cornuto cogitandum esse, qui nullus notus est, nihil est quod suadeat, ne praenomen quidem diversum. Mihi enim persuasissimum est, Fulgentium eodem artificio, quo Bassum amicum Persii satiras scripsisse finxit (cf. p. 214), etiam Cornutum satirographum finxisse. Nihil potuit aptius videri, quam Persium satiras componendi artem didicisse sub magistro satirico, quod in ipsis Persii verbis (V, 15 sq.):

pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo

inesse potuit aliquis sibi persuadere. Quid autem verisimilius,

1 Ita legitur in editione novissima, et ita cod. Par. n. 7581, sec. XI, at *textivilices* cod. Par. n. 3088, sec. X vel XI, et n. 4883 A., atque cod. Berol. (Lat. oct. 73 sec. X, quem commemoravit iam M. Hertzius de Cinciis p. 60. 79). Praeterea *Cornutus* om. Par. 4883 A. et *Cornatus* levi corruptela legit Par. 3088. Casaub. de sat. poesi II, 3 p. 235 ex vitiosa editt. lectione: *Titivillitii sat cedo tibi*, coniecturam duxit: *Titivillitio istas cedo tibi.* Gron. ad Plaut. Casin. II, 5, 39 emendavit: *Titi villos, Flacce, do tibi.*

quam Cornutum, cui tam egregiam satiram inscripsit Persius, respondisse discipulo altera satira? Itaque versus fingebatur, qui allocutum esse Cornutum Persium suum demonstraret voc. *Flacce*. Ceterum ut altero illo loco (s. v. *vervina* p. 564 M.), ita hic Plautinus versus ansam dedit alterum effingendi [1].

1 Cum bis iam Fulgentium fraudis insimulaverim, et mox idem crimen proferendum habeam, non abs re erit, quid de illo libro expositionum sermonis antiqui statuam, praesertim cum novissimi editores hanc quaestionem paullo levius nec satis circumspecte tractasse videantur, breviter exponere. Fulgentii fidem suspectam habuerunt post Munckerum et Ruhnkenium (ad Rut. L. p. 104) multi iique gravissimi viri, e. g. Bernhardy (Röm. Litt. p. 145. 329 sq.), Madvig. (de Ascon. Ped. p. 64. opp. p. 28), Ritschel. (melett. Plautt. spec. onomat. p. 22). Et Orellius cum olim (ad Tac. dial. 3. Cic. ad Att. XIII, 21, 3) sec. XV hunc librum suppositum esse pronuntiasset, hunc quidem errorem postea correxit, impostorem tamen esse Fulgentium sustinuit (lectt. Petron. p. 3 cf. ad Apul. fab. de Psyche p. 48). Nam illud refutatur iam aetate codd., quos supra recensui. Quibus addendus index in cod. Par. n. 7581 manu antiqua scriptus, qui supra scripto versiculo: *Haec continet scedula willelmi nomina certa* libros varios recenset, in his *Calcidius de sermonibus antiquis*, quo noster liber videtur significari ad Chalcidium scriptus. Iam quod eorum scriptorum, quos adhuc superstites habemus, Plauti (quamquam in locis Plautinis mire variant codd.), Petronii, Apuleii, Martiani Capellae locos tam turpiter deformatos exhibet, ut eius in re critica nulla auctoritas sit (cf. Hildebrand. ad Apul. t. I p. 302 sq.), id non tam fraudi, quam incredibili incuriae eius, qui memoriae soli confisus scribebat, tribuendum est. Sed supersunt alia graviora. Primum quod in testimonium verborum Latinorum scriptores Graecos affert, id ipse excusare dicitur Fulgentius (s. v. *problema* p. 562 M.), et alios patrocinari eodem more usos, uti Rutilium Lupum. Ubi iure mireris tam diversa misceri potuisse. Nam eo loco quid problema sit explicat grammaticus et exemplum affert ex Demosthene, quod Latine vertit, quia ita verbum, quod e Graeco in Latinum sermonem susceptum idem est, aeque illustratur. Rutilii Lupi exemplum omnino non debuit afferri, nam is non verba, sed figuras illustrat, quae in Latinis non minus conspiciuntur, quam in Graecis. At Fulgentius affirmat se vocabula Latina minus frequentia legisse apud scriptores, qui Graece cripserunt, eorumque verba affert; haec igitur non potest ipse vertisse, alioquin testimonia illa nullam haberent vim. E. g. Stesimbrotus (p. 558) usus esse dicitur voc. *sandapila*, Mnaseas (p. 559) voc. *vispillo*, Callimachus (p. 565) voc. *ientaculum;* atqui hos Graece scripsisse certum est. Alii ut Antidamas Heracleopolites (p. 558. 566), Diophantus Lacedaemonius (p. 559, laudatus is etiam Myth. I, 1),

Ad hunc virum doctrina et ingenii fama florentem, libero animo philosophiae, quam profitebatur, virtutes

Callimorphus (p. 565), cum de eorum aetate et scriptis quantum sciam nihil constet, potuerunt quamvis Graeci tamen Latine scribere. Haec res duplici ratione potest explicari. Aut sumendum est, fuisse horum scriptorum apud Romanos versiones Latinas usu tam pervulgatas, ut iis tanquam ab auctoribus ita profectis usus sit Fulgentius. Quamquam vero difficilis haec quaestio, quosnam scriptores Graecos Latine versos Romani inprimis seriorum temporum usurpaverint, nondum quod sciam accurate tractata est, in historia litterarum haud minimi momenti, caute tamen hac excusatione utendum erit. Et hic statim dubitari licet, num scriptores, quales sunt Stesimbrotus et Mnaseas Latina lingua expressi fuerint. Altera ratio haec est, ut grammaticum putemus, dum opus suum multis scriptorum nominibus exornare cupit et quicquid ei innotuit corradit, prae ignorantia Graecos scriptores Latinis immiscuisse, quorum nomina apud alios legit, sed Graece scripsisse ignoravit. Hoc ut in universum aestimanti facile fieri potuisse videbitur, ita ei, qui rem conficere velit, singulis locis erroris fons probabiliter aperiendus erit. Interim summa cautione utendum erit, quae eo augetur, quod in nominibus scriptorum, in titulis, in fragmentis denique ipsis permulta inveniuntur, quae per se suspicionem faciant. Quodsi iure visum est negari, grammaticum dolo malo confinxisse vocabula, libros, scriptores, iterum diversa confunduntur. Vocabula finxisse Fulgentium nihil est cur putemus, imo vocabula certis veterum scriptorum locis desumpta sunt, quos accuratius scire valde e re nostra esset. Porro nec in explicationibus, quas addidit, doli mali eum accusem; fecit, ut potuit, et quamquam inepta falsaque non desunt, haec inscitiae potius quam dolo tribuenda videntur. Verum in testimoniis, quae addidit, fraudem exercuisse dicendus est. Partim quidem ea apposuit, quae memoria suppeditavit non satis fida, ut apparet; ubi haec non sufficiebant, vel ubi splendidius aliquid exornare volebat, effinxit testimonia. Ut hoc probabiliter faceret, raro aliquid prorsus novum excogitavit, verum aliunde notis usus est, ut immutando nova faceret, ita tamen fere, ut suspicionem fraudis moveat. Itaque non mirum, si Fulgentii scriptores alibi quoque laudantur, quamquam, si eiusdem mythologica, et Io. Lydi scripta afferuntur, tenendum est, nec haec a suspicione libera esse, ut haec pestis ultimis litterarum antiquarum temporibus mirum quantum grassata est. Neque negaverim, laudari apud Fulgentium fortasse scriptores quosdam, aliunde non notos, qui revera exstiterint, cum fontes adire potuerit nobis non reclusos, verum in tota libri conditione ea re nihil lucramur. In hac enim gravi suspicione nihil Fulgentio credi potest aliunde non testatum. Idque maxime de fragmentis valet ab eo allatis, quorum quaedam aperte confinxit ad exemplum aliorum, maxime Plautinorum. Haec per singula ita erunt persequenda, ut quantum fieri potest, demonstretur, quid fingendi ansam et occasionem praebuerit, unde suam cognitionem hauserit Fulgentius. Ita non

exercentem, toga virili sumta accessit Persius, et tanto eius amore captus est, ut nunquam ab eo discederet, et verum cum eo contubernium ageret. Neque hoc ita raro factum est, ut Romanorum nobiles iuvenes doctorum virorem amicitiam et consuetudinem quaererent, eos in domum reciperent, secum ducerent, totam denique vitam cum iis partirentur (v. Suet. gramm. 7. rhett. 6. Lehrs. de Arist. stud. Hom. p. 16 sq.). Persius amoris sui erga magistrum monumentum exstare voluit satiram quintam, in qua quam sollicita cura Cornutus animum atque mores philosophiae praeceptis excolere, ingenium accurata sanaque disciplina erudire atque castigare studuerit, grato pioque animo recordatur, et quanta sit inter utrumque concordia, quanto se amplectantur amore egregie depingit. Atque huius caritatis moriens testimonium reliquit, cum per codicillos ad matrem datos Cornuto omnem bibliothecam et pecuniam haud parvam relinqueret. Neque ille a se degeneravit, nam libros quidem recepit, pecuniam autem se accepturum negavit [1]. Denique ea re amorem erga discipulum testatus est, quod non solum satirarum librum antequam ederetur retractavit, sed matri etiam consilium dedit omnia ea, quae Persius puerilia atque iuvenilia scripserat, delendi. Quae res, si quae alia, sobrium et severum iudicium demonstrat, quo Persii studia rexisse et aestimasse videtur; quantam vero vim Stoica philosophia, qua eum imbuit, in Persii animum atque poemata exercuerit, vel leviter intuentibus patet, cum non modo satirae eius maximam partem in eo versentur, ut Stoica dogmata explicent, verum etiam tota eius aestimandi atque scri-

modo impostura confutabitur aperte, sed alia quoque scitu digna melius cognoscentur. Hoc ego de quibusdam probabiliter docuisse mihi videor, totum ut perficiat fortuna adiuvante, qui hanc rem denuo novis codd. subsidiis se tractaturum promisit, Lerschius, (v. eius Sprachphilos. der Alten t. III p. 159) exopto.

1 Cum in vita locum, ubi hoc narratur, uncis circumscriberem, nolebam dubium exprimere de narrationis fide, sed exprimere, verba genuina non posse restitui.

bendi ratio inde pendeat: de qua re accuratius erit tractandum.

Quodsi ita Persium doctissimorum tunc temporis atque clarissimorum praeceptorum institutione gavisum esse vidimus, idem egregiorum et moribus ingenioque excellentissimorumque virorum consuetudine usus est, quae quantam vim ad eius animum formandum contulerint facile potest cogitari. Horum plerosque per Cornutum cognovit: in quibus duo numerantur viri, quos sanctissimorum et doctissimorum laude mactat vitae auctor, et cum sub Cornuto magistro acriter philosophassent, eorum convictu usum esse Persium narrat, qui eorum studio flagrabat. Horum nomina iniuria librariorum corrupta licet quidem summa cum probabilitate restituere, praeter haec vero nihil fere notum est. Atque alterius Petronii Aristocratis, Magnesia oriundi, solum tenemus nomen, alterius Claudii Agathemeri, Lacedaemonii, medici, epitaphium servatum esse videtur. Cum enim inter marmora Oxoniensia exstet cippus, qui viri cuiusdam et feminae, utriusque aetate provectioris, protomas et infra eas sequens epigramma, a Seldenio (Marm. Arundell. p. 49 n. 28) primum editum, monstrat:

Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγαθήμερος ἐνθάδε κεῖμαι,
Παντοίης δεδαὼς κραιπνὸν ἄκεσμα νόσου.
Ξυνὸν τοῦτο δέ μοι καὶ Μυρτάλῃ εἶσα συνεύνῳ
Μνῆμα. μετ' εὐσεβέων δ' ἔσμεν ἐν Ἠλυσίῳ.

Reinesius primus coniecturam proposuit (epp. ad Rupert. p. 539. synt. inscr. XI, 6 p. 610) esse hunc Cornuti discipulum, Persii amicum: quae omnibus fere probata est. Viscontius, qui ultimus hoc monumentum edidit (Iconogr. Gr. t. 33), addidit ad eam firmandam, capillos ordinandi modum, qualem in Myrtales effigie videmus, plane consentire cum aliis huius temporis monumentis (l. l. t. I p. 288) [1].

1 Quam idem Reinesius (epp. l. l.) protulit coniecturam, inscriptionem:

Haud minus arcto vinculo coniunctus fuit Persius aliis iuvenibus, qui eodem tempore casto atque incorrupto animo artes ingenuas colebant, quorum a prima adolescentia amicos habuit Caesium Bassum et Calpurnium. De Caesio Basso, poeta lyrico secundum Quintiliani iudicium post Horatium principe, dictum iam est (ad sat. VI, in. p. 211 sqq.) [1], isque mortuo Persio, cum amicitiae inter eos mu-

ΚΟΥΡΝΟΥΤΟΥ
ΙΑΤΡΟΥ
ΚΑΙ ΡΟΥΦΙΝΗC
ΘΥΓΑΤΡΟC

quam auctore Smetio edidit Gruter. (633, 9), e Piccarti schedis Ruperti cum Reinesio communicaverat (epp. 347 n. 187), ad Cornutum philosophum pertinere, merito ipse ut levem reiecit. Melius fortasse quis coniiciat, a convictu cum medico studium quoddam atque peritiam eorum, quae ad artem medicam et physiologiam pertinent, in Persio observatam, repetendam esse. Cf. Meister, letzte Studien p. 106 sqq.

1 Hic monendum mihi est, eandem quam ego de Caesio et Gavio Basso protuli coniecturam, iam esse pronuntiatam a Lerschio (Zeitschr. f. Alterth. Wiss. 1840 p. 110 sq. Sprachphilos. d. Alten III p. 159 sqq.), quod me tunc fugisse pudet. Is vero iisdem, quibus ego, locis usus, alia tamen via atque aliis rationibus eodem pervenit, nisi quod sententiam, quae mihi dubia tamen visa est, certissimam habet. Quae res cum fiduciam meam alere deberet, revocavit potius dubia quaedam. Poetam plene C. Caesium Bassum vocatum putat Lerschius, ut pro *Gavio* praenomen *Caii* ubique legendum sit. Qua in coniectura primum videtur mihi iniuria neglexisse, apud Gellium cod. Reg., qui optimus inter paucos accurate collatus est, exhibere *Gavius*, quod apud Macrobium quoque magis munitum videtur, et multo facilius pro hoc nomine notissimum *Gaii* posuisse librarios, quam, quod ipse ponit, contrario vitio peccasse. Deinde notandum, iis locis, qui certo ad Cassium Bassum referuntur, aut plene eum nominari, aut *Caesium*, nunquam *Gaium*. Quare equidem speravi, olim e codd. reponi posse *Caesium* pro *Gavio*. Verum nescio an locus quidam Quintiliani nostram utriusque coniecturam evertat, vel plane incertam reddat. Is enim ita dicit (1, 6, 36): „Qui vero talia (etymologias) libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt, ingenioseque visus et Gavius *coelibes* dicere veluti *coelites*, quod onere gravissimo vacent, idque Graeco argumento, ἠϊθέους enim eadem de causa dici affirmat.“ H. l. Zumpt. e codd. reposuit *Gavius*, cum antea legeretur *C. Granius*. Vix liceat alium intelligere, quam Gavium Bassum, qui de origine vocabulorum scripsit, et vero ratio quoque etymologica (quam sequuntur Prisc. I p. 547. Beda de orth. p. 2333) id suadet. Quamquam autem hoc Quintiliani testimonio propius etiam ad Caesii Bassi tempora accedimus, tamen nec

tuae testimonium quoddam exstare vellet, a Cornuto petiit, ut satirarum librum a se edi pateretur: cui voto ille obsecundavit. Atque ita olim factum scimus, ut docti viri defunctorum amicorum libros in publicum ederent (Suet. de gramm. 2).

Calpurnius, qui vivo adhuc Persio iuvenis decessit, ex codd. fide *Statura* vocatus fuit, quod cum incredibile videretur, fuerunt qui *Surae* nomen notum reponerent. Calpurnius Sura tamen aeque manebat obscurus: nam quod Osannus (ad Apul. p. 34) huius Calpurnii Surae, quem nescio cur grammaticum vocet, apud Apuleium suum mentionem invenisse olim sibi visus est, iam non moramur. Nuper tamen exstitit, qui huius Calpurnii, cui multa et viventi et mortuo fata inviderunt, memoriam renovaret. G. Sarpe (quaestt. philol. c. 2 sqq.), cum coniectura ingeniosissima (in quam incidit etiam Lange verm. Schr. p. 92) et a multis probata apud Quintilianum (X, 1, 89) reposuisset: *Serranum consummari mors immatura non passa est, puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem, praecipue in aetate illa, recti generis voluntatem*, ubi vulgo *Sed eum* legitur, quod aperte corruptum est, quaestionem instituit, numquid de hoc poeta, quem Iuvenalis quoque commemorat (VII, 80), praeterea memoriae traditum esset. Iam visus sibi est invenisse, eclogas illas, quae Calpurnii nomen prae se ferunt, aevo Neroniano scriptas esse, et demonstrare conatus est certis indiciis, primam eclogam scriptam esse a. p. Chr. 54 (l. l. c. 3), septimam a. 57 (l. l. c. 4), quartam a. 58 (l. l. c. 5), octavam non videri quidem eiusdem poetae, verum nihil esse, quod impediat, quominus Neronis tem-

codd. lectiones suadent, ut *Caesius* reponamus, nec potest *Gaius* legi, cum omisso Bassi nomine solo praenomine vix potuisset agnosci. Videtur ergo Gavius Bassus, qui de grammatica libros haud diu, ut videtur, ante Quintilianum scripsit, a nobis agnosci debere. Hoc autem sane permirum mihi accidit, ne dicam iniquum, ut dum mea ipse vineta caedere volo, alium refutare videar.

poribus has eclogas scriptas esse putemus. Persuasit sibi vir ingeniosissimus, horum carminum indolem prorsus convenire cum iis, quae de Serrano Quintilianus praedicat, et cum hoc modo Serrano Calpurnii nomen vindicasset, coniecturam cepit Calpurnium, Persii amicum, ipsum fuisse Serranum, quam inde confirmavit, quod hic quoque immatura morte abreptus esse traderetur. Itaque haec fere de vita Calpurnii Serrani colligi posse putavit (l. l. c. 6). Cum fuerit Persii a prima adolescentia amicus et Lucano, ut ipse prodit (ecl. IV, 18), aequalis, natum videri circa a. p. Chr. 36. Poesi puerum adhuc operatum esse, ut anno aetatis XIX primam eclogam cecinerit, anno XXII septimam, anno sequente quartam. Quamvis Virgilii inprimis imitator esset, tamen etiam ad Senecae ingenium et rationem se applicasse, cuius liberalitate sustentatus (ecl. IV, 31 sqq.) vixerit (ecl. IV, 88 sqq.) in vicinia urbis ad Gallinas. Indulgentia Senecae si forte Neroni innotuerit, non videri tamen in poetarum numerum admissum, quibuscum Caesar versus pangere solitus sit, nam vix attigisse eum a. Chr. 59, quo id fecisse Neronem narret Tacitus (Ann. XIV, 16), expirasse potius a. Chr. 58, anno aetatis XXIII [1]. Agnoscimus viri subtilitatem atque ingenium, verum quantumvis cupidi de Persii amico accuratius edoceri [2], non possumus tamen hisce coniecturis ullam fidem habere. Illud quidem non negamus, quae Quintilianus de Serrano praedicat, inprimis voluntatem recti generis, ita esse comparata, ut conveniant iuveni cum Persio atque Caesio Basso Musarum sacra colenti. Verum nullo modo concedi potest,

1 Excerpta ex Sarpii libro dedit Frotscher exc. I ad Quint. l. X p. 228 sqq. Sententiam eius solus, quod sciam, probavit G. E. Weberus (Corp. poett. latt. p. XCVI sq.).

2 Haberemus, ubi *Phyllida* et *Calliroen* (sat. I, 34. 134) quaereremus, cf. Calpurn. ecl. III, 24 sq.:

Phyllide contentus sola, tu testis, Iolla, es,
Calliroen sprevi, quamvis cum dote rogaret.

Verum ea ratio, qua Persius tam Phyllida quam Calliroen sprevit, haud sane indicaret amicum huic poetae animum.

Quintiliani iudicium, praeterquam quod de Serrano ut de poeta epico loquitur, valere de istis Calpurnii eclogis. Sunt sane pueriles praesertim in imitando, verum non ita, ut adolescentis maximam indolem atque admirabilem recti voluntatem agnoscas, sed sterile et ieiunum ingenium, quod nihil unquam magni et eximii de se sperare iubeat. Quamquam nec ipse Sarpius accuratius et per singula docuit, quorsum illud, quod Quintilianus praedicat, valeat. Porro quae argumenta attulit historica, quibus aetati Neronianae haec carmina vindicaret, ea cum acumine excogitata esse fateor, ita comparata esse nego, ut assensum extorqueant, immo minime probant, quae probanda erant [1]. Quodsi iam nulla causa est, cur Serranum Calpurniis adnumeremus, nihil prorsus est, quod amicum Persii fuisse putemus. Quid quod vitae auctor non dixit Calpurnium Persii amicum fuisse poetam, immo contrarium significare videtur cum scribit: *Amicos habuit — Caesium Bassum poetam et Calpurnium.* Quidni scripsisset: *Caesium Bassum et Calpurnium poetas?* Confitendum igitur, de hoc Persii amico nihil notum esse [2].

1 Ea vero argumenta, quibus VV. DD., inter quos praecipuum locum sumit Wernsdorfius (poett. Latt. min. t. II p. 3 sqq.) probare voluerunt, eclogarum scriptorem esse Iunium Calpurnium a Vopisco (Car. 8) commemoratum, ideoque Cari filiorumque tempore vixisse, non nimis certa esse, prudenter monuit novissimus editor Glaeserus (p. 3 sqq.). Qui quod contra Sarpium attulit, Calpurnium (ecl. IV, 84 sq.) hisce vss.:

Namque hic in silvis praesens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila pennis

aperte imitatum esse Statium (Theb. XII, 812 sq.):

iam certe praesens tibi fama benignum
Stravit iter —

et (ib. 818 sq.):

si quis adhuc praetendit nubila livor
Occidit,

non licebit ita refellere, ut Statius potius imitator fuisse dicatur, praesertim in imitatore, qualis est Calpurnius. Quodsi hic in cod. Vind. vocatur *Theocritus Calphurnius*, comparandum videtur, quod in codd. quibusdam Persius nominatur *Persius Lucillius*, ut praeter Sg. 1. Bs. 2, in cod. Vindeb. chart. sec. XV, n. 224, 1 in Endlicheri catalogo.

2 Vidimus iam et infra videbimus Persium Fulgentio ansam dedisse

Per Cornutum cognovit M. Annaeum Lucanum poetam, qui eiusdem fere aetatis Cornuti et ipse fuit discipulus. Hic summopere Persii carmina admiratus esse et cum ille recitaret favorem suum clamore prodidisse dicitur. Est vero locus vitae antiquae, ubi hoc narratur, corruptus atque ut videtur interpolatus, ita ut verba genuina vix liceat restituere. Persius videtur satiram primam amicis recitasse (nam a publicis recitationibus Persii animus sine dubio alienissimus fuit), in quorum numero fuit Lucanus, qui tanta admiratione perculsus est, ut vix se retineret a clamore, quamquam satis declaravit Persius, quantopere talia improbaret. Quid exclamaverit Lucanus narratum etiam est, quantum ex corruptis verbis intelligi potest, vera esse haec poemata, at quae ipse faceret, ludum tantum esse iocumque. Haec eo referenda, quod Persius prologo dixerat, se ad vatis nomen non adspirare, quorum ad sacra semipaganus carmen suum afferat. Contra affirmavit Lucanus haec vera poemata esse. Talia sane facile potuerunt fingi, et quod addidisse dicitur de suis carminibus, vereor ut dixerit: verum de tota re cur dubitetur non video. Agnoscimus hic quoque Annaeorum fervidum ingenium, subito impetu ad nimia pronum, ut cetera quoque fuit Lucanus irasci et admirari facilis et immodicus. Quare vix putarim inter Persium atque Lucanum arctam intercessisse amicitiam: non cadit in hunc inaequalitas animi, qua nunc Neroni addictus Lucanus carmina in eius honorem pangebat nominique eius foede adulabatur, mox ab eo offensus carmina probrosa in eum iactavit, summaque linguae intemperantia contra eum grassabatur. Alienum fuit ab hoc fervore castum modicumque ingenium Persii, qui a vitae

scriptores inveniendi. Iam sub v. *mnasiterna* (p. 563) dicit: *Unde et Calpurnius in Fronesi comoedia ait: „Ubi tu mnasiternatus aquam petas.“ Et Plautus in Bacchide ait: „Effer mnasiternam cum aqua foras.“* Num hunc quoque Persii amicum in indicem suum retulisse putandus erit? Contra eclogarum poetam eundem esse suspicatur Wernsdorfius (poett. Latt. min. t. II p. 4).

illecebris remotus, studiisque litterarum tantum deditus, gloriae cupidine vanaque iactantia, qualem in Lucano novimus, liber fuit. Neque poetica Lucani studia Persii assensum ferre potuerunt. Quamquam enim in eo carmine, quod solum hodie superstes est, non desunt vestigia eius disciplinae, quae ei cum Persio communis fuit, et praesertim ratione, qua Pompeianorum partes extollit, reipublicae et libertatis amor proditur, qualem ab eo exspectes, qui stoica philosophia imbutus est, videtur is mihi tamen scholasticus potius, quam verus atque ingenuus esse, et Lucanus simili ratione philosophiae deditus fuisse atque Seneca. Utrumque enim virtutis veritatisque studio affectum fuisse quamquam non nego, tamen speciem magis etiam quam rem secutum esse, neque in vita animum constantem, gloriae vana cupidine et luxuria liberum, qualem Seneca potissimum in scriptis ostendit, servasse, certum est [1]. Ego non id suscipiam, ut demonstrem, Persium, ubi de poetis sui temporis loquitur, qui Graece nugari so-

1 De Lucano eiusque studiis v. vitam Suetonii, aliamque ex antiquo commentario Stat. Silv. II, 7. Suetonius quidem iniquior contra eum est, at Tacitus quoque aequus iudex satis quidem prodit, eum sapientis constantiam neutiquam servasse. Ita promissa impunitate corruptus matrem Aciliam prodidit (Tac. Ann. XV, 56), et quod moriturus carmen, quod de vulnerato milite composuit, recitasse narratur (Ann. XV, 70) id mihi quidem affectatum videtur, virumque ostendere, qui ingenium poeticum et stoicam constantiam ostentare voluit. Eum vero contra Neronem incensum fuisse maxime ob poeticam aemulationem consentit Suetonio Tacitus (Ann. XV, 49). Ceterum inscriptionem multum celebratam

M. ANNAEO LVCANO
CORDVBENSI POETAE
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA

(Grut. 354, 2. Voss. de histt. Latt. I, 26. Lips. ad Tac. Ann. XV, 49. Sarpe qu. philol. p. 46. Weber. ad Luc. II p. 586. Fickert. ad Sen. I p. XXIV. Reil. anall. epigr. p. 243.) genuinam esse, h. e. Neronis tempore positam, vix credam. Legas modo Taciti verba: *quod famam eius carminum premebat Nero prohibueratque ostentare vana assimilatione*, et simile quid in animo habere videtur etiam Suetonius, ubi dicit: *Poemata eius etiam praelegi memini.* Cordubae eam inventam esse vix credam Hispanis, qui multos finxerunt titulos: Romae repertam esse a. 1403 narrat Rol. de Plagola apud Fickertum ibique eam servari tradit Vossius.

liti subito res Romanas grandi carmine illustrandas sibi sumant, Lucanum potissimum respexisse, verum videtur is tamen ad talium poetarum numerum iure referri posse. Nam initio quidem ludicra tantum composuit [1], donec altos spiritus sumeret ad hoc epos condendum. Quod quamquam summo, atque ut Suetonius inimicus Lucano ait, inepto favore exceptum est, tamen graviter etiam esse vituperatum notum est [2]. Iam quod de eo iudicium tulit Quintilianus (X, 1, 90), esse eum ardentem et concitatum et sententiis clarissimum, sed magis oratoribus, quam poetis imitandum, satis demonstrat, non potuisse eum probari a Persio, qui illud oratorium, ad auditores captandos aptum dicendi genus, quantopere in poetis temporis sui improbet, satis declarat. Et mihi quidem perquam verisimile est, Petronium, qui ut in multis aliis, ita in iudicio de studiorum temporis sui perversitate egregie cum Persio conspirat [3],

1 Amatorium carmen scripsit in uxorem Pollam Argentariam, Stat. Silv. II, 7, 62 sq. cl. praef. ad Meliorem Atedium, cuius immemor fuit Paldamus (Röm. Erot. p. 80 sq.), qui et loco Sidonii Apollinaris (epp. II, 10) non recte usus est. Inter lascivos poetas, quos enumerat Plinius (epp. V, 3, 5) Lucano post Senecam locum dat cod. Prag. Ad similes nugas pertinuerit heroidum catalogus. Quas scripsisse dicitur, fabulae salticae fuerunt fabulae in usum pantomimorum scriptae, quales confecerunt Silo (Sen. suas. p. 20 ed. Bip.), et Statius (Iuv. VII, 92). *Puella saltica* est apud Tertull. adv. gn. scorp. 8.

2 Cf. Servium (ad Aen. I, 382) *Quod autem diximus, eum poetica arte prohiberi, ne aperte historiam ponat, certum est. Lucanus namque ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema.* Quodsi Isidorus, apud quem eadem leguntur, haec quoque ex Suetonio duxit, quem initio capitis auctorem laudat (VIII, 7), agnosceremus hic quoque eius acerbum de Lucano iudicium. Servius alias quoque Lucanum vituperat (ad Aen. I, 7).

3 Gaudeo Studerum docta et eleganti dissertatione (N. Rhein. Mus. II p. 50 sqq. 202 sqq.) Petronium aevo Neroniano vindicasse: qui cum demonstraverit, quantopere Senecae et Petronio conveniat, nescio cur omiserit Persium. Quanta sit inter utrumque similitudo, vel commentarius meus poterit demonstrare, ubi saepissime eum adhibui. Ceterum disquisitioni de illa, quam modo tetigi, causa Lucani atque Petronii accurate atque per singula instituendae prolusit Moessler in commentatione, quae cum maxime affertur, de Petronii poemate de bello civili (Vrat. 1842). Quam ut mox absolvat, optandum est.

Lucanum, et si qui similes fuerunt poetae, noto loco respexisse (c. 118).

Multo etiam minus Persio convenire potuit cum L. Annaeo Seneca, quem teste vita antiqua sero cognovit, sed non ut caperetur eius ingenio. Quod si non additum fuisset, satis certa coniectura assequi potuissemus, cum de utriusque ingenio, moribus, scribendi ratione aestimare possimus [1]. Haud facile duo viri magis diversi esse possunt animi indole vitaeque ratione, quam Persius et Seneca, et tamen iidem eiusdem temporis filios sese permultis rebus atque vitiorum etiam communitate produnt. Nullus est scriptor, qui ad recte intelligendum Persium, sive loquendi genus, sive res ab eo descriptas, sive totam cogitandi rationem spectes, tantum conferat, quantum Seneca: et tamen maxima inter utrumque est ingenii diversitas. Quae in iis studiis vel maxime cernitur, quae utrique communia sunt, philosophiam dico stoicam. Seneca enim egregia a natura indole praeditus, stoicae philosophiae, ut tunc fere optimus quisque, totum se dedit et fervore quodam naturali eam amplectebatur, ita ut ethicam potissimum coleret. Verum cum esset ei felix et laetum ingenium, quod facile uberes proferret fructus, cum gauderet ea animi vi, quae quid pro quacunque re dici posset, cum acumine detegeret, cum facundia exponeret, his ipsis dotibus, rhetorica disciplina diligenter excultis, mirifice abusus est, et partim nimio fervore abreptus, partim gloriae cupidine atque quadam animi lascivia seductus, speciem magis veri atque splendorem, quam ipsam veritatem quaesivit. Ita fit, ut quamvis acriter et copiose disputando vix unquam persuadeat, immo ne voluisse quidem videatur persuadere, sed vim argumentandi potius et elegantiam mirabundo lectori ostendere, ut late splendeat oratio eius et illecebris quibusdam permulceat, masculam vim ingenuam-

1 De Seneca cf. H. Ritter, Gesch. d. Phil. t. IV p. 182 sqq. Gerlach, Histor. Stud. p. 271 sqq.

que virtutem non ostendat [1]. Quare nobis, dum philosophum agit, non videtur tamen esse, et iis vitiis, in quae invehit, ipsum quam maxime laborare apparet. Neque aliter in vita se gessit. Nam quamvis animum ad optima quaeque propensum nemo aequus ei abiudicet, tamen eam constantiam, quam in morte probavit, per totam vitam neutiquam servavit, neque sua ipsius praecepta sequebatur, immo multa dedit imperatoris voluntati atque temporis lasciviae, ipsiusque indoli, quae a mollitie et luxurie nequaquam aliena fuit [2]. Talis vir non potuit Persio placere, iuveni morum incorruptorum castique animi, qui vitam non usu novit ipsam, sed qualem scholae severa disciplina repraesentabat. Cuius ingenium neque facilitate neque ubertate cum Seneca comparandum, sed tardum potius, acerrimo veri atque recti studio incitatum summo cum fervore verum investigavit, ita tamen, ut nihil fere assequeretur nisi intento labore et omnium virium ingenti nisu. Quare sicut apud illum fluere videmus orationem, et sponte cogitantem sequi, ita Persius pugnat quodammodo cum sermone, et quae mentem agitant, non nisi magno impetu et iterum iterumque aggressus vix tandem profert, eaque ratione, quae satis demonstrat, quanto veri studio ardeat, quantopere animum urgeant ea, quae sentit, nec tamen exprimere potest, alienissima autem est a prompto illius ingenio et facultate de qualibet re novi quiddam ac splendidi proferendi, qua in summis amabiliter ludit, ima non tangit. Non ferebat iuvenis imbutus severa disciplina, quam toto pectore imbibit, veneratione plenus erga viros egregios, quorum rigorem aemulabatur, facilitatem viri, vita diu multumque versati, qua saeculi moribus tantum concedebat, ut ea exemplo spernere videretur, quae scriptis, quamquam et hic vix digne, sustinuit. Et tamen haec ipsa

1 Cf. Quint. X, 1, 125 sqq. Gell. XII, 2. Front. de oratt. I p. 239 sqq. Westermann, Gesch. d. Röm. Bereds. p. 282 sq.

2 Cf. Tac. Ann. XIII, 3 : *Fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum.*

disciplina, utrique communis, effecit ut permulta, quantumvis diversa specie, ex eodem fonte nata, summam inter utrumque similitudinem procrearent. Neque vero illud negari potest, eos in multis rebus uno eodemque quasi spiritu afflatos fuisse, et temporis sui mores et vitia invitos reddidisse, ut ad recte de alterutro iudicandum alterius accurata cognitio quam plurimum conferat.

Quod modo explicare conati sumus, non capi potuisse Persium Senecae ingenio atque consuetudine, id clarius etiam apparebit, si virorum quibuscum amicitiae vinculis coniunctus fuit, praeter eos, quos iam recensuimus, imaginem nobis repraesentaverimus. Inter quos primo loco nominandus, quem teste vitae scriptore ut patrem coluit, M. Servilius Nonianus. Hic vir, quem Plinius (H. N. XXVIII, 2, 5) principem civitatis, Tacitus (Ann. XIV, 19) summis honoribus illustrem vocat, a. u. 813 mortuus est aetate iam provectior. Fuit vero aetate multo grandior, quam Persius, quippe qui non modo a. 788 consul erat (Tac. Ann. VI, 31. Plin. X, 43, 60, cf. XXXVII, 6, 21), sed iam a. 773 inter consulares nominatur (Tac. Ann. III, 22) [1]. Non fuisse divitem, sed iam Tiberii temporibus magna fama floruisse, docet quod Tacitus narrat (Ann. II, 48), Caesarem Patuleii, divitis equitis Romani, hereditatem M. Servilio tradidisse, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, ut nobilitatem eius pecunia adiuvaret. A principio foro operam dedit, et tantam eloquentiae famam nactus est, ut Claudius cum aliquando in palatio spatiaretur auditoque clamore certior factus esset, recitare Nonianum, se auditorum numero immisceret (Plin. epp. I, 13, 3), eamque postea quoque sibi servavit (Tac. Ann. XIV, 19. dial. de or. 23. Quint. X, 1, 102). Cum deinde

1 Passovius, qui locos vett. collegit (p. 122) suspicatur fuisse eundem M. Servilium, qui a. 756 consul fuit, a quo adoptatum potius putat Ryck. ad Tac. Ann. VI, 31.

iam senior a foro recessisset, res Romanas tradidit (Tac. Ann. XIV, 19), in historia quoque magnam laudem adeptus, quamquam Quintilianus (l. l.), cui elati vir ingenii et sententiis creber audit, eum minus pressum vocat, quam historiae auctoritas postulet [1]. Praeter haec studiorum merita elegantia vitae eum celebrem dicit Tacitus (Ann. XIV, 19), quam claram reddiderit morum integritate [2]. In huius praestantissimi viri, quem sanctissimo amore ad cineres usque colebat, domo cognovit etiam Plotium Macrinum (schol. II, 1), ad quem satiram secundam scripsit, qua integritatem eius ac sanctimoniam satis testatus est [3].

Cognatus erat Persius cum Arria minore, Arriae illius, cuius NON DOLET in omnium ore versatur [4], filia et Paeti Thraseae uxore (Plin. epp. III, 16, 10. Tac. Ann. XVI, 34). Huius viri magni atque egregii imaginem ex iis potissimum nobis repraesentare possumus, quae Tacitus de eo retulit, qui nunquam occasionem praetermisit, foedorum atque dirorum temporum historiam eximiis eius dictis fastisque distinguendi. Sequebatur stoicorum philosophiam (Tac. Ann. XVI, 22. cl. Arrian. diss. I, 1, 28), ad quam, ut iam observatum est, confugerunt fere, qui Romanum animum servarunt, quare male audiverunt apud principes iisque deditos quasi novarum rerum cupidi, qui ei operam dederunt (cf. Tac. Ann. XIV, 57. Hist. IV, 5. Dio C. LXVI, 12. cl. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 114

1 Passov. frgm. apud Charis. I p. 118: „Servilius, ut etiam Flavius Pomponianus notat: *aureum tores* pro *torque*," ad hunc refert, Lindemann. ad Q. Servilium Caepionem, de quo v. Meyer, oratt. Rom. p. 320 sqq. ed. sec.

2 Dicit enim eum moribus diversum a Domitio Afro, qui prosperiore eloquentia quam morum fama fuit, et quoquo facinore properus clarescere (Tac. Ann. IV, 52).

3 Falsterus (memor. obsc. p. 154 sq.) putavit hunc esse Macrinum, qui teste Cassiodoro cum Gallo consul fuerit sub Nerone, falsa lectione deceptus, nam ibi Marius legendum est, quo et Asinio Gallo coss. Persius e vita decessit.

4 Plin. epp. III, 16. Mart. I, 13. Dio C. LX, 16. Zon. XI, 9.

sq.). Itaque hic quoque rigidum et tristem stoicorum habitum prae se ferre accusatus est (Tac. Ann. XVI, 22). Prae ceteris vero Catonis Uticensis exemplum aemulatus est (Tac. Ann. l. l.), de quo etiam scriptum reliquit (Plut. Cat. min. 37), eiusque atrocem animum et nobile letum assecutus est. Fuit vir animo mitissimus atque inde quoque admirandus, qui crebro dicebat, homines odisse, qui vitia oderit (Plin. epp. VIII, 22), easque affirmabat causas esse suscipiendas, quae aut amicorum, aut destitutae essent, aut ad exemplum pertinerent (Plin. epp. VI, 29), et omnino moribus vitaque integerrimus, virtutis Romanae saeculo corrupto exemplum, ut iure Arulenus Rusticus eum sanctissimum virum nominaret (Suet. Dom. 10. Dio C. LXVII, 13. cl. Tac. Agric. 2). Et comprobavit hoc iudicium inimicissimus ipsi Nero, qui cum detulisset ei quidam Thraseam quasi corruptum iudicem, exclamavit: Utinam tam mihi amicus esset Thrasea, quam bonus iudex est (Plut. praec. polit. 33), eodemque referendum, quod a quibusdam traditum narrat Tacitus (Ann. XV, 23), haud ita diu ante Thraseae mortem reconciliatum se Thraseae iactasse Neronem apud Senecam, ac Senecam id Neroni gratulatum esse. Quamquam autem summa eius erat animi atque sermonis libertas (cf. Tac. Hist. IV, 5. Dio C. LXVI, 12. cl. Iuv. V, 38) ab omni tamen petulantia atque intemperantia abhorruit, et numquam etiam in vituperando reverentiam observare omisit, quam vel malo principi deberi iudicavit, cf. Dio C. LXVI, 12: *Θρασέας μὲν γὰρ ἐπὶ Νέρωνος ὢν οὐκ ἠρέσκετο αὐτῷ, καὶ οὐδὲν μέντοι οὐδ' ὡς ὑβριστικὸν ἔλεγεν εἰς αὐτὸν οὐδ' ἔπραττεν, πλὴν καθόσον προσκοινωνεῖν οἱ τῶν δρωμένων οὐκ ἠξίου*, cl. Tac. Ann. XIII, 49. XIV, 48. Ceterum nullam praetermisit occasionem, ut in senatu, si fieri posset, ignaviam castigando, vel nimiam prae adulatione severitatem coercendo, saeculi depravationem in melius verteret, cf. Tac. Ann. XIII, 49. XIV, 48 sq. XV, 20 sq. Quamvis autem temperatus et ob-

sequens erga Caesarem, nunquam tamen ad foedam ceterorum adulationem se deiici passus est, et cum silentio vel brevi assensu senatus erga Neronem priores adulationes transmittere solitus fuisset, non tulit aequo animo, cum Neronis post occisam matrem epistola legeretur, et ne vel silentio probare videretur quae decrevit senatus, curiam reliquit (Tac. Ann. XIV, 12. Dio C. LXI, 15. Schol. Iuv. V, 36). Qua re suscitatam principis indignationem cum alere non desineret, atque ab aditu prohibitus, hanc contumeliam tranquille ferret (Tac. Ann. XV, 23), neque quidquam faceret, quo ingravescentem iram deleniret (Tac. Ann. XVI, 24), Nero, ut ait Tacitus, ipsam virtutem exscindere concupivit (Tac. Ann. XVI, 21). Itaque absens accusatus in senatu a Cossutiano et Eprio Marcello, ita ut non erubescerent obiicere quod non sacrificasset pro sancta principis voce, neque eum in Iuvenalibus canentem eo quo par fuerit plausu prosecutus fuisset, qui ipse olim Patavii tragoedias cecinisset [1] (Tac. Ann. XVI, 21 sqq. 28.

1 Mirum hoc sane in Thrasea, recteque a Welckero (Griech. Trag. p. 1446) ad patrium quendam morem refertur, ut ait Dio C. LXII, 26: *καίτοι ἐν Παταβίῳ τῇ πατρίδι τραγῳδίαν κατά τι πάτριον ἐν ἑορτῇ τινι τριακονταετηρίδι ὑποκρινάμενος.* Factum id ait Tacitus *ludis catastis a Troiano Antenore institutis*, nam ita habent codd. potiores, Medicei Vat. Par., *cestatis* Guelf. Bud. Quid tentaverint VV. DD. videre licet apud Rupertium. Quamquam nescio quomodo explicanda sit, ad tuendam lectionem codd. facit inscriptio, quam post alios edidi (spec. epigr. p. 87):

Q. MAGVRIVS. Q. F. FAB
FEROX
LVS. EPIDIXIB. ET. CETAES. I. II. III. IN
GREG. VETVRIANQVAE. ET. IVNI
ORVM. A. A. DICAVIT. EVRAS. VIII
ET. PERTIC. VNCINOR. XII. N. CCLIX

ubi indicavi, qui multa quae sunt in ea obscura illustrare conati sunt. Iam spectat inscriptio ad actorem scenicum, et Patavii reperta est, unde non videtur dubitandum, quin obscurum illud CETAES. referendum sit ad *ludos cetasticos* apud Tacitum. Neque illud videtur non commemorandum, quod habet Charisius (I p. 100): „*Cetariis Pomponius Secundus ad Thraseam*, cum ratio *cetaribus*, inquit Plinius, poscat.“ Idem liber affertur a Diomede (I p. 368): „Sed novitas brevitatis causa cuncta permiscuit, quippe *sancio*, *sancii* faciebat, ut Pomponius ad

Dio C. LXI, 20. LXII, 26), damnatur et mortis libera ei lectio datur (Tac. Ann. XVI, 33). Magnanimus vir, qui Arulenum Rusticum, fervido animo tribunicia intercessione usurum, prohibuerat, ne iuvenem amicum perderet (Tac. Ann. XVI, 26), Arriamque uxorem, ut liberis se servaret, monuerat, Helvidio genero et Demetrio cynico (cf. H. Ritter, Gesch. d. Phil. t. IV p. 175 sqq.) praesente venas incidit et divinum illud: *Libamus Iovi liberatori!* effatus exspiravit (a. u. 819). Is Persium summe dilexit decem fere annis, hoc est ab eo inde tempore, quo iuvenis iam adultus atque philosophicis studiis iam paullum corroboratus, quantam de se spem suscipi liceret, viro gravissimo probavit. Itaque consuetudine eius usus est familiari et cum peregrinaretur aliquando comitem eum esse voluit. Tanti viri familiaritas quantam vim exercuerit ad Persii ingenium animumque firmandum et ad masculam virtutem excolendum, non est quod dicam, atque ex satiris eius perspici potest. Hae enim, quicquid de poetica facultate statuas, spirant profecto animum vere Romanum,

Thraseam: *sancierat* —, nos autem *sanxi* dicimus;" quod plenius est apud Priscianum (X p. 904): „Vetustissimi tamen etiam *sancivi* vel *sancii* proferebant. Pomponius Secundus ad Thraseam: *Sancierat ius utile civitati.*" Qui liber qua de re scriptus sit nescimus. Intelligendus autem e diversis Pomponiis (cf. Welcker, Griech. Trag. p. 1440 sq.) Plinii amicus videtur, quem consularem poetam (H. N. VII, 19, 18), vatemque civemque clarissimum (XIII, 12, 26) vocat, de cuius vita duos libros conscripsit (XIV, 4, 6. Plin. epp. III, 5, 3). Charisius enim etiam altero loco Pomponii Secundi poetae testimonium auctore Plinio refert (I p. 111). Quodsi illud verbum Pomponii cum ludis istis coniungere vellemus, ut videntur fortunae favore quasi tessellati operis singuli lapilli servata esse antiquitatis fragmenta quae diligenter collecta componere liceat, pronum est de ludis Patavinis navalibus cogitare, quos quotannis ibi celebratos esse narrat Liv. X, 2, 15. Non contradiceret, quod Tacitus ab Antenore institutos, Dio C. *τριακονταετηρίδα* dicit, nam potuerunt cum annuis istis antiqui illi atque augusti tricesimo quoque anno coniungi, et ludi scenici addi navalibus. Verum non nimis tamen fidendum fortunae illius favori, et fatendum adversari huic suspicioni nominis formam apud Tacitum, et quod in titulo illud CETAES ad scenicas repraesentationes pertinere videtur. Videndum igitur ne forte vox Patavina potius sit, quam Romana.

indignantem seculi mores ab antiqua simplicitate et virtute degeneratos atque corruptos, veritati atque virtuti unice addictum et iuvenili fervore pro libertate, quam unicum et solum bonum habet, pugnantem. Quodsi concedimus longe abesse hunc ardorem ab eius viri sapientia, quam hominum vitaeque longus usus temperavit atque maturavit, et magis scholam sapere quam vitam, condonabimus id sane iuveni, quem mors immatura absumsit et pudor virginalis arcebat ab seculi corruptis moribus. Ingenuum certe libertatis atque virtutis amorem nemo in Persio non potest agnoscere. Ceterum familiaris cum Thrasea consuetudo etiam in studia litteraria eius vim quandam habuisse videtur: certe quos admodum iuvenis in Arriam matrem versus fecit, huic cognationi potissimum tribuemus. Neque fortasse errabimus, si in ea re Thraseae quoque auctoritatem agnoscimus, quod Persius, cum ad tragoedias scribendas accederet, *praetextas* potissimum elegit [1], et quamquam per librarios iam non potest perspici, quodnam argumentum in ea tractaverit [2], pro certo tamen affirmari potest, Romanae virtutis exemplum in ea celebratum fuisse, animo digno iis viris, quibuscum versabatur Persius. Denique haud improbabili coniectura Passovius (p. 85) assecutus est, ὁδοιπορικῶν librum, quem scripsit, argumentum habuisse ipsam illam cum Thrasea peregrinationem, quae digna sane videri potuit iuveni, quam carmine celebraret, exemplum secutus, ut alios omittam, Lucilii atque Horatii [3]. Ceterum haec iuvenilia conamina haud magnam laudem meruis-

1 Neukirch. de fab. tog. p. 23 sqq. Welcker, Griech. Trag. p. 1344 sqq. Lersch, Rh. Mus. VI p. 518 sqq., cuius sententiam non possum probare.

2 Qua ratione permotus Neukirchius (de fab. tog. p. 92) suspicatus sit, Quinctilii Vari tristem sortem hac fabula celebratam esse, non intelligo.

3 Romanorum poetas, qui de itineribus scripserunt, recenset diversa miscens Wernsdorfius (Poett. Latt. min. V p. 30 sqq.). Fragmenta, quae ad Lucilii iter pertinere viderentur, composuerunt I. Rutgersius lectt. Venus. c. 15 p. 318 sqq. Varges, C. Lucilii satir. quae ex l. III supersunt. Stett. 1836.

se, immo Persii famae noxia futura fuisse censuit Cornutus, qui ea omnia matri suasit ut aboleret, quo in iudicio viri prudentissimi atque Persii amantissimi nos quoque requiescere et possumus et debemus.

Vita moribusque Persius praestantissimorum virorum, quibuscum vixit, exemplum expressit, fuit frugi et pudicus, summoque amore matrem, sororem, amitamque amplexus est, ut pietatis exemplum vocari potuerit. Nobis vero in iudicio de Persii ingenio ferendo neque hoc videtur negligendum, quod eum cum feminis potissimum quotidiano convictu coniunctum fuisse videmus. Quamquam enim non possumus quin agnoscamus curam atque diligentiam sollertissimam, quam filio educando atque erudiendo adhibuerit Fulvia Sisennia, tamen illud ipsum, quod iam aliquoties significavimus et quod nobis sane gravissimum videtur, quod in Persii satiris scholae potissimum disciplinam videmus, ipsum vitae alienum fuisse animadvertimus, etiam ad muliebris consuetudinis vim referemus, quae iuvenem oculis cariorem eumque parum firma valetudine utentem, quovis modo custodire et retinere studuit. Itaque quod traditur morum fuisse lenissimorum, qui tanto fervore atque acerbitate in vitia hominum invectus est, et verecundiae virginalis, qui non erubescit in satiris obscoena verbis fortissimis tractare, valebit ad iudicium nostrum confirmandum, scilicet in utraque re iuvenem vitae expertem necdum maturatum, partim aliorum exemplum secutum, vires nimio impetu intendisse ultra naturae modum. Quod in illa obscoenitate quam maxime apparet, quae quantopere aliena est ab eius sermone, qui libidinum, quales seculum illud proferebat, haud ignarus, earum aut illecebris capere et permulcere, aut vim indignabundus libera descriptione frangere studet, sicut ab ea libertate, quae in Graeca comoedia aut Lucilio conspiciebatur, et vitii immunis naturalia non esse turpia putabat, si cum risu et ioco agitarentur, — ab his igitur quantum diversa sit Persii obscoena

tractandi ratio apparet. Qui dum nimis nuda, et non dicam libera, sed rudia verba usurpat, satis demonstrat horrorem, quo bonus iuvenis et casta severaque disciplina imbutus, vitia abominatur, de quibus fando accepit, et quem nimis fortiter putat exprimi non posse, praesertim cum videat, etiam eos scriptores, quorum exemplum aemulatus est, talia tractasse.

Persium pulchra forma fuisse narrat vita. Exstare hodieque eius imaginem diu creditum est. Anaglyphum egregii laboris conspicitur nunc in villa Albani (cf. Indicaz. antiq. n. 584), quod imaginem viri monstrat barbati atque hedera coronati. Card. Sadoletus, qui olim id possedit, hedera poetam significari putavit, et cum vultus decorus verecundiam, quam in Persio commendat vita, prae se ferre videretur, imaginem hanc Persii esse sibi persuasit et Ursino, qui eam hoc nomine inter imagines exhibuit (t. CIII), unde alii repetiverunt (Bellori imagg. poett. 58. Gron. thes. ant. Gr. t. III, aaa.), etiam Persii editores, nuperrime Achaintre ante versionem Selisii (Par. 1822). Quam parum firma argumenta sint, quae pro hac sententia allata sunt, apparet. Winckelmannus vero fortiora attulit, quae contra valent (opp. t. VI, 1 p. 255 sq.), videri imaginem viri aetate provectioris, quam fuit Persius, quem nec barba deceret, quam Neronis tempore non alebant nisi delicati (cf. comment. ad IV, 36 p. 176). Quod addiderunt Winckelmanni editores, stylum anaglyphi tempus M. Aurelii potius ostendere (l. l. VI, 2 p. 317), nihil facit ad nostram rem: potuit enim Persii imago posteriore quoque tempore exsculpi. Optime aere expressum est anaglyphum in egregio Zoegae opere (Li Bassirilievi antichi di Roma II t. 115), quo loco ne eius sententiam audiremus immatura mors effecit: sine dubio Winckelmanni dubia probavit, ut fecit Visconti (Iconogr. Rom. t. II p. 430 ed. Mil.). Altera imago Persii nomen fert in protome musei Capitolini (I, t. 29) et altera villae

Albani (indic. antiq. n. 101), nescio quibus de causis iis inditum [1].

Non concessit natura Persio longam vitam, sed iuvenem indefesso studio laborantem immatura mors absumsit. Vitio stomachi decessit in praediis suis ad octavum miliarium viae Appiae VIII kal. Dec. P. Mario, L. Asinio Gallo Coss. (a. u. c. 815, p. Chr. 62), anno aetatis XXVIII..

Ne hoc quidem satirarum opus perficere ei licuit, sed imperfectum reliquit, et ut edi posset, versus quidam abiiciendi erant, quod recte ita intellectum est, ut non satirae sextae ultimi versus ablati putarentur, quae et absoluta est neque ultima a poeta scripta esse videtur, sed ut versus aliquot, qui novae satirae initium facerent, reiicerentur, ne quid satirarum liber complecteretur, quod non perfectum esset. Antequam vero in publicum ederetur, Cornutus, quod poeta ipse iam facere non potuit, satiras retractavit [2], i. e. emendatrice manu vitia, si quae forte remanserunt, abstersit, et totum expolivit, sed leviter tantum, ne scilicet corrigendo et emendando alienum opus redderet: tunc Caesio Basso, qui hac re amicitiam suam profiteri voluit, tradidit edendum. Habemus hic igitur claro testimonio traditum, quod hodie de tot libris summo studio demonstrare student critici, non esse eos ab auctore ipso

1 Mongezii iconographia Romana non potui uti, nescio ergo, num quid attulerit, quod a rem nostram pertineat.

2 Vereor ne iusto calidius in vita antiqua p. 236 sq. e cod. Flor. receperim *correxit*, quod librarius notum sibi verbum reposuisse videtur pro *retractavit*, quo codd. cett. potius corruptelae ducunt, quodque iustum in hac re vocabulum est. Retractare enim dicitur scriptor ea, quae cum primo impetu fudisset, iam expoliendo et corrigendo editioni praeparat: ita de Virgilio dicitur apud Gell. XVII, 10. Postea ibi praesertim usurpari videtur, ubi ea, quae iam recitata sunt, iterata cura perpoliuntur, ut edantur. Ita Curiatius Maternus Catonem post recitationem edendum retractat (Tac. dial. 3), similiter Plinius orationes (epp. V, 8, 6. IX, 10, 3; 40, 2. et IV, 9, 3, ubi est *leviter retractare*). Denique grammatici carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractare dicuntur (Suet. ill. gramm. 2, ubi item *recitare* in codd. quibusdam est).

perfectos atque editos. Atque de uno eoque celeberrimo loco (I, 121), quem Cornutus mutasse dicitur, de quo dictum est in commentario (p. 113), et infra quaedam addenda sunt, non satis constat, an non vivo etiam Persio mutatus sit, nam in vita antiqua h. l. corruptus est, scholia nihil accuratius tradunt. Praeterea duos locos detexisse sibi visus est Passovius (p. 135 sqq.), eumque secutus G. E. Weberus (Emigrant u. Stoiker p. 158), in quibus cum poeta bis idem dixisset, dubius utrum reiiceret, an retineret, iam utrumque legamus. Alter legitur I, 36 sqq.:

> Assensere viri: nunc non cinis ille poetae
> Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
> Laudant convivae: nunc non e manibus illis,
> Nunc non e tumulo fortunataque favilla
> Nascentur violae?

Ibi poeta dubius, utrum illa: *nunc — convivae*, an haec: *nunc — violae* poneret, interim utrumque in chartas retulisse dicitur, ut editurus olim lectionem haberet. Verum hoc, quamvis primo adspectu blandiens, non poterit probari. Nam si illud, quod secundo loco legitur, deletum cogitamus, prorsus intolerabile esset nudum hoc: *laudant convivae*. Concinnitas sermonis necessario poscit cum his quoque vv., ut cum altero illo *assensere viri*, iungi quaedam, quae antecedentibus respondeant. Ferri sane posset, ea tolli, quae primo loco posita sunt, verum si modo recte disputavi, apparet non amplius esse electionem, sed haec si quis delenda censeat, a sciolo quodam assuta, non a Persio profecta, ei sustinendum erit. Neque vero hoc concedi potest, nam id ipsum egregie factum est, quod haec sibi opposuit: *assensere viri*, quod epicam gravitatem spirat, et alterum quod magis commune est: *laudant convivae;* et totus locus ingenua hilaritate et risu non acerbo excellit. Omnino falsa quaedam de Persii brevitate sententia hoc iudicium excitavit, quae de aliis quoque scriptoribus, qui eadem fama fruuntur, ferri solet, quasi nusquam

verbis pluribus uterentur, quam quibus ad sententiam indicandam opus esset. Quod si quis de Persio valere putat, errat: nam is ubi e re esse videtur, verbis non parcit, ab ubertate non alienus, quamquam non diffluit. Siquidem quando sententiam vel imaginem usquequaque claram reddere vult et perspicuam, haudquaquam eo quo diximus modo brevis est, immo nimius fere in persequendis et describendis minutis quibusdam, neque eandem sententiam repetere dubitat, sed ita variatam, ut maiori cum vi et efficacia iam prodeat. Quod si quis hunc locum accurate inspiciat, is non offendetur, si poeta post accuratam eorum, quae praecesserunt descriptionem, iam effuse ridet, et huius stultitiae ridendae finem non invenit. Alter locus est V, 96 sqq.:

Stat contra ratio, et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.

Hic sane eadem sententia bis expressa est, neque tamen ita, ut alterutra commode omitti possit: utram deleveris, hiabit oratio. Tum non sine consilio poeta postquam rationem commemoravit, addidit publicam legem hominum et naturam, ut hoc quam maxime urgeret. Itaque ne de hoc quidem loco consentire possum. Tertium locum paulo aliter comparatum addidit Weberus (l. l. p. 199 sq.) I, 67, ubi unum vel duo versus poetam additurum fuisse existimat, ut loci sententia constaret, cui sententiae non puto assensurum, qui non improbet, quae de h. l. disserui in commentario (p. 96).

Praeter hunc satirarum librum nihil ad nos pervenit, et qui versus a grammaticis afferuntur tanquam Persii, in iis falsum nomen esse positum, a VV. DD. demonstratum est [1]. Animi causa addo, in cod. Paris. n. 4883 A. legi

1 Passovius (p. 132 sq.) attulit, Schol. ms. ad Iuv. VII, 241 apud Heins. ad Ovid. Am. III, 2, 83 laudare eum ipsum Ovidii vs. ut

inde a fol. 28 exempla diversorum autorum, atque inter ea tanquam Persii hosce versus[1]:

Ordo ducum membris super aurea fulcra locatis.
Tunc sancti genua advolvens pedibusque volutans.
Liminibus distenta tremunt aulaea superbis.
Flamma volans mordebit in aera pennis.
Mellis et inrigui haec austera absindna misceam.
Transfretat exceptum numerosa puppibus agmen.
Quid pote? vis dicam? nugaris cum tibi calve [I, 56].
Hic tibi, fabor enim, quando tibi cura remordet [Virg. Aen. I, 261].
Eliquat ac tenero supplantat verba palato [I, 35].
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno [I, 66].
Ho mare gargani concludit iaspidis ora [Prisc. perieg. 94].
Post haec arctoas ad partes adspice rursus [Prisc. perieg. 128].
Cuius ad arctoas est partes barbara tellus [Prisc. perieg. 291].
Ad cuius zephyrum Macetum sunt moenia regis [Prisc. perieg. 242].
Plurior ad solem residet nudatus ab undis [Prisc. perieg. 258].

Persianum; Serv. ad Virg. Georg. III, 463 Horatii (sat. II, 5, 39 sq.) Persii nomine. Quem idem (p. VI) commemorat vs. ab Isidoro (XVIII, 4) e Persio laudatum, Propertii esse (V [IV], 1, 13) monuit Wüllnerus (de Varr. Atac. p. 32), et adscripserat ipse Passovius margini editionis suae. Similes grammaticorum errores haud raro inveniri notum est. Ita Consentius p. 2030 P. nostri vs. affert tanquam Horatii; Schol. Hor. Carm. I, 2, 9 vs. Virgilii (Georg. I, 62) ut Iuvenalis. Cf. Weberus ad schol. Lucan. p. X.

1 V. 5 l. *absinthia*. v. 6 l. *numerosis*. v. 7 l. *Qui pote*. v. 8 l. *quando haec te c.* v. 11 l. *Hoc m.* — *Iapygis*. v. 15 l. *Purior* — *renidet*. v. 16 l. *Aridum et ore f.* v. 17 l. *Noriciique* — *Pannoniique*. v. 18 l. *venies generat quae.* — Adscripsi, quos statim inveni auctores, in quibus quaerendis nolui multum temporis perdere. Ceterum *Persius* et *Priscianus* facile potuerunt confundi, cum utrumque nomen *Ps.* notaretur. In loco Io. a Ianua p. 307 n. 2 allato *Ps.* est Priscianus.

Asperum et ora ferens acinum semesaque lardi [Hor. sat. II, 6, 85].
Noricique colunt bellaces pannonique [Prisc. perieg. 314].
Taprobanen veniae generant quem magna elephantes. [Prisc. perieg. 596].

Ex iisdem exemplis descripsi etiam, quae Iuvenalis et Lucilii prae se tulerunt nomina, in quibus eandem impudentiam inveni, in nominibus scriptorum pro lubitu effingendis, quae in modo allatis perspicitur. Itaque exemplo esse possunt levitatis an fraudis, quam in testimoniis veterum laudandis saepe observare licet.

Editum satirarum librum continuo mirari homines et diripere [1] coeperunt, ut narrat vita. Quod verum esse multa antiquorum probant testimonia. De Lucani admiratione iam vidimus; Quintilianus celeberrimo loco (X, 1, 94): *Multum*, ait, *et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit;* ubi notabimus veram gloriam, quo v. significare videtur Quintilianus, apud doctos potissimum incorruptique iudicii homines lectitatum fuisse Persium. Ipsum studiose legisse eius satiras, demonstrat, quod non solum eius testimonio utitur (IX, 3, 9; 42. X, 3, 29), sed quibusdam locis aperte eum expressit (XII, 10, 26 cl. sat. I, 44. III, 1, 3 cl. sat. I, 107), utrumque denique saepe eodem iudicio uti videmus, ut non miremur Persii satiras placuisse Quintiliano. Cum hoc consentit eiusdem aevi poeta Martialis, qui ubi parva potissimum et rara expeti docet, haec adiungit (IV, 29, 7 sq.):

1 *Diripi* dicitur is, quem omnes tanto favore expetunt, ut non possit cunctis satisfacere, cf. Sen. de ira III, 23: *Postea Timagenes — tota civitate direptus est.* de brev. vit. 7: *Diripitur ille toto foro patronus.* Mart. VII, 76, 1 sq.: *Quod te diripiunt potentiores per convivia, porticus theatra — Nolito nimium tibi placere.* Iuv. VI, 403: *Quis amet, quis diripiatur adulter.* Cf. ib. intpp. Markld. ad Stat. Silv. V, 3, 129.

Saepius in libro numeratur[1] Persius uno
Quam levis in tota Marsus Amazonide.

Atque eum postea quoque in ore virorum fuisse eruditorum docent quae de Septimio atque Alexandro Severo narrantur, ut Persii verba usurpare soliti sint (cf. Spart. Pescenn. Nig. 3 cl. sat. I, 103. Lamprid. Alex. Sev. 44 cl. sat. II, 69). Itaque Persius in numerum satiricorum receptus est, qui prae ceteris legebantur, et cum Lucilio et Horatio coniungitur a Diomede (III p. 482 cl. Isid. or. V, 6), cf. Io. Lydus (de mag. I, 41), qui ita de eo atque Horatio iudicat: *Ὁράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χορῶν· Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν.* Atque hinc longa scriptorum series oritur, quos Persium studiose lectitasse constat. Grammaticorum, inter quos Censorinum nomino (de die n. 2 cl. sat. II, in.), atque scholiastarum nullus fere est, qui non Persii verba in testimonium afferat: quos hic recensere longum est, et in annotatione critica singulis locis adhibuimus. Praeterea vero permulti sunt scriptores, qui quantopere ipsis placuerit Persii sermo, quem assidua lectione bene cognitum habebant, eo demonstrant, quod imitando magis minusve perspicue expresserunt: quorum quosdam afferre visum est. Itaque poetarum Ausonius permultis locis Persium aperte imitatus est (cf. ad sat. IV, 10. V, 24 sq. 86), atque Paulinus (ad V, 86), nec minus Sidonius Apollinaris, qui *Persii rigorem* laudavit (carm. IX, 264), saepe vestigia eius pressit. Praecipue scriptores Christiani ob ethicam gravitatem et morum corrigendorum severitatem Persium probarunt, neque erubuerunt eum sequi non solum poetae, qui carminibus religionem Christianam celebrarunt, ut Prudentius (ad I, 13) et Sedulius (ad III, 87), sed patres etiam ecclesiastici magnum, quod in Persio posue-

1 Ita edidit e codd. Schneidewinus pro vulg. *memoratur*. De hoc epigr. cf. Weichert, poett. Latt. rell. p. 253 sqq.

runt, studium prae se ferunt et saepe Persii versibus utuntur non sine laudibus. Ita Lactantius (I. D. II, 2, 18. III, 16, 5. VI, 2, 11) Persii versus affert ut eximiae sapientiae documenta: sed quo loco (I. D. II, 4, 11 sq.), postquam quosdam eius versus ut egregios et sapientes laudavit, addit ridicule poetam dixisse, *hoc esse aurum in templis, quod sint Veneri donatae a virgine pupae*, ibi Persii locum negligenter inspexisse censendus est, nam tota eius disputatio demonstrat eum mentem poetae non cepisse. Saepius etiam Augustinus vel integros Persii versus attulit, vel eius sermonem expressit (epp. CXVIII cl. sat. I, 27. CXXXII cl. sat. V, 25. CCXXXI cl. sat. I, 47. de civ. Dei II, 6 cl. II, 37. c. D. II, 7 cl. III, 66 sqq. c. Iul. V, 6, 24 cl. sat. V, 103. de mag. 9 cl. sat. III, 32 sqq.). Omnium autem maxime Hieronymus Persio usus est, qui ita eius lectione imbutus est tantoque studio eius loquendi rationem expressit, ut vix quidquam apud nostrum legatur insolentius dictum atque Persiana asperitate insignitum, quod non arripuerit et plus semel adhibuerit: cuius rei permulta testimonia in annotatione critica et commentario exstant [1]. Quare non mirandum, si per medium aevum Persius, qui cum aliis *ethici* nomine honorabatur (cf. Crenii animm. philol. et hist. XIV p. 1 sq.), prae ceteris legebatur, quod codicum copia atque commentarii, de quibus postea dicendum erit, satis declarant. Hic scriptores aliquot addam, qui Persium se legisse profitentur, et nunquam fere eius cognitionem intermortuam fuisse docent. Liudprandus igitur (946 cf. Sax. onom. II p. 151),

1 Qui notam historiolam de viro quodam Persii obscuritatem ita indignato, ut eum abiiceret exclamando: *Si non vis intelligi, non debes legi*, vel alteram, qua quis in ignem misisse dicitur Persii librum, ut flamma tandem illustraretur, qui has ad Hieronymum retulerunt (cf. Bayle dict. s. v. *Perse*. Vigenère traité des chiffres p. 12, quem librum laudavit Passovius p. 139 et qui nuper eam repetiit, Teuffel Charakter. des Horaz p. 48), Hieronymum non videntur multum legisse, aliter intellexissent eum vix apte hanc personam sustinere, quo pauci studiosius Persium legerunt.

graece quoque doctus et in poetis Latinis satis versatus Persium aperte expressit, ubi dicit (antapod. II, 13): *Si — foedus aliquod iniremus, insanos capite non sanus iuret Orestes* (sat. III, 118), neque aliunde sumsit *Arcadiae pecuaria* (antapod. I, 41 cl. sat. III, 9) et *asper nummus* (leg. 63 cl. III, 69 sq.). Etiam Adam Bremensis (1076 cf. Sax. onom. II p. 191 sq.) Persii versum (sat. III, 118) laudavit (IV, 27). Persium videtur legisse etiam Bernardus Morlanensis (c. 1130 cf. Sax. onom. II p. 226 sq.), ut hi versus docent (de cont. mundi II, 805 sq.):

Flaccus Horatius et Cato, Persius et Iuvenalis
Quid facerent modo, si foret his modo vita sodalis?

ubi Daumius (ad Caton. dist. p. 337 Artz.), cui eos debeo, legit: *Quid fac. rogo.* Porro haud raro Persii locos affert Petrus Blesensis (c. 1167 cf. Sax. onom. II p. 256), et saepissime Ioannes Saresberiensis (mort. a. 1180 cf. Sax. onom. II p. 263 sq.). Qui cum praecipuum studium in poetis satiricis posuisse videatur [1] et semper eorum versus in ore habeat, quantopere tamen vel in levioribus falsus sit, hic novo quodam exemplo demonstrare libet. Etenim in carmine, cui titulus *Entheticus de dogmate philosophorum*, hi leguntur versus (v. 1427 sq.), quos mecum communicavit Chr. Petersen, qui illud carmen mox editurus est:

Dinomaches et Polydamas dominantur in aula,
Nil Cato, nil Curius, cuncta Photinus [2] agit.

Aperte ibi respexit ad Pers. IV, 20: *Dinomaches ego sum*, et hoc nomen virile esse putavit. Iudicium de Persio fertur in Architreno s. carmine Io. de Altavilla

1 Cf. de eius antiquarum litterarum cognitione Thorlacii prolusiones III (opp. V p. 69 sqq.).

2 *Photinus* intelligendus est *Pothinus*, Pompeii interfector (Caes. B. C. III, 108), cuius nomen in proverbium fere abiit (Mart. V. 69, 1. Claud. in Eutr. II, 481), in codd. autem saepissime in *Photinum* corruptum est, v. intpp. Lucan. VIII, 483.

verss. hexametr. c. a. 1200 scriptis, hisce versibus, quos e cod. bibl. Bernensi sec. XIV protulit Sinnerus in catalogo (III p. 120):

Persius in Flacci pelago decurrit, et audet
Mendicasse stilum satirae, [et] serraque cruentus
Fodit, et ignorat polientem pectora limam.

Quocum comparari potest, quod legitur in libro *de disciplina scholarum*, qui sub Boethii nomine circumfertur, sed a Thoma Cantipratano (c. a. 1250 cf. Sax. onom. II p. 311) compositus esse censetur (I p. 1278 ed. Bas. a. 1570): *Senecae traditio, inexpletio Lucani, Virgilii prolixitas et Statii urbanitas, dura Flacci translatio, durior Persii aeditio* (*ceditio* corr. Lindenbr.), *Martiani non indigna laesio, Nasonis discretio sunt indaganda memorialique cellulae commendanda.* Ubi nec *aeditionem* nec *ceditionem* me intelligere fateor. Denique Persium legit Henricus de Hervordia (mort. a. 1370), qui chronica scripsit, cf. Bruns, Beitr. zur krit. Bearbeitung unbenutzter alter Hdschrr. I p. 8. III p. 255 cl. sat. I, 2. Haec habui, quae proponerem, quae ab aliis, qui in his litteris magis versati sunt, multum sine dubio augeri poterunt.

Virorum doctorum de Persii satiris in diversissima abeuntium iudicia colligere atque componere nostrum non est [1]. Commode vero disputationem ab eo loco ordiamur,

1 Pauca tantum hic speciminis gratia afferam. Notum est, quam acerbe de Persio iudicarint *Scaligeri.* Quorum Iulius Caesar: *Persii stylus*, ait, *morosus, et ille ineptus, qui cum legi vellet quae scripsisset, intelligi noluit, quae legerentur* (hypercrit. p. 838. cf. ars poet. III, 97. VI, 6). Iosephus vero ita: *Persius affectavit obscuritatem et caecus dicitur a poetis, Luciliano more scribit. C'est un pauvre poete, le quel pourtant nous entendons tout* (Prima Scaligerana p. 125). Idem: *Persius miserrimus auctor, obscuritati studet: non pulchra habet, sed in eum pulcherrima possumus scribere* (Scaligerana p. 184), quae ultima quo spectent non est dubium, nam idem alio loco (Scaligerana p. 45) dicit: *Au Perse de Casaubon la saulce vaut mieux que le poisson.* Ipse vero Casaubonus quanti fecerit Persium suum, nemo nescit. Contra Dan. Heinsius in libro

ubi Persius ipse se Lucilii, Horatii, atque antiquae comoediae Atticae illustria exempla aemulatum esse praedicat, idque quatenus valeat paullo accuratius dispiciemus.

Atque de Lucilio quamquam post novissima VV. DD. studia [1] paulo certius potest iudicari et in universum

de satyra Horatiana, in quo multa insunt ingeniose disputata, in Persium severam quamquam magnam partem haud plane iniustam censuram agit, cf. I p. 66. 70. II p. 227 sqq., ubi inter alia haec leguntur: *Sed quid illo agas, qui se cachinnonem vocat, quod non potest esse stoici? qui, si diis placet atque hominibus, splenis sui immodestiam commendat? quod ne quidem boni viri est, tantum abest, ut ad satyrae festivitatem requiratur. Statim enim in principio ita de se ipse:*

Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

Quare tantopere ab antiquitate commendatus autor nec promittit, quod debet, neque quicquam minus praestat, quam quod promisit: et si praestitisset, satyrae Horatianae lepidam festivitatem ac urbanam, ea petulantia, quam in se praedicat, transgressus esset: citra cuius leges, natura imperante et genio, consistit. Sed hoc plane est μειραχιώδες et indignum, cuius habeatur ratio. Nondum enim iudicium formaverat et interpretationem iudicio subiecerat: quae parere hic, non imperare debet. Unde et maxima ex parte obscuritas: quae plerumque ab imbecillitate aetatis aut ingenii aut defectu sermonis proficisci solet. In quibus quamquam quaedam declamatorem sapiunt, multa tamen recte se habent; idem ubi per singula Persii sermonem taxat (II p. 231 sqq.), permulta quidem aperte cavillatur; quaedam tamen recte monet. Neque multo honorificentius Königius (de satira Rom. p. 40 sqq.) et Manso (Charakt. d. vorn. Dichter p. 81 sqq.) de Persio iudicant. Longe aliter iudicavit de poeta nostro, quem maxime fecit, Passovius, qui sententiam suam iuvenis tunc et a Schlegeliorum maxime disciplina recens fusius explicavit (p. 88 sqq.), et cum eo in plerisque consentit G. E. Weberus (Emigrant u. Stoiker p. 167 sqq.). Notandum est etiam Meisteri iudicium, qui miro quodam amore atque impetu Persium amplexus est, et eo, qui amatores decet, enthusiasmo de eo iudicavit. Idem, si nimium detrahas, quaedam acute et eleganter disputavit. Huc pertinet ultimum eius opusculum (Letzte Studien über A. Persius Flaccus. Lips. 1812), diss. I et II. Nuper G. Bernhardy (Grundriss d. Röm. Litt. p. 247 sq.) breviter acerbam de Persio sententiam tulit; neque mitius iudicavit, qui Persium cum Horatio comparavit Reinius (disp. de studiis hum. p. XXXII. Ger. 1839), quamquam is leviter rem tetigit. Librum a Dübnero laudatum Cherbuliezi, Essai sur la satire Latine (Genev. 1829), non vidi.

1 Post Dousae curam neglecta fere iacebant Lucilii fragmenta, donec hisce annis VV. DD. studium suscitarunt. Cf. I. A. C. van Heusde studia critica in C. Lucilium poetam. Trai. 1842.

imaginem eius nobis possumus conformare, multum tamen abest, ut vel ea omnia, quae de eo tradita sunt, accurate pertractata habeamus, nedum multa desideremus ad plenam poetae memorabilis cognitionem. Quae certo ad Persium referri possint pauca sunt. Schol. notat, satiram tertiam translatam esse ex Lucilii libro quarto, ubi divitum luxuriam et vitia castigaverit. Atque ad hoc argumentum spectant quaedam eius libri fragmenta, quorum tamen nullum ita comparatum est, ut ad Persium referri possit, neque omnino accurata illa schol. adnotatio esse potest, cum Persii satira III in longe alio argumento versetur, atque divitum luxuria castiganda: quare si forte uno alterove loco Lucilium respexit, totam satiram ad eius exemplum expressam esse, non est verisimile. Verum non sine fructu longior Lucilii locus de virtute, quem servavit Lactantius (I. D. VI, 5, 2. frgm. inc. 1), cum iis comparabitur, quae in eadem satira disputat Persius (III, 66 sqq.), quos versus, quia in commentario integros apponere omisi, hic exhibeam. Sunt vero tales:

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimus rebus adesse;
Virtus est hominis, scire id, quod quaeque habeat res;
Virtus scire, homini rectum, utile, quid sit honestum,
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum.
Virtus, quaerendae finem rei scire modumque,
Virtus, divitiis pretium persolvere posse,
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur honori;
Hostem esse, atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,

A. Petermann, de C. Lucilii vita et carminibus. Vrat. 1842. H. Schoenbeck, quaestt. Lucilian. part. Posn. 1841. Varges, spec. quaestt. Lucil. in mus. Rhen. a. 1835 p. 15 sqq. Lucilii frgmm. l. III ed. Varges. Stett. 1836. De Lucilii frgmm. l. IX disp. Schmidt. Berol. 1840.

Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum;
Commoda praeterea patriae sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

Videbis in Persii verbis eundem esse sensum atque animum expressum, sermonem, praeterquam quod stoica philosophia tincta est (virtutem non nominat, sed causas rerum), multum diversum esse a simplici, prolixo, at cum concinnitate vim quandam generosam coniungente Lucilii sermone. Gravius est, quod de prima Persii satira refertur. Nam quod in vita antiqua legitur: *Sed mox ut a scholis magistrisque divertit, lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit, cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis culpaverit* — haec igitur ad primam satiram spectare manifestum est. In hac enim primo, in prologo, sibi detrahit [1], deinde in poetas et oratores sui temporis ipsumque Neronem invehitur, quod de ceteris satiris non valet. Itaque illam Luciliani libri imitationem ad hanc potissimum referemus. Fuit autem Lucilii satira in ea re quoque occupata, ut poetas castigaret, tam Graecos, sicut Euripidem taxat apud Gellium (VII, 3), quam Romanos. Notavit hoc praecipue Gellius (XVII, 21): *Neque magno intervallo postea Q. Ennius et iuxta Caecilius et Terentius ac subinde Pacuvius, et Pacuvio iam sene Attius, clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit*, ubi magnam in hac censura Lucilianae satirae partem posuit, cuius restant etiam alia vestigia. Clarissime Horatius (sat. I, 10, 52 sqq.):

Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?

1 *Detrahere* alicui, i. e. irridere, cf. schol. I, 58: *(Iano) nemo per absentiam detrahere potest.*

Ennianum versum a Lucilio reprehensum commemorat Servius (ad Virg. Aen. XI, 601), Pacuvium non abiisse illaesum docet vel versus apud Nonium (s. v. *exordium*, fr. XXIX, 63): *Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio*, atque ad eius Dulorestem Lucilii versum (apud Prisc. X p. 907, fr. XIX, 8): *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste*, retulit Naekius (opp. p. 105 sqq.), qui alios quoque Lucilii locos similis argumenti ingeniose tractavit. Talem censuram in libro decimo potissimum a Lucilio factam esse possemus iam coniectura assequi, nisi exstaret disertum testimonium apud schol. Hor. sat. I, 10, 52: *Comis Lucilius propter urbanitatem dicitur et mutat pro eo quod emendat positum est. Facit autem Lucilius cum alias, tum vel in tertio libro, et nono et decimo.* Inde igitur ad primam satiram componendam animum sumsisse videtur Persius. Neque negligendum, dici Persium Luciliani libri initium imitatum esse, unde Heusdius (l. l. p. 177 sqq.) coniecit, Lucilium quoque a se ipso vituperando initium fuisse, ut alios deinde carperet. Iam schol. ad I, 2 annotavit, hunc vs. sumtum esse de Lucilii primo, quod ad vs. 1 potius pertinere iam animadversum est. Sed mihi quidem persuasum est, intelligendum esse non Lucilii librum primum, sed decimi initium. Quod si omnino imitatus est Persius, quaeritur, num fortasse id quoque a Lucilio sumserit, quod prologum choliambis compositum satirae versibus hexametris scriptae proposuit, quod ab usu praefationum, quas pedestri sermone carminibus praemissas a Martiali, Statio aliis legimus, et a Seneca atque Thrasea scriptas esse verisimile est (Quint. VIII, 3, 31), aliquatenus tamen recedit. Iam considera mihi Petronii locum (sat. 4 sq.), ubi Agamemno, postquam de perverso parentum atque magistrorum studio in erudiendis puerorum ingeniis dixit, haec addit: *Sed ne me putes improbasse schedium* [1] *Lucilianae improbitatis, quod sentio, et ipse*

1 Cf. Apul. de deo Socr. p. 364 Elm.: *Sed ut me omnifariam*

carmine effingam. Et tum sequitur parvum carmen, quo exprimitur, neminem ludicris artibus, sed severis tantum ac diuturnis studiis ad litterarum arcem pervenire. Hoc autem constat quatuordecim vss. hexametris, quos praecedunt octo choliambici. Vides in simili materia, eadem metrorum coniunctione uti Petronium ac Persium, atque addito Lucilii nomine, quare mihi quidem in hac quoque re Lucilium secutus esse videtur Persius [1]. Denique alterum quoque primae satirae locum notavit schol. (I, 27), qui ex Lucilio expressus sit. Quamquam igitur in hac prima satira in Lucilio imitando studium posuisse videtur, — et videbimus infra, omnium maxime eam ad Lucilianum charactera accedere, — tamen in universum statuenti summam inter utrumque diversitatem intercedere appareat necesse est, et Persius ita potissimum eum secutus esse videtur, ut ingenuo eius virtutis amore et erga malos infesto animo, quos summa cum libertate castigabat, cui cognatum animum suum sentiebat, ad satiras incenderetur. At vero Lucilius inde a iuventute in belli pacisque negotiis multum versatus, summis reipublicae ducibus amicus, iis temporibus vitam agebat, quae quamquam moribus iam corruptis dubium excitarunt, an urbs Roma aeterna futura esset, tamen liberam videbant rempublicam et vigentem; contra Persius scholae in umbra nutritus, a republica alienus, quam oppressam vidit longa iam tyrannorum serie, cum optimis viris in stoicae philosophiae adytis refugium quaesivit. Quantopere diversum fuit ingenium eius mite et disciplina severa triste a Lucilii festivitate iocandique libertate, quam in eo laudant antiqui (cf. Heusdium l. l. p. 85 sqq.). Itaque sermo huius, qui facili ingenio promptus,

noveritis, etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio et incondito experimini, an idem sim repentinus, qui praeparatus. Lucilii verba habuisse videtur Fest. s. v. *schediae*, cuius verba nimis lacera sunt, quam ut certo agnosci queant.

1 Cf. de Petronii loco van Heusde (l. l. p. 311 sq.), qui Persii non memor fuit.

in hora saepe ducentos stans pede in uno dictabat versus, incompositus et nimis saepe rudis, at fervidus et quamvis gracilis tamen non aridus [1], mirum quantum distat a sermone Persii, qui raro ac tarde scripsit, atque insolita captans audacissimis translationibus gaudet, et dum brevis esse laborat atque fortis, modum excedens obscurus fit.

Certius de Horatio iudicium ferre possumus, et si quando vere dici potest scriptorem aliquem alterum imitatum esse, valet id de Persio atque Horatio. Docent hoc vel ea, quae Casaubonus in Persiana Horatii imatione composuit. Scio, quae contra eam disputaverit Passovius (p. 108 sqq.), quam egregie monuerit de cautione, quae adhibenda esset, ne statim vel in levissimis imitationem quaeramus, et videntur multa a Casaubono in eum finem magis collata, ut Persii verba ex Horatio explicarentur, — verum tamen nullo modo negari potest, Persium sermonem suum in singulis ad Horatii exemplum conformasse, idque non inscium, sed volentem fecisse. Eo non tantum referendum, quod nomina adhibuit, quibus Horatius usus erat ad certas quasdam personas significandas, quod quaedam ab Horatio bene et egregie dicta simpliciter in rem suam vertit, nam utrumque iure suo facere potuit ita, ut proprium ingenium non corrumperet. Verum enim vero si accuratius attendas, ita rem comparatam esse videbis, ut Persius, cum sermonis originem ab Horatiano duceret, ita in singulis mutaret, ut quod Horatius acute et festive dixisset, id acutius etiam festiviusque dici posse putaret. Ita factum est, ut cum semper manerent vestigia Horatiana, tamen prorsus deleta sit facilis illa atque decora gratia,

1 Gracilem vocant Lucilium Varro apud Gell. VII, 14, et Fronto (epp. ad Ver. I p. 71 ed. Rom.), qui Albucium aridum nominat poetam, eundem, ut videtur, cuius Varro laudat libellos Luciliano charactere scriptos (R. R. III, 2, 17). Quod idem alio loco (epp. ad M. Caes. IV, 3) dicit: *Animadvertas — Lucilium in cuiusque artis ac negotii propriis* (*elegantem*), in eo potest quaedam cum Persio similitudo animadverti, de qua infra aptius monebitur.

et exorta aspera quaedam inaequalitas, quae quam alienae arbori Venusinae insitae sint fruges satis declarat. Atque hac in re paupertatem quandam ingenii et iuvenilem, experientia et usu nondum sui compotem factum, animum eius non possumus quin agnoscamus, qui cum laudabili studio ad optima quaeque ferretur, tamen non satis intellexit, quid potissimum et quatenus sequeretur, et cum ingenuo amore Horatium amplecteretur eiusque artem admiraretur, sui ipsius ingenii minus expertus iudex, totum se ad illum conformavit. Qua in re quantum temporum discrimen, ingeniique diversitatem non satis recte perspectam habuerit, nobis quidem patet, eoque magis miramur, quo melius Horatium ipse depinxit Persius (I, 116 sqq.). Scilicet Horatii mobile erat atque in rebus facili ac scita arte tractandis egregium ingenium, animus eius vitae variis casibus multum diuque versatus, qui nulli re plane deditus, nulli philosophiae totus addictus, illud nihil admirari assequi studebat, de rebus humanis, quas sibi subiungebat, eo verius iudicabat, quo maius studium adhibebat, ne nimium iis afficeretur, iram et odium a se removit, et hominum studia eo liberius risit, quo minus se iis capi sentiebat, ab amaritudine alienus, ad vitae utilitatem pleraque referre et quantum fieri posset in bonam partem interpretari solitus. Longe aliter Persius. Qui quamquam iis temporibus vixit, quae Romanos sub crudelissimis atque vesanis tyrannis abiecta adulatione morumque pessima corruptione perditos videbant, non ut Horatii aevo civibus intestinis bellis atque caedibus lassis securitatem et quietem promittebant, habebat etiam ingenium natura triste ac severum, quod stoica disciplina, quae eum totum sibi vindicaverat, magis etiam exacuit. Idem vero vitam usu non habuit cognitam, sed talem fere novit, qualem stoica disciplina repraesentavit, itaque non potuit ea animi tranquillitate atque serenitate frui, quae non nisi ei contingit, qui vitae tempestatibus diu iactatus animum firmavit, sed iuvenili impetu, qui nil

novit praeter odium atque amorem, ferebatur. Atque huic iuvenili studio, quod nunquam satis fortiter et fervide agi dicique posse putat, nimium illud debetur, quod ubique in Persiano dicendi modo animadverti potest, et ibi praesertim, ubi, ut iam monitum est, Horatianam facilem gratiam ad vim et acerbitatem deflectere conatur. Quamquam ad hoc studium augendum illud quoque contulit, quod nimiae mollitiei et luxuriae atque artis pueriliter ludentis ostentationi, quam tunc temporibus quam maxime regnare in litteris vidit, quavis ratione renitendum atque obluctandum esse putavit, qua in re et ipse cum aliis modum excessit.

Quod se exemplum Atticae comoediae antiquae principum secuturum esse promittit Persius (I, 123 sqq.), id quamquam non cum Passovio (p. 107) rhetoricam figuram et ex Horatii loco notissimo (I, 4, 1 sqq.) transscriptum dixerim, tamen ex simili errore natum videtur, quam quo satiram suam Lucilianae comparavit. Nam sequitur sane Horatii iudicium de rebus litterariis, sed quod Horatius dixit, Lucilium et ex parte se quoque ex comoedia antiqua pendere, quam verum esset, intellexit sane Persius, et cum horum exempla studiose aemularetur, etiam antiquam comoediam sequendam sibi esse non potuit eum fugere. Illa vera satirae Romanae cum comoedia antiqua cognatio, de qua tam multum disputatum est [1], si summam spectes, in libertate illa sive, ut Iuvenalis (I, 153) ait, simplicitate ponenda est, qua poeta si quem publice famosum videbat, notavit atque castigavit, nam privatae inimicitiae privatumve odium eo non pertinebant [2], quamquam facile potest intelligi, nec a privata cavillatione abstinuisse poetas. Tale poeseos genus non potuit excoli, nisi in libera republica, ubi nulla virtus valebat praeter publicam, ubi qui

1 Cf. Hermannus, de sat. Rom. auct. p. 28 sqq.
2 Discrimen hoc facile patebit Horatii satiras atque epodos comparanti.

corruptos mores ostendebat, rempublicam quantum in se corrumpere censebatur, ubi quisque rempublicam dictis factisve iuvare et defendere primum ultimumque officium censebat, et quodcunque existimavit libero ore eloquebatur. Quod censor in lustratione, orator in foro, id poeta in satiris persequebatur, quae a rustica petulantia et cavillatione ad iustum poema excultae, quaecunque se poetae circumspicienti obtulerunt, multa cum libertate notabant. Talis fuit Lucilii satira, qui equestri ordine natus, cum summis viris Scipione et Laelio amicitia coniunctus, eorum in republica administranda partes secutus, quovis modo eorum inimicos, quos prave in republica versari putabat, impugnavit et cruento dente laceravit. Idem quicquid animadvertit corruptum et depravatum, sive in morum luxuria sive in litterarum iudicio, aggressus est et ut publicum damnum igni ferroque sanavit. Qua in re quantum inter eius satiram et antiquam comoediam intercedat cognationis patet, et recte ab ea pendere potuit dici, qui inde potissimum hausit quicquid artis perfectioris et elegantiae ad rude Romanorum carmen expoliendum apportavit, quamquam multis aliis rebus et totius generis forma multum diversus [1]. Horatii neque ingenium, nec tempora libertatem patiebantur similem Lucilianae. Ipse enim multum abhorrebat a fervido et acri Lucilii ingenio, moderatus in omni re atque tranquillus, neque is erat reipublicae status, ut omnia ad eius salutem referre, malos cives clamore insectari, et omnino libera verba profari magis e republica

1 Omitto h. l. difficillimam et obscuram quaestionem de Rhinthonis comoedia hexametrica, quam teste Io. Lydo (de mag. I, 41) Lucilius secutus sit, cf. Reuvens, coll. p. 69 sqq. Osann, anall. crit. p. 69 sqq. Lorentz de reb. sacr. et artt. vett. Tarentt. p. 28 sq. Hermann. de sat. Rom. auct. p. 31 sq. v. Heusde l. l. p. 300 sqq. Petermann. l. l. p. 19 sq. Verborum *κωμῳδία* et *κωμῳδεῖν* latior significatio et liberior usus (cf. Meinek. hist. crit. com. gr. p. 527 sq.), unde apud seriorum temporum grammaticos, quibus nos utimur, praesertim ubi Romanae litterae cum Graecis componuntur, summa confusio orta est, hanc et similes quaestiones maxime implicatas reddunt.

esse videretur quam tranquillum vivere. Unde iam patet valde temperatam et aliorsum deflexam esse Horatii satiram. Verum Horatius si quis alius saeculi sui mores, virtutes atque vitia bene perspecta habebat, atque in satiris sui temporis, quod vita magistra prorsus cognoverat, verissimam repraesentavit imaginem. Quo minus vero ira et studio correptus erat, quo simplicius hominum stultitiam notabat, quo alienior ab omni nimio videbatur, quo clarius omnia, quae homines agebant, se perspexisse demonstrabat, eo magis hominum intima tetigit, animosque in se commovit. Neque quicquam est, quod magis veritatem Horatianae satirae comprobet, quam quod tam multorum, ut ipse refert, iram suscitavit. Nam ea satira maxime hominum animos pungit, quam veram esse confiteantur necesse est et ita comparatam, ut nec exaggerationis, nec intemperantiae scriptoris vel partium studii excusationem praebeat. Atque hoc cum quadret in Horatii tempus, non cadit in Lucilii. Nam in liberis civitatibus, ubi cum maxime flagrant partium studia atque certamina, nemo potest esse, si quidem in reipublicae luce viget, quin certae cuidam parti addictus eiusque studio accensus sit, ad cuius rationes omnia referat, cuius inimicos arceat et impugnet, et quia nemo quicquam valet, nisi qui in publico versetur, oritur ea inde sermonis libertas, quae quemcunque quasi publicum non quasi privatum notat atque perstringit. Iis vero civitatis temporibus, ubi plerique remoti sunt a republica administranda, cuius curam unus vel pauci gerunt, maior est hominis privati respectus, et qui publicam lucem non quaesivit, is in exemplum non nisi a malevolo et animoso se protrahi putat. A qua libertate cum Horatius, quamquam rem publicam non tetigit, non abstineret, inde non minus, quam quod tempora hominesque verissime castigavit, omnium fere studia in se convertit. Quodsi iam quaerimus, quatenus Persius in satiris suis vel antiquam illam libertatem servaverit, vel sui temporis

veram atque vivam imaginem exhibuerit, id attentius considerati facile apparebit, aliter iudicandum esse de prima eius satira atque de ceteris.

In harum enim quinque satirarum unaquaque Persius sententiam aliquam e disciplina stoica desumtam exponit ita, ut in scholis eas tractari didicerat. Hoc facillime perspicitur in satira quarta, quam totam a scholastica institutione pendere, vel ex imitatione dialogi Platonici patet, e quo primum exemplum, quo sententiam suam illustrat, penitus et saepe ad verbum expressit [1]. Nam summam huius satirae esse, ut exemplis illustretur ista sententia, plerosque homines, sua vitia cognoscendi operam fugientes, aliena insectari, suo loco monitum est. Neque aliter se res habet in ceteris. Quinta quidem, quae tota in eo versatur, ut Stoicam libertatem vindicet atque explicet, quam sit apta ex Stoicorum disciplina apertum est, cum praesertim initio Cornutum alloquatur, eique se ostensurum promittat, doctrinam eius se toto pectore atque animo combibisse. Ut in hac, ita in secunda quoque et sexta amicos alloquitur, quod cum in secunda ita faciat, ut Macrino diem natalem gratulaturus, quo potissimum diis preces offerri solebant, ab eius integritate et probitate disputationis de variis hominum circa preces erroribus [2] telam exordiatur, et ita quandam tamen inter eius personam cui satiram inscripsit satiraeque argumentum coniunctionem appetat, in sexta allocutio ad Bassum nihil esse videtur nisi amicitiae testatio, neque cum argumento satirae, quae de pravis inter homines de divitiis opinionibus pervulgatis

1 Omnino videtur mihi haec satira omnium prima a Persio scripta esse. Non solum scholam maxime sapit, sed omnium apertissime nimium illud etiam in obscoenis depingendis demonstrat, quod parum adulti necdum firmati satis ingenii signum esse vidimus. Denique vide an illud quoque commemoratione dignum sit, quod in hac potissimum satira Virgilianae imitationis vestigia quaedam animadvertuntur (cf. v. 4. 39 sqq. 44.); Virgilium enim in scholis praesertim lectitatum esse constat.

2 De precibus veterum scripsit Lasaulx in ind. lectt. Herbipol. a. 1842.

agit, ullo modo coniuncta esse videtur. Et omnino in hisce tribus satiris, quod ad amicum initio loquitur, id nullam vim exercet in rationem modumque, quo argumentum tractat, sed tanquam quaedam praefatio disputationi in se absolutae praemittitur [1]. Tertia quoque satira, quamquam tale argumentum habet, quod latius in diversas partes evagari sinat poetam et saturae speciem exhibeat, profecto tamen quam maxime est ex stoicorum disciplina, indeque hominum desidiam taxat, qua, cum sua vitia haud ignorent, meliusque quoddam sequendum esse intelligant, tamen deteriora amplectantur propriosque defectus emendare negligant. Atque haec argumenta Persius, quamquam ea re satiricum se professus est, quod vitia potius hominum et perversitatem insectaretur, quam simpliciter verum quid sit doceret, ita tractavit, ut talia Stoici in scholis tractabant [2]. Hi enim ad ethicam maxime philosophiae partem

1 Praeivit hunc amicos alloquendi morem etiam Lucilius, quem praeter Albinum etiam Aelium Stilonem et Fundium allocutum esse constat (v. Heusde l. l. p. 255). De Horatio res nota. Epistolas hasce Persii satiras potius nominari voluit Casaubonus, vetuit Morgensternius (de sat. atque epist. Hor. discr. p. 52 sq.).

2 Quid quod stoicis ethicam doctrinam versibus comprehendere haud insolitum fuit; v. quae composuit Meinekius (hist. cr. com. gr. praef. p. IX sqq.). Talia quin in Persium vim quandam habuerint, vix poterit dubitari, quamquam iam accuratius de ea re nihil licet definire. Illud vero animadversione dignum, quod hi quoque dialogi forma saepius usi sunt. Pertinet enim hoc ad explicandam Persiani dialogi rationem, de qua Passovio praeeunte paucis monuimus (ad 1, 44 p. 89). Quodsi ita dialogum instituit, ut adversarium sibi fingat non eum, qui certam personam agat hominemque quendam repraesentet, sed qui omnia ea, quaecunque impugnat, comprehendat, simile quid in hisce dialogis philosophicis locum habuisse videtur. Neque tamen negligendum est, dialogicam formam propriam esse satirae Romanae, et sicut omnis fere apud eos popularis poesis alterna amabat (cf. Munck, de fab. Atell. p. 4 sq.), ita prae ceteris satira, quod in omnibus satiricis poetis licet observare. Ennius inter alia Mortis atque Vitae colloquium satiris inseruit (Quint. IX, 2, 36), quod congruit cum illo Cleanthis *Θυμοῦ* et *Λογισμοῦ* dialogo (apud Galen. de Plat. et Hipp. I p. 140 B. Meinek. l. l. p. XII). Lucilium non abstinuisse dialogo videntur fragmenta demonstrare; Horatius et Iuvenalis quanta cum libertate hac forma usi sint, patet;

conversi, singula eius praecepta disputationibus ita explicare solebant, ut ad vitam quotidianam respicerent et exemplis inde vel ex historia petitis rem propositam illustrarent planamque facerent, sicut ex Arriani disputationibus optime potest cognosci. Eorum exemplum presse secutus est Persius, et cum eorum doctrinam profiteretur, non iam Lucilium, Horatium, antiquamve comoediam auctores ita aemulatus est, ut ad suum tempus applicaret haec dogmata atque ea ex suae aetatis morum hominumque accurata beneque intellecta cognitione ea illustraret et ita sui aevi veram, quamquam Stoici oculis conceptam imaginem exhiberet, sed ita scholae vinculis obstrictus erat, ut non nisi in universum disputaret exemplisque uteretur, quae non ex ipsa vita intimaque cum hominibus consuetudine hauserat, sed qualia, vitiorum et virtutum, non certi temporis hominum imagines, schola praeparavit. Itaque hac in re gravissimum inter Persium illosque viros iure ponemus discrimen, quod eum schola docuit, non vita, quod illi aevi, quod eos procreaverat, populique sui studiis et odiis, vitiis et virtutibus, imbuti et nutriti, veram vitam vixerunt et repraesentarunt, hic umbram sine sanguine et nervis. Docent hoc exempla, quae profert Persius e vita communi maximam partem petita, quae quamquam egregie et subtili arte fere delineata et depicta sunt, tamen non certi temporis nec certorum hominum nota insignita sunt, sed generis fere cuiusdam quasi abstractas imagines referre videntur. Neque ubi certum nomen promittere videtur, poetae certam quandam imaginem ante oculos versatam fuisse, accuratius re considerata verum id esse inveniemus. Partim enim haec nomina ita posita sunt, ut nihil accuratius iis significetur, sicut ICti *Caium* vel *Seium*, philosophi *Dionem*, *Theonem*, *Socratem* appel-

Persius omnium frequentissime et singulari modo dialogum adhibuit, idque ex parte hac apud stoicos non inaudita poeticis dialogis docendi ratione explicari posse videtur.

lant, ad quemlibet hominem significandum (cf. Plut. qu. Rom. 30. Iuv. IV, 13. Lob. ad Phryn. p. 58. Bekker. ind. Sext. Emp. s. v. *Δίων*). Huc pertinent Persii Staius (II, 19), M. Dama (V, 76 sqq.), Stadius (VI, 66), neque alio referendi videntur Ergenna haruspex (II, 26), atque etiam Vettidius avarus (IV, 25) et Vulfennius ingens (V, 190), quos si forte vere sibi cognitos carminibus inseruit poeta, in hac quaestione nihil aliud significant, quam exempla avari aut stolidae cum arrogantia coniunctae ignorantiae. Proxime ad hos accedunt, quae ex historia notissima posuit nomina, ut Crassum (II, 36), Brutum (V, 85) et longe diversum ab hoc Bathyllum (V, 85). Neque aliter se habent nomina, quae vel a Graecis, ut a Menandro Chaerestratum et Davum (V, 162 sqq.), et quantum videtur Baucim (IV, 21) [1], vel ab Horatio desumsit, quae sive veros homines significasse notum est, ut Craterus (III, 65), Licinus (II, 36), sive ad quosnam referenda, an prorsus ficta sint, incertum, ut Nerii (II, 14), Nattae (III, 31), Crispini (V, 126), Bestii (VI, 37), apud Persium non homines, sed hominum genus significant, et inter illa scholastica exempla iure numerari possunt. Iam perpauca restant nomina, quorum alia ratio sit. Primum quidem, quod Masurium, sui temporis celeberrimum ICtum nominavit (V, 90), potuit eodem iure quemcunque alium vocare, neque quicquam in eo nominando acuminis satirici potest deprehendi. Quare inde quoque apparet, quam parum referat scire, ea nomina, quae antea enumeravi, utrum ficta sint, necne, cum eodem modo posita sint. Aliud vero est, cum Messallae lippam propaginem commemorat Persius (II, 72), nam ibi apertum est non quemlibet e patriciis eum nominasse, sed indignatione iusta eum notasse, quem vidit illustrem merita avo-

1 Quamquam undenam sumpserit hoc nomen non constat. Casaubonum, qui incaute pronuntiavit, Callimachum in libro, cui titulus *αἴτια*, Baucidis mentionem fecisse, redarguit Ruhnkenius ad Call. p. 580.

rum gloria familiam luxurie et dira adulatione infamantem, et augebat sine dubio indignationem, quod huic Aurelio Cottae annuam pecuniam, ut ait Tacitus (Ann. XIII, 34) statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipasset. Neque alia de causa Glyconem tragoedum nominavit (VI, 2), nisi ut ipsum et populum atque principem, qui eum nimio favore prosequebantur, notaret. Itaque verisimile sane est, eum Parthi vulnera (V, 4) inter carminum argumenta eam potissimum ob rationem nominasse, quia Corbulonis victoriae insanas erga Neronem adulationes provocarunt. Docet hoc Tacitus (Ann. XIII, 41): *Ob haec consalutatus imperator Nero et senatusconsulto supplicationes habitae, statuaeque et arcus, et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur.* Quibus non defuisse poetas, qui magnificis verbis celebrarent, licet coniicere: quos hic perstrinxit ita, ut simul vanam Romanoque nomine indignam adulationem notaret. Aperte ridiculum illum Caligulae de Germanis triumphum ridet (VI, 42 sqq.), ubi quasi aliud agens memoriam eius iniicit et mimum illum egregie depingit eaque ironia operam, quam in singulis parandis adhibuerit Caesonia, quasi egregium aliquid magnificumque fecerit, perstringit, ut iure eum locum inter optima numeres, quae apud Persium leguntur. Haec vero res quamquam Persio admodum puero accidit, potuit tamen facile eius animo inhaerere, ut sponte memoria succurreret, praesertim eo tempore, quo si non triumphi tam ridiculi agebantur, similis vanitas et iactatio haud rara erat. Haec igitur ita comparata sunt, ut vere temporis sui vitia spiritus dedisse poetae satiramque dictasse videantur. Attamen haec verae satirae vestigia tam rara sunt, ut eo clarius appareat, satiras hasce, ut iam diximus, quam maxime disputationes esse e stoicae philosophiae scholis prognatas.

Multum ab his diversa est prima satira, in qua cum corruptum litterarum statum notaret, debebat sane auditoria philosophorum relinquere ipsamque vitam quaerere, ut satirae officium expleret. Quod vere eum fecisse, et tam eorum, qui tunc temporis litteras tractabant, quam eorum, qui audiebant et iudicabant, pravitatem egregie atque ad verum depinxisse non potest negari. Nihil mirum vero, quod ceterum vitae haud expertum litterarum conditio misera tam graviter commovit, ut in hac tractanda verum se praestiterit satiricum: nam in his habitabat, has bene cognitas amabat, neque pravam illam atque turpem corruptionem non poterat animadvertere. Vera, quam agebat vita, non versabatur in republica, sed in hisce litterarum studiis; itaque hic vere atque intimo animo sensit verumque percepit dolorem, cum ea profanata videret, quae ipse sancte colebat. Hoc non tam iuvenilis Persii aetas effecit, quam temporum, quibus vivebat, ratio. Nam ubi a republica removetur populus, neque eius cura virorum animos occupat, ad litteras colendas studia se convertunt, et quod antiquis reipublicae temporibus levius nec satis dignum Romana gravitate videbatur, scribere et versus pangere, id sublata libertate maiore semper cura agebatur. Ita hoc liberalium artium studium celeriter ad inanem iactationem et ostentationem puerilem vertebatur, qua sine ingenio vere poetico sola versuum pangendorum artificii gloria gaudebant atque imperitissimi cuiusque laudem indigne captabant. Quare satira quoque a rebus publicis ad litteras potissimum convertebatur. Id quod in Horatio iam potest animadverti, qui quamquam in universum aevo suo non parcit, nusquam tamen gravius commovetur, et acrius veriusque satirae suae aculeum intendit, quam ubi de litterarum conditione agit, neque quemquam potest fugere, ea in re summam Horatii vim atque auctoritatem esse positam. Magis etiam hoc valet de Persii temporibus atque satira. Nam magis etiam incaluit illud scribendi studium, recitandi furor,

rhetorica institutione magis corrumpebantur iuvenem studia, et auditorum ineptae laudes quovis etiam pessimo artificio quaerebantur. Itaque huc potissimum, cui ad rempublicam non patebat accessus, verti se debebat Persii satira [1]. Statim ab initio corruptum, quod tunc Romae vigebat, iudicium aggreditur, cui nulla fides haberi possit, et acerbe canitiem illam accusat, qua omnes ante tempus effoeti et debilitati senescant (v. 9. 22. 26). Quam vere hoc dictum sit, quam recto iudicio hanc mali causam designet, vel nostris temporibus, si magnarum urbium illustria exempla spectamus, agnosci potest. Scilicet in urbe terrarum domina cum litteris et artibus egregiisque ingeniis inaudita luxuriae mollitiaeque instrumenta et perditorum hominum ingens multitudo confluebat et animos et corpora frangebat atque enervabat. Iam in tanto artium studio, in tanta litterarum undique congestarum abundantia, etiam mediocri ingenio praeditus vix poterat, quin harum rerum quandam cognitionem et iudicii certe speciem sibi pararet. Quo maior autem eorum fiebat numerus, qui artificii usum callebant atque intelligentes sibi videbantur, cum procreare nihil possent, eo magis ingenii vis et vigor et pulchri nativus atque incorruptus sensus rarescebat atque exstinguebatur. Ars quaerebatur in ludicris et exquisitis; quo quis maiorem in externa forma leviganda et expolienda curam affectabat et ostendebat, eo magis probabatur ab iis, qui haec laudando, quantum in arte intelligerent, probabant et non magis poetae artem quam ipsorum iudicium laudibus ornabant, nisi forte eo intelligentiam demonstrare amabant,

1 Fortasse miretur quis Iuvenalem, qui mores publicos potius, quam litterarum conditionem taxaverit. Verum non negligendum est, eius satiram magnam partem esse, ut ita dicam, historicam, et praesens tempus castigare imagine praeteriti, quod ipse indicat, dum dicit (I, 170 sq.).

Experiar, quid concedatur in illos
Quorum Flaminia legitur cinis atque Latina.

Sed eius satirarum non unum est genus atque ratio, quod hic non licet amplius persequi.

ut antiquos tantum aestimarent, et prisci temporis veternum unice amarent. Atque in tali poetarum proventu, cum quotidie nova proferrentur, non potuit quisquam laudem sperare apud eos, qui luxurie nimis iam satiati erant, nisi inaudita procrearet, quibus torpentes animos suscitaret. Etenim quid verum esset et ingenuum, nemo iam quaerebat. Nam ut corpus nimia libidine et mollitie diffluit et ante tempus senescit, ita animi quoque fracti atque enervati spernebant virilia et robusta, ad mollia tantum et effeminata turpiter exsultantes. Itaque huic tam corrupto populi iudicio quovis modo blandiebantur, qui carminibus vanam gloriam affectabant, quorum nullo deo calebat pectus, nec vero impetu agitabantur aut serium studium adhibebant, sed omnem curam in ea re ponebant, ut versibus luxuriante arte compositis populi laudes assequerentur, cuius aures vocis artificiosa dulcedine et modulatione delenirent, denique oculos quoque specioso corporis ornatu caperent. Quid quod corruptis moribus turpi et ad libidinem usque effeminata mollitie assentari non erubescebant, neque adeo donis plausum sibi emere dedignabantur. Talem litterarum conditionem egregia descriptione Persius ante oculos nobis ponit, et tam populi corruptum iudicium, quo indigna et prava turpi et abiecto plausu excipiebat, quam poetarum perversum studium, qui imperitorum laudem magni faciebant et sollicite captabant, acerbe castigat, et ridet vanam iactantiam, qua quicquid susciperent, grandia [1] perfecturos se putabant, et versuum molliter componendorum facultate et artificio gloriabantur, quasi hoc poetam faceret. Quam vera haec descriptio sit, cum res ipsa docet, tum quae apud alios scriptores, Senecam potissimum et Quintilianum

1 Cf. v. 14. 68. Quantopere *grandia* tunc temporis affectaverint, lepida apud Senecam narratio docet (Suasor. 2 p. 19 Bip.): *Senecio fuit, cuius nomen ad vos potuit pervenisse, ingenii confusi ac turbulenti, qui cupiebat grandia dicere, adeo ut novissime huius rei morbo teneretur et rideretur; nam et servos nolebat habere nisi grandes, et argentea vasa non nisi grandia.*

legimus, quibus ea, quae Persius exhibet, confirmantur. Iam vero quaestio exoritur, num Persius singula quaedam exempla certa atque nota ante oculos habuerit, et num haec a nobis agnosci possint. Qua in re ab iis incipiamus, quos ipse nominat. Et Pedius quidem, qui furti accusatus, doctas in defensione figuras posuisse dicitur (v. 85), in quo et ipse, qui ne in capitis quidem discrimine ab inani illa ostentatione abstinuit, et populus notatur, qui artificium potius laudat, quam foedum crimen abominatur, non dubito, quin Pedius Blaesus sit a. 813 repetundarum damnatus, quamquam miro casu Horatius (sat. I, 10, 28) Pedium inter celebres causarum patronos nominat. Verum ita demum Persii locus vim et aculeum habet, neque alium intellexit schol., quod quamquam non accurate rem tradidit, repetundarum mentio docet. Atque hic Pedius, quamvis documento sit, sui temporis rem egisse in hac satira Persium, non tamen est scriptor, poetam autem vocat Attium, qui Iliadem composuerit (v. 50), quam intelligit alio quoque loco (v. 76). Antiquum illum Attium, quem v. 76 commemorat, non esse intellectum, omnia docent. Hunc vero eundem esse cum Labeone, cuius initio satirae (v. 4) meminit, docet schol., qui tradit, Attium Labeonem inepte vertisse Iliadem et Odysseam, et versum satis ineptum affert. Verum, ut docui (p. 148 n. 5) refertur haec notitia ad auctorem Fulgentium in libro etymologiarum, de quo aliunde non constat. Iam supra vidimus, quam suspectae is fidei sit, eumque ex Persio alios quoque scriptores finxisse, quare tota ista de Attio Labeone poeta notitia valde incerta esse videtur [1]. Et cum nullo alio testi-

1 Apud schol. ad v. 134 legimus: *Calliroe nympha fuit, quam Paris ante raptum Helenae habuit, quae deserta multum dicitur rupti amoris dulce flevisse consortium.* Haec alibi legere non memini, verum verba altius quiddam sonant quam pro illo schol. Quod vero addit: *Hanc comoediam scripsit Atines Celer puerili-ter*, primum nomen illud aperte corruptum est, deinde quomodo comoedia hoc argumentum tractaverit, haud facile intelligi potest. Equidem, quamquam praevideo, fore ut quibusdam nimis suspicax

monio constet eundem esse Labeonem atque Attium, quaeritur anne alius Labeo intelligendus sit, et sicut Polydamas et Troiades proverbialiter ex Homeri noto loco, ita Labeo ex Horatio (sat. I, 3, 82) assumtus sit. Qui hoc affirmavit Schindlerus (meditt. et observv. iurid. ad A. Persium spec. c. 3 p. 29 sqq.), id quoque obtinere studuit, Horatium non celeberrimum ICtum Antistium Labeonem notasse ut insanum, sed eundem, quem Persius, stolidum poetam Attium Labeonem. Atque haec quidem sententia erit mittenda, nec omnino, quemnam intellexerit Horatius, quaerere hic attinet. Satis est, Horatium Labeonis nomine ad insanum quendam notandum uti, quod simili ratione adhibuit Persius. Verum hoc ambiguum est: debebat tamen de Fulgentii fide dubium moveri; quod si iustum est, de Attio illo eiusque Iliade prorsus nihil notum est [1]. Ceterum Homerica argumenta ut frequenter omnino Romani poetae carminibus tractarunt [2], ita Persii quoque tempore Nero scripsit Troica, Lucanus Iliaca (schol. Stat. Theb. III, 642. VI, 312. cf. Stat. Silv. II, 7, 54). Gravissima autem quaestio oritur de iis, quae tanquam luculenta exempla mollis et enervati carminis affert Persius (v. 91 sqq.). Poterat sine dubio talia ipse effingere, quibus quasi quodam exemplo vitia repraesentaret, verum tamen non potest negari, maiorem vim habere satiram, et per se magis consentaneum esse, si versus poetae cuiusdam omnibus noti atque multum celebrati afferebantur, et effu-

in Fulgentii iniuriam videar, vereor tamen, ne haec quoque notitia ad Fulgentium referenda sit, ut etiam hic fraudem egerit, qui in comicis poetis proferendis mire sibi placuit. Unde illud nomen ortum sit, monstrare fortasse poterit schol. ad v. 93. Locum Suetonii (Domit. 10): *Occidit et Helvidium filium, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset*, huc pertinere non putaverim.

1 Cur Wernsdorfius (Poett. Latt. min. t. IV p. 578) Attium Labeonem multo antiquiorem Persio, ab eoque ob vetusta et obsoleta vocabula et asperam dictionem reprehensum putaverit, nescio.

2 Cf. Wernsdorfius Poett. Latt. min. t. IV p. 567 sqq. Osannus ad Apul. p. 29 sq. Merkelius ad Ovid. Ib. p. 375 sqq.

gisse ita poetam opprobrium, quasi ipse finxisset, quae notaret et rideret, qualia vere non extitissent. Iam cum traditum sit, esse hos versus Neronis, paucis videndum erit, num haec sententia firmis argumentis nitatur [1].

Incerta sunt et sibi contraria, quae in scholiis leguntur. Nam (ad v. 93) cum primum schol. dixisset: *Hi versus exempli causa proferuntur; non autem sunt Persii, sed poetae nescio cuius graecissantis,* postea adiungit: *Et dicit hos versus Neronis in haec nomina desinentes.* Similiter postea (ad v. 99) dixit: *Hi versus Neronis sunt,* postea autem: *Ipse autem Persius finxit hos versus velut alii dicunt, in aliorum imitationem.* Inde apparet, tres fuisse sententias, aut Persium finxisse hos versus, aut esse alius cuiusdam poetae, cuius nomen ignoraretur, aut denique Neronis. Hanc secutus est qui hos vss. tanquam Neronis laudat Myth. Vat. III, 12, 2. Quas ita in scholiis iuxta se positas esse, non mirabitur qui talium scholl. naturam consideraverit. Iam vero famam, Neronem a Persio notatum esse, pervulgatam fuisse, alia quoque docent, quae in scholl. leguntur, ut quod notatur (ad v. 29), Neronem tangi, cuius carmina, quia imperaret, per scholas celebrarentur, item (ad v. 3), Neronem intelligendum esse sub nomine Polydamantis, aut (ad v. 128) Neronem perstringi, quia inveheretur in tragoediographos, aut Iliadem (ad v. 121) esse potius Neronis Troica. Quamquam haec partim ita comparata sunt, ut putidam scholiastae rationem demonstrent [2], tamen famae illius veritas inde impugnari nequit,

1 De hac quaestione v. VV. DD. p. 108 laudatos. Neronis esse versus praeterea censuerunt Voss. inst. or. V, 5, 2. C. Barth. ad Stat. Theb. IX, 904. Reim. ad Dionem C. LXI, 20. Weichert. Caes. Aug. reli. p. 109.

2 In hunc censum veniunt, quod Nero dictus sit Polydamas, quia multis nupserit (ad v. 4), aut quod Persius Claudium et Neronem perstrinxerit, quia grandes aures habuerint (ad v. 120). Quod vero (ad v. 128) Nero tangi dicitur, quia invehebatur in tragoediographos, id recte quidem se habere non videtur, vide autem num fortasse aliud quid olim annotatum fuerit. Scilicet pertinet id ad verba poetae: *et lusco qui possit dicere: lusce.*

sed firmatur potius, quamvis ad explicanda Persii verba hic illic falso detorta sit. Omnium maxime huc pertinet, quod in vita narratur, Persium sibi primo mox omnibus detraxisse cum tanta recentiorum poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Inde Cornutum versum eius: Auriculas asini Mida rex habet, ita mutasse, ut nunc legitur, quod invenitur etiam in schol. (ad v. 120). Hanc narrationem, si recte intelligatur, nihil habere in se, quod offendat, monitum est in commentario (p. 113), nec externa argumenta, quae prolata sunt, multum valere, videbimus in disputatione de auctoritate huius vitae. Ex his omnibus apparet, quod traditum est de Nerone horum versuum auctore, non temere esse reiiciendum.

Nero [1] carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat (Tac. Ann. XIII, 3), et ad carmina promum eum carmina libenter ac sine labore composuisse narrat Suetonius (Ner. 52). Idem cum alii referrent, eum aliena pro suis venditasse, refutat hoc affirmans, se in manibus habuisse eius pugillares cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos, ita multa et deleta et inducta et superscripta fuisse. Quibus verbis Tacitum videtur respexisse, qui narrat (Ann. XIV, 16) Neronem, cum carminum studium affectasset, adhibuisse, quibus aliqua pangendi facultas, nec tamen insignis artis notitia. Hos cum eo consedisse et allatos vel ibidem repertos versus connexuisse, atque ipsius verba quoquo modo

Nero autem scripsit carmen probrosum in Clodium Pollionem turpem virum, cuius titulus *Luscio* erat; quid si hoc in mente habuisse Persium grammaticorum quis putavit (cf. Suet. Dom. 1)?

1 Cf. Reimar. ad Dion. Cass. LXII, 29. Burmann. Anth. Lat. I p. 461. Wernsdorf. Poett. Latt. min. t. IV p. 586 sq. Passov. p. 330 sqq. Held, add. ad litt. Rom. hist. p. 18 sq. Weichert, Caes. Aug. rell. p. 107 sqq. Welcker, Griech. Trag. p. 1463.

prolata supplevisse. Affirmat speciem carminum hoc docere, quae non impetu nec instinctu, nec uno ore fluerent. Videtur haec sane iniquior narratio, nam permulti poeticam facultatem non abiudicant Neroni (cf. Fulgent. myth. I p. 27 Munck.). Ceterum iuniores poetas eum collegisse notum est, quorum in numero fuerunt Lucanus, Nerva (Mart. IX, 26, 9 sq.), et eius exemplum poeticae studium apud multos provocasse consentaneum est, ut de Seneca narrat Tacitus (XIV, 52). Haud pauca diversa generis carmina composuit, inter quae fuerunt etiam parva quaedam lasciva et ludicra (cf. Plin. epp. V, 3, 6. Mart. l. l. cl. VIII, 70, 8). Ad ea referri posse videtur quod Plinius dicit (XXXVII, 3, 12): *Domitius Nero in ceteris vitae suae portentis capillos quoque coniugis suae Poppaeae in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succina appellando.* Lascivientis animi fuerunt etiam carmina probrosa, quibus Pollionem (Suet. Dom. 1), et Quintianum, mollem virum (Tac. Ann. XV, 49) proscidit, quo pertinet quod tradidit Suetonius (Ner. 24): *Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemiugem, quamvis id ipsum in rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset.* Permulta carmina, quae ad citharam cecinit, ipse videtur composuisse. Locum Philostrati (Apoll. Tyan. IV, 39) adscribam, qui docet, quanto tunc studio carmina eius accepta sint. *Ἐπὶ κῶμον ἔρχεται μεθύων ἄνθρωπος, οὐκ ἀγροικῶς τῆς φωνῆς ἔχων· περιῄει δὲ ἄρα κύκλῳ τὴν Ῥώμην ᾄδων τὰ τοῦ Νέρωνος μέλη καὶ μεμισθωμένος τοῦτο. — Ἀναβαλλόμενος οὖν ὅπως εἰώθει καὶ βραχὺν διεξελθὼν ὕμνον τοῦ Νέρωνος, ἐπῆγε μέλη τὰ μὲν ἐξ Ὀρεστείας, τὰ δὲ ἐξ Ἀντιγόνης, τὰ δ' ὁπόθεν γοῦν τῶν τραγῳδουμένων αὐτῷ· καὶ ᾠδὰς ἔκαμπτεν, ὁπόσας Νέρων ἐλύγιζέ*[1] *τε καὶ κακῶς ἔστρεφεν· ἀργότερον δὲ ἀκρωμένων ὁ μὲν ἀσεβεῖσθαι Νέρωνα ὑπ' αὐτῶν ἔφασκε, καὶ πολεμίους*

1 Cf. Pers. I, 35: *tenero supplantat verba palato.*

τῆς θείας φωνῆς εἶναι. Ibi intelligenda videntur carmina tragici argumenti, quae composuerat Nero, ut caneret ad citharam, et cum his conferenda sunt Suetonii verba (Vitell. 11): *Solenni convivio citharoedum placentem palam admonuit, ut et aliquid de dominico diceret, inchoantique Neroniana cantica primus exsultans etiam plausit.* Itaque quod narrat Dio Cassius (LXI, 20): *Ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος,* ad carmina eius referri posse videtur, et quod multi scriptores narrant (Tac. Ann. XV, 39. Suet. Ner. 38. Dio C. LXII, 18), eum in incendio Romae citharoedi habitu indutum *ἅλωσιν Ἰλίου* cecinisse, est sane verisimile fuisse hanc ab ipso compositum. Diversum autem sine dubio fuit carmen epicum, quod sub titulo *Troicon* composuit et quinquennalibus ludis a. 818 recitavit, cf. Dio C. LXII, 29: *Ὁ δὲ Νέρων — ἐπὶ τὴν τοῦ θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ θέᾳ κατέβη καὶ ἀνέγνω Τρωϊκά τινα ἑαυτοῦ ποιήματα.* Haec saepius commemorantur, v. Iuv. VIII, 221. Schol. Pers. I, 121. Pauca inde refert Servius, memoratum in iis esse Cynthium regem Troiae (ad Georg. III, 36), et Parin in iis esse exhibitum fortissimum, adeo ut in Troiae agonali certamine superaret omnes, ipsum etiam Hectorem. Qui cum iratus gladium in eum strinxisset, dixisse Parin, se eius germanum esse, idque allatis crepundiis probasse, cum adhuc habitu rustici lateret (Serv. ad Virg. Aen. V, 370, unde hausit Myth. Vat. III, 11, 24). Inde patet eum fabulam a tragicis excultam secutum esse (cf. Welcker, Griech. Trag. p. 472 sq.) Quot libros hoc carmen habuerit et quousque progressum fuerit narrando, non potest dici. Ceterum eum ad maiora quoque adspirasse et res Romanas carmine epico celebrare voluisse, supra iam narravimus (p. IX s.), maiora autem ab eo vix esse absoluta et perfecta iure coniicere possumus. Versus quidam eius servati sunt, qui ad quodnam carmen pertineant, prorsus incertum est. Schol. Lucani

(III, 261) affert hos versus Neronis e libro primo, non addito carminis titulo:

Quique pererratam subductus Persida Tigris
Deserit, et longo terrarum tractus hiatu
Reddit quaesitas iam non quaerentibus undas.

Seneca (Quaest. natt. I, 5) magnifice laudat hunc versum:

Colla Cytheriacae splendent agitata columbae.

Denique in Suetonii vita Lucani servatum est hemistichium:

Sub terris tonuisse putes.

Quodsi haec quae de Nerone poeta composuimus cum iis conferas, quae Persius quam maxime notavit, vides omnia ita convenire, ut fatendum sit, non potuisse eum aptius et illustrius exemplum eligere, in quo perversitatem temporum castigaret. Cum proceres, qui crudi elegidia dictant (v. 51), et Graece nugari soliti (v. 70 et 56) heroas sensus afferunt (v. 69), quorum versuum molles et artificiosos numeros celebrat populus (v. 63 sqq. 92 sqq.), quibus verum animi impetum et vigorem deesse queritur poeta, animo tibi repraesentas, nonne horum eximium exemplum esse Neronem concedendum est, quod Persio potissimum ante oculos versari debuerit? Adde recitandi studium, de quo tradit Suetonius (Ner. 10): *Recitavit et carmina non modo domi, sed et in theatro tanto universorum laetitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis litteris Iovi Capitolino dicata* (cf. Dio C. LXII, 29). Porro nota est cura atque diligentia, quam adhibuit Nero in voce artificiose excolenda, de qua idem Suetonius (Ner. c. 20, quae transscripsit Io. Saresb. pol. I, 7): *Terpnum citharoedum vigentem tunc praeter alios arcessivit, diebusque continuisque post coenam canenti in multam noctem assidens, paullatim et ipse meditari exercerique coepit, nec eorum quicquam omittere, quae generis eius artifices vel conservandae vocis causa vel augendae factitarent. Sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere, et clystere vomituque purgari et ab-*

stinere pomis cibisque officientibus, donec blandiente profectu, quamquam exiguae vocis et fuscae (cf. Dio C. LXI, 20 καίτοι καὶ βραχὺ καὶ μέλαν ὥς γε παραδίδοται φώνημα ἔχων), *prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares Graecum proverbium iactans, occultae musicae nullum esse respectum.* Unde illa foeda adulatio, qua divinam principis vocem venerabantur et pro ea sacrificabantur (Dio C. LXII, 26. Philostr. v. Apoll. Tyan. IV, 39). Quae omnia quam egregie concinant cum Persii descriptione non opus est ut moneam [1]. Iam versus, quos Persius affert, simillimos esse iis, quos a Nerone scriptos adhuc habemus, non potest negari: quare si omnia consideramus longe verisimillimum est, esse eos vere Neronis, praesertim cum diserte nominet *Maenada* et *Attin*, quae carmina, probabiliter ab ipso composita, a Nerone publice cantata esse scimus, quae igitur ad eum referri necesse erat. Quae contra afferri solent, haud multum valere videntur. Primum enim obiiciunt, vix credi posse eo usque audaciae processisse Persium, ut ipsius Neronis versus hoc modo traduceret, quod quam parum firmum sit, apparet. Nam ut taceam, quod Suetonius ut mirum et vel praecipue notabile tradidit (Ner. 39), nihil eum patientius quam maledicta et convicia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse, quod probat etiam Lucani exemplum, qui cum Neronem aemulatione incensus intemperantissime proscinderet, impune hoc tulit, et Pisonianae demum coniurationis particeps punitus est [2], ut hoc taceam, quis de ea re

1 Quid quod ad Persii (v. 56 sq.) verba: Nugaris cum tibi calve Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet? adhiberi possint Suetonii verba (Ner. 51): *Fuit — ventre proiecto.* Quod notat Schol. Lucan. (I, 53. 58. 59), Neronem fuisse calvum, credere vetat Suetonius (l. l.), nec dubito, quin Schol., qui Neronem a Lucano traduci sibi persuaserat, in animo habuerit Iuvenalis (IV, 38) *calvum Neronem*, qui tot errores procreavit. Verum hoc modo Neronem a Persio notatum esse, non possum mihi persuadere.

2 Cf. Suet. vit. Lucanus fortasse ideo quoque tantopere admiraba-

iudicet, quantum animi atque libertatis Persius, Cornuti et Paeti Thraseae alumnus, isque iuvenis sibi sumserit? Praesertim cum nesciamus, utrum publici iuris satiram statim facere constituerit necne: nam quod eam recitavit, id inter amicos eum fecisse verisimile est. Adde, quod praeterea, ut vidimus, multa libere notavit, quae non potuerunt non ad Neronem referri, atque audaciam illam satis iam testantur. Tum illud quoque affertur, si hi versus Neronis essent, nullam fuisse causam, cur Cornutus illa verba: *Auriculas asini Mida rex habet* mutanda esse censuerit. Quam causam tamen mihi videor intelligere. Scilicet aliud est, poetae alicuius ingenium et scribendi genus publice vituperare ut pravum nulloque modo probandum atque exempli loco versus ipsius afferre, quos omnes ab eo profectos esse norunt et ad probandum id, de quo cum maxime agitur, facere intelligunt, aliud ita de eo loqui, ut iniuria eum afficias. Quod quin faciat, qui aliquem asininas aures habere dixit, vel ex antiquorum iudicio minus sane in talibus delicato, nemo dubitabit et ipse Persius docere potest, qui id inter petulantissimas sannas refert (v. 59). Iam Persius quidem verbis illis nec Neronem, nec omnino certum quendam poetam, sed in universum pravum Romae iudicium notavit, ut sententiarum nexus docet; verum cum Neronem clare in iis, quae antecedunt, aggressus sit, facile potuit lector minus attentus, vel malevolus id ad Neronem trahere. Itaque recte Cornutus id mutandum censuit, quod in rudem illiberalemque iniuriam verti poterat, edendum vero, quod liberum etiam contra principem animum prodebat.

Quae cum ita sint, putabimus Persium fecisse, quod fere aliter facere non potuit, si vere litterarum conditionem eius temporis depingere voluit, idque exemplum potis-

tur Persii satiram, quod eam Neronis poeticam vituperare animadvertit, quamquam non oblitus fortasse, sua quoque studia tangi.

simum proposuisse, quo nullum aliud illustrius aut efficacius erat. Nam Nero ea vitia, quae maxime castiganda putavit Persius, in poetica exercenda et ostentanda repraesentabat, et cum omnium oculos in se converteret, dux erat atque signifer perversi eius studii, quo plerique tunc ferebantur. Neque tamen hoc ita interpretabimur, quasi haec satira contra Neronem potius scripta sit, quam ad universum studium castigandum. Nam sicut in ea insunt, quae cur ad Neronem potissimum referantur nulla causa est, ita nec ea, quae ad eum pertinent, ad eum solum pertinere putanda sunt, verum ut olim Persio ita nobis Nero clarissimum et gravissimum exemplum poeticae eius est, quam taxandam sibi sumsit Persius. Is in universum de litteris iudicium secutus esse videtur, quale ab Horatio pronuntiatum videmus, et cum videret, esse, qui nil nisi antiquos Romanorum poetas amarent atque venerarentur (vs. 76 sqq.), atque eorum adeo haud parvum esse numerum, qui rudes et inculti omne Graecarum litterarum studium, inprimis philosophiam, ut inane riderent et contemnerent (I, 127 sqq. III, 77 sqq. V, 189 sqq.), aut tanquam moribus Romanorum perniciosum abominarentur (ut Bestius ille, quasi Cato quidem redivivus VI, 37), ipse Graece doctus [1], Graecorum poetarum egregia et eximia exempla prae ceteris versanda et sequenda pronunciavit (I, 123 sqq.).

1 Non equidem intelligo, quomodo sibi persuaserit Passovius (p. 108), Persium Graecae linguae non fuisse intelligentem. Quod cum per se parum sit verisimile eo tempore, quo nemo vel paulum eruditus Graecae linguae cognitione carere potuit, tum in Persio prorsus incredibile est, qui, summa cura educatus, Cornuti graece doctissimi alumnus fuit et Graecos doctores tantopere praedicat. Docet autem vel Platonici dialogi imitatio (sat. IV in.), aut exemplum e Menandro potius quam e Terentio sumtum (V, 161 sqq.), eum Graecae linguae peritum fuisse. Quod Passovius monet, graecismos in Persii sermone frequentes aevi eius esse, neque probare, eum Graecam linguam tenuisse, ex parte quidem verum est, sed inveniuntur tamen, quae ipse ex Graeco transtulisse videatur, et parum quidem feliciter, quantum video, e. g. *incusum* pro *ἐμπαιστόν* (II, 52), subaeratum pro *ὑπόχαλκον* (V, 106), al.

Neque tamen eos probavit, qui, Alexandrinos potissimum secuti, reconditam quandam doctrinam et molles artificiososque numeros affectabant, sed antiquorum poetarum Graecorum virtutem scite et attente imitandam putavit [1].

Haec si vere disputata sunt, apertum iam est longe melius in prima hac satira quid satirici poetae esset intellexisse Persium quam in ceteris, nec iniuria eum in hac professum esse, se Lucilium, Horatium et antiquam comoediam aemulari. Cum satiras suas ipse non ediderit Persius, iure videtur dubitari posse, an cum illa scriberet, reliquas satiras in animo habuerit, neque ea potius, quae iam compositurus fuit. Ea vero, quae abiicienda fuerunt Cornuto tamquam incepta tantum neque perfecta, ad primam potius satiram accessisse, quam ad ceteras, coniicere licet, si, ut par est, statuimus, Persium, quem in prima satira melius iam tenere videmus, quid efficiendum sit, quam in ceteris, progressum fuisse in hac via, nec incertum animi rursus fluctuasse. Prima autem satira quin ultima ab eo scripta sit, non dubito. Demonstrat id tota ratio compositionis atque sermonis, quae, quamquam a vitiis non immunis, ceteris longe superior est, atque ingenium multo magis firmum certumque monstrat. Praeterea Pedii commemoratio, qui a. 813 damnatus est, et carminum Neronianorum Attinis et Baccharum, quae a. 812 cantata sunt, ad postremos Persii vitae annos nos ducunt.

Quod supra dictum est, Persium uti solere exemplis e vita communi petitis, quibus disputationem illustret, id accuratius est dispiciendum, nam in his eligendis, depingendis atque exornandis peculiaris quaedam ars atque virtus conspicitur [2]. Videmus autem eum mores, habitum ac

1 Haec h. l. breviter tantum indicari potuerunt, et sufficient haec intelligentibus. Ceterum cf. Manso, verm. Abh. p. 89 sqq. Paldamus, Röm. Erot. p. 39 sq. C. Passovius ad Hor. epp. XLIX sqq. et cuius egregia opera singula, quae ad hanc quaestionem pertinent, explorata sunt, Merkelius prolus. ad Ovid. Ibin. c. 2 p. 353 sqq.

2 Monuit de ea explicatius Meisterus, letzte Stud. p. 30 sqq.

sermonem hominum, maxime popularium, diligenti attentione bene perspectos habere et egregie per singula describere, ita ut eos, quos in exemplum affert, quasi vivos loqui et se gerere videamus. Itaque non contentus est in universum id genus hominum significare, sed singula ad vivum depingendo, quibus homines e populo affectus suos motibus, gestibus, corporis habitu, exprimere solent, cogitandi et loquendi rationem iis propriam imitando, plenam semper et vividam imaginem ante oculos nobis ponit. Ut paucis in re aperte exemplis defungar, vide aviam illam, quae pro infante vota suscipit (II, 31 sq.). Ad rem, quae ibi agitur, sufficiebat stulta illa vota significare, at poeta verissimam sane et lepidam imaginem proponit aviae, quae superstitionis plena infantem vario modo lustrat, manibus quatit, et tandem vota sua profert. Videmus omnia et audimus, tam bene singula tantaque cura depicta sunt. Neque tamen haec certa quaedam persona est, sed totum genus ea repraesentatur. Quanta veritate et quanta per singula subtilitate iuvenis illius desidiosi clamosique eius comitis, quorum exemplo utitur in satirae tertiae principio, imago depicta est, aut pueri, qui ut ludere possit et scholas fugiat, oleo oculos tangit (III, 44 sqq.), quam egregie hircosorum centurionum rudis et ut ipsis quidem videtur iocosa oratio expressa est (III, 77 sqq.). Illa Vettidii avari descriptio (IV, 25 sqq.), quacum componi possunt pauca verba Bestii (VI, 36 sqq.), quae totum hominem nobis ante oculum ponit, tam vivida tam in singulis ad verum expressa est, ut nihil possit magis. Et eiusmodi exempla permulta exstant apud Persium, quae eius in hominum moribus acute observandis et callide effingendis artem probant. Atque hic se offert memorabilis Io. Lydi locus (de mag. I, 41): *Πέρσιος τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν.* Quod sive ita intelligendum est, ut Persius Sophronem studiose legisse et imitatus esse dicatur, et Statii certe pater iuveni-

bus explicabat *Sophrona implicitum* (Stat. Silv. V, 5, 158), sive ut artem similem repraesentasse intelligatur, haud abs re erit, de hac mimica arte paullo accuratius disserere.

Mimus, ut ait Diomedes (III p. 488), *est sermonis cuiuslibet motus sine reverentia, vel factorum et turpium cum lascivia imitatio. A Graecis ita definitur: Μῖμός ἐστιν μίμησις βίου, τά τε συγκεχωρημένα καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων.* Hisce verbis [1] in universum mimorum cuiuscunque generis naturam describi patet, quae in eo potissimum posita fuit, ut vitae quotidianae et communis sermones et mores accurate imitaretur, ita ut nec ab iis abstineret, quae turpia essent et indecora. Hoc indicant etiam Euanthii (de fabula) verba: *Mimus ab diuturnitate imitationis vilium rerum et levium personarum.* Risum esse, qui hisce mimis captetur, quamquam non addunt grammatici, tamen apertum est. Duo autem potissimum mimorum genera fuisse Plutarchi locus docet (Plut. Symp. qu. VII, 8, 4), ubi cum quaenam conviviis acroamata adhiberi deceat quaeratur, post varias disputationes ita loquitur: *Οὐκοῦν μῖμοι τινές εἰσιν, ὧν τοὺς μὲν ὑποθέσεις, τοὺς δὲ παίγνια καλοῦσιν. Ἁρμόζειν δ' οὐδέτερον οἶμαι συμποσίῳ γένος· τὰς μὲν ὑποθέσεις διὰ τὰ μήκη τῶν δραμάτων καὶ τὸ δυσχορήγητον, τὰ δὲ παίγνια πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας οὐδὲ τοῖς τὰ ὑποδήματα κομίζουσι παιδαρίοις, ἄγε δὴ δεσποτῶν ἢ σωφρονούντων, θεάσασθαι προσήκει· οἱ δὲ πολλοὶ καὶ γυναικῶν συγκατακειμένων*

1 Paulum turbata sunt Diomedis verba, *sermonis motum;* ego certe non intelligo. Videtur legendum *sermonis cuiuslibet et motus sine reverentia* sc. *imitatio.* Nam in mimis cum sermone gestus potissimum, quod est *motus*, ad naturam repraesentabatur. Postea *et turpium* esse *etiam turpium* monuit iam Neukirchius (de fab. tog. p. 5). Quae quidam, ut Carpzovius (parad. stoic. Arist. p. 82), Bernhardy (Röm. L. G. p. 187) apud Diomedem (III p. 487 P.) legi aiunt: *Mimus effictor, quia vel intra vel extra scenam gesticulationes exercet, imitaturque dicta factaque moresque hominum et naturas cum lascivia*, in editione Putschiana non leguntur, alia vero non est ad manum.

καὶ παίδων ἀνήβων ἐπιδείκνυνται μιμήματα καὶ πραγμάτων καὶ λόγων, ἃ πάσης μέθης ταραχωδέστερον τὰς ψυχὰς διατίθησιν. Primum mimorum genus esse, quod in scena agebatur, et ad Caesaris maxime temporibus Romae regnabat, iam ὑποθέσεις nomen docet, quippe cum argumento fabulas sererent, et quae postea addun-tur [1]. Hos vero h. l. mittamus [2], de altero genere inqui-situri. Quamquam haec quaestio ea potissimum re implicata redditur, quod veteres scriptores inter utrumque genus non semper accurate distinguunt, et praesertim cum sce-nicum illud genus longe celebrius fuerit; accedunt pantomimi [3] quoque, saepe cum his commixti. Pertinet autem hoc mimorum genus, cuius nomen apud Plutarchum παίγνια de aliis quoque carminibus in usu fuit ludicris ut plurimum et lascivis (cf. Weichert. poett. Latt. rell. p. 38 sq.), ad scurrarum artificia. Scurrarum enim multiplex genus [4], quibus delectabantur divites in coenis potissimum, inter varias artes, quibus risum captabant, mimicam etiam exer-cebant. Cuius originem et usum, quamquam omnino Italiae et Graeciae populis pronum ad eam ingenium est, apud Siciliae et magnae Graeciae incolas potissimum quaeremus, nam Dorica praesertim stirps ad eam inclinabat (cf. Böttig. opp. p. 332 sq. Grysar de com. Dor. I p. 18 sqq.) atque

1 Cf. Sext. Emp. adv. math. I p. 272 Fbr. p. 658 Bekk.: *Πλάσμα δέ ἐστι πραγμάτων μὴ γενομένων μὲν ὁμοίως δὲ τοῖς γενομένοις λεγομένων, ὡς αἱ κωμικαὶ ὑποθέσεις καὶ οἱ μῖμοι.* Quint. V, 10, 9: Fabulae ad actum scenarum compositae *argumenta* di-cuntur.

2 Cf. Becherus ad Laberii prologum p. 5 sqq. Zieglerus de mimis Romanorum. Gott. 1788. Köpke in Wachsmuthii Athenaeo III p. 157 sqq.

3 De his cf. Grysar in Welckeri Rhein. Mus. II p. 42 sqq.

4 Cf. Salm. ad Tertull. de pall. p. 297 sqq. ad Vopisc. Aurel. 42 p. 530 sq. Lobeck. Agl. p. 1317 sqq. Gloss. H. Steph. p. 194: *Scurra, εὔστομος, γελωτοποιός, εὐτράπελος,* et rursus: *Scurra, δρακιστής, σκώπτης, γελωτοποιός, ἡδυλόγος ἢ εὐτράπελος.* Quod *scurra* explicatur *δρακιστής*, et ibid. *scurratur, δρακίζει* vide num componi possit cum v. *δράξων*, de quo cf. Lobeck. Agl. p. 1031 sqq.

maxime acuta et faceta Siculorum natio (v. Grysar l. l. p. 209 sqq. 214). Apud hos ubi homines multi coierunt in festis atque conviviis haud facile deerat illorum hominum genus, qui in universum *θαυματοποιοί* [1] et *γελωτοποιοί* [2] vocabantur, et diversis ludicris artibus iocum et risum faciebant, quibus *μῖμοι* fere adiunguntur. Quorum quae fuerit ars atque ratio ex veterum quibusdam locis, quos iam adscribam, optime perspicietur. Insigni igitur loco Athenaeus de huiusmodi hominibus haec inter alia tradit (I p. 19 F. sq.): *Εὔδικος ὁ γελωτοποιὸς ηὐδοκίμει μιμούμενος παλαιστὰς καὶ πύκτας, ὥς φησιν Ἀριστόξενος. Στράτων δ' ὁ Ταραντῖνος ἐθαυμάζετο τοὺς διθυράμβους μιμούμενος· τὰς δὲ κιθαρῳδίας οἱ περὶ τὸν ἐξ Ἰταλίας Οἰνωνᾶν* [3], *ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναναγὸν Ὀδύσσεα σολοικίζοντα, ὁ αὐτὸς φησί.* Eodem loco commemorat Nymphodorum [4] *τὸν θαυματοποιόν*, cuius alio loco iterum mentio fit (X p. 452 F.): *Γρίφους ἔπαιζε — Κλέων ὁ μίμαυλος* [5] *ἐπικαλούμενος, ὅσπερ καὶ τῶν Ἰταλικῶν μίμων ἄριστος*

1 De iis qui proprie vocabantur *θαυματοποιοί*, *praestigiatores*, eorumque artibus cf. praeter laudatos ab Ebertio (diss. Sic. p. 186), intpp. Apul. Met. I p. 103 sq. Casauboniana p. 52 sqq. 256 sqq. Beckmann, Beitr. z. Gesch. d. Erf. IV p. 55 sqq. Böttiger, kl. Schr. III p. 359 sqq. Adde Front. de oratt. I p. 240.

2 Cf. Xen. symp. 1, 11. Athen. IV p. 130. Hos postea *samardacos* vocarunt, v. Lobeck. Agl. p. 1327. Inter *κόλακος* species refert Pollux (VI, 22) *τὸν γελωτοποιόν*, infimum illud parasitorum genus intelligens, quod divitum coenas captans ridicula proferebat et turpissima quaeque patiebatur. Talem intellexit Artemidorus (I, 22): *Ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην — γελωτοποιοῖς — ἀγαθόν.* Nam solebant tales caput radere, cf. Alciphr. epp. III, 43. Lucian. conv. 18 ib. intpp. Iuv. V, 171. Dorv. ad Charit. p. 666.

3 Non dubito, quin idem nomen reponendum sit apud Athenaeum (XIV p. 638 B.): *Ἀριστόξενος δέ φησιν, ὥσπερ τῶν ἑξαμέτρων τινὲς ἐπὶ τὸ γελοῖον παρῳδὰς εὗρον, οὕτω καὶ τῆς κιθαρῳδίας πρῶτος Οἰνώπας.*

4 Cf. Ebertus diss. Sic. p. 186 sqq. Westermannus ad paradoxogr. gr. p. XXXIII sqq. Hullemannus ad Durid. frgm. p. 130 sqq.

5 Cf. Hesych. s. v. *μιμαυλεῖν· μιμεῖσθαι, ὑποκρίνεσθαι.* Ebertus l. l. p. 193 sq. Köpke, de hypomnem. Graec. p. 30 sq.

γέγονεν αὐτοπρόσωπος ὑποκριτής· καὶ γὰρ Νυμφοδώρου περιῆν ἐν τῷ μνημονευομένῳ μίμῳ. Τούτου δὲ καὶ ὁ Ἰσχόμαχος ὁ κήρυξ ἐγένετο ζηλωτής, ὃς ἐν τοῖς κύκλοις [1] *ἐποιεῖτο τὰς μιμήσεις· ὡς δ' εὐδοκίμει, μεταβὰς ἐν τοῖς θαύμασι ὑποκρίνετο μίμους. Τοιοῦτοι δ' ἦσαν οὓς ἐποίουν γρίφους, οἷον· Ἀγροίκου τινὸς ὑπερπλησθέντος καὶ κακῶς ἔχοντος, ὡς ἠρώτα αὐτὸν ὁ ἰατρὸς μὴ εἰς ἔμετον ἐδείπνησεν, οὐκ ἔγωγε, εἶπεῖν, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν.* Itaque *μῖμοι* et *θαυμοτοποιοί* alias quoque iunguntur, ut apud Diodorum (Exc. XXXIV p. 606 W. quae habet Suid. s. v. *προδεικτής*): *Ἀντίοχος — ἔχαιρε μίμοις καὶ προδείκταις καὶ καθόλου πᾶσι τοῖς θαυματοποιοῖς.* De eodem Antiocho refert ex Polybio (XXXI, 4) Athenaeus (V p. 195 F. X p. 439 D.): *Ὑπὸ τῶν μίμων ὁ βασιλεὺς εἰσεφέρετο ὅλος κεκαλυμμένος καὶ εἰς τὴν γῆν ἐτίθετο ὡς εἷς ὢν δῆτα τῶν μίμων· καὶ τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀναπηδήσας ὠρχεῖτο καὶ ὑπεκρίνετο μετὰ τῶν γελωτοποιῶν, ὥστε πάντας αἰσχυνομένους φεύγειν.* Vides hic iterum *γελωτοποιούς* et *μίμους* iungi (cf. Sext. Emp. adv. math. II p. 300 Fbr. p. 686 Bekk. *ὑπὸ μίμου γελωτοποιοῦντος*), ut alio loco (VI p. 261 C.): *Νικόλαος δ' ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ ἑκατοστῇ τῶν ἱστοριῶν Σύλλαν φησὶ τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς* [2],

1 *Circulis* i. e. otiosae plebeculae circumstante corona, cf. Mart. II, 86, 11. X, 62, 4 sq., unde *circulator*, quod voc. de praestigiatoribus potissimum usurpatur, Apul. Met. I p. 103. Cels. med. V, 27, 3. Cf. Burm. ad Petron. 47. 68.

2 Inter hos Plutarchus (Sull. 36) nominat *Μητρόβιον τὸν λυσιῳδόν*. Hi autem, qui iidem erant cum *magodis*, ut affirmavit Aristocles (apud Athen. XIV p. 620 E.), paullum diversi ex sententia *Aristoxeni* (ib.), arcte coniuncti erant cum nostris mimis. Ita enim de iis refert Athenaeus (XIV, p. 621 C.): *Ὁ δὲ μαγῳδὸς καλούμενος τύμπανα ἔχει καὶ κύμβαλα καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτὸν ἐνδύματα γυναικεῖα· σχινίζεται δὲ καὶ πάντα ποιεῖ τὰ ἔξω κόσμου, ὑποκρινόμενος ποτὲ μὲν γυναῖκα καὶ μοιχοὺς καὶ μαστροπούς, ποτὲ δὲ ἄνδρα μεθύοντα καὶ ἐπὶ κῶμον παραγενόμενον πρὸς τὴν ἑρωμένην. Φησὶ δὲ ὁ Ἀριστόξενος — τὴν δὲ μαγῳδίαν παρὰ τὴν κωμῳδίαν (εἶναι). Πολλάκις δὲ οἱ μαγῳδοὶ καὶ κωμικὰς ὑποθέσεις*

φιλόγελων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας. Neque aliter Diodorus, qui ita de Agathocle narrat (XX, 63): *Ὑπάρχων δὲ καὶ φύσει γελωτοποιὸς καὶ μῖμος οὐδ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀπείχετο τοῦ σκώπτειν τοὺς καθημένους καί τινας αὐτῶν εἰκάζειν, ὥστε τὸ πλῆθος πολλάκις εἰς γέλωτα ἐκτρέπεσθαι, καθάπερ τινὰ τῶν ἠθολόγων ἢ θαυματοποιῶν θεωροῦντος.* Qui locus permultum facit ad horum hominum naturam et cognationem perspiciendam [1]. Similiter denique Artemidorus (I, 76): *Μιμολόγοι δὲ καὶ ἅπαντες οἱ γελωτοποιοὶ ἀπάτας καὶ ἐνέδρας σημαίνουσιν*, nam *μιμολόγοι* iidem sunt qui *μῖμοι* [2]. Ex hisce locis, in quibus non est cur de scenicis mimis cogitemus, quaenam fuerit horum ratio perspici potest. Erat quidem eorum ars nullis adstricta legibus, sed in circulis et conviviis, ubi hilarior hominum mens, arripuerunt quicquid risum eliceret, eumque turpissimis quoque et obscoenis iocis et gestibus captarunt, verum ita tamen, ut in imitandis et viva actione, voce ac gestibus, ad verum exprimendis vel notis quibusdam personis vel certi generis hominibus summum ponerent. Quod cum in quibusdam paene ad parodiam accederet, plerique vel in recitandis et agendis narratiunculis lepidis, vel actione quasi quibusdam

λαβόντες ὑπεκρίθησαν κατὰ τὴν ἰδίαν ἀγωγὴν καὶ διάθεσιν. Hic quoque habes non actionem vere scenicam, sed certarum rerum repraesentationem, partim cum parodia coniunctam, et hanc quidem effrenatae licentiae, quod iam muliebris vestitus demonstrat. Sed mimicam actionem summam in his fuisse patet.

1 Similis fuit Vitalis istius ars, qui ita de se praedicat (Anthol. L. IV, 20. Meyer. n. 1173, 15 sqq.):

Fingebam vultus, habitus ac verba loquentum,
Ut plures uno crederes ore loqui.
Ipse etiam, quem nostra oculis geminabat imago,
Horruit in vultu se magis esse meo.
O quoties imitata meo se femina gestu
Vidit et erubuit, totaque mota fuit.

2 Firm. math. VIII, 8. Fulgent. myth. II, 17: Schol. Iuv. VI, 276. Gloss. apud I. Scaligerum (epp. IV, 324 p. 650): *Bassus, φαλός, τὸ αἰδοῖον τῶν μιολόγων* (leg. *μιμολόγων*).

imaginibus repraesentandis excelluisse videntur. Itaque de talibus optime vv. *ὑποκρίνειν, ὑποκριτής* et similia usurpari potuerunt, cum in actione, quamquam non scenica, maxime ars eorum spectaretur. Pertinet huc quoque quod Lacedaemoniorum illi *δεικηλισταί* etiam *μιμολόγοι* vocantur (Hes. s. v. *δίκηλον*), de quibus ita Athenaeus (XIV p. 621 D.): *Παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιός, ὥς φησι Σωσίβιος, οὐκ ἄγαν σπουδαῖος· ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν ἢ ξενικὸν ἰατρόν.* Quae eiusdem naturae esse nemo non videt. Ex his vero initiis mimi scenici et pantomimi quomodo exorti sint et exculti facile potest intelligi. Verum videtur illud quoque mimorum genus, quod vel fabellas viva gesticulatione narrabat et agebat, vel certas personas imitabatur [1], non neglectum esse, et huiusmodi personae ad convivia potissimum adhibiti esse. Talis erat **Herodotus**, ut nomen indicat ei inditum, *λογομίμου* (Athen. I p. 19 C. cl. Köpke, de hypomn. Gr. p. 29 sq.). Ad eosdem referendi *ἠθολόγοι*, quos commemoratos iam vidimus apud Diodorum, et quae inde de natura eorum intelligi possunt, confirmat etiam Cicero. Is enim, ubi de eo ridiculi genere loquitur, quod in re positum sit, duobus modis hoc, quod in ea re versatur ut describantur hominum mores et effingantur tractari dicit, aut ita, ut re narrata aliqua, quales sint, intelligantur, aut ita, ut imitatione brevi iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur. At in utroque genere vel narrationis vel imitationis oratori maxime cavendam

1 Cf. titulum a me editum (spec. epigr. p. 38 n. 107):

. . . . . .
CAESARIS. LVSOR
MVTVS. ARGVTVS. IMITATOR
TI. CAESARIS. AVG. QVI. PRIMVM
INVENIT. CAVSIDICOS. IMITARI.
. . . . . .

cl. Petron. 68: Parem non habet, sive muliones volet, sive circulatores imitari. cl. c. 69.

suadet *mimorum ethologorum* similitudinem, quum animaverti liceat, si nimia sit imitatio, sicut obscoenitas (de orat. II, 59, 242; 60, 243 sq.). Nam hic quoque praeter obscoenitatem id potissimum notatur, quod mores imitatione et actione quam accuratissime exprimantur. Conferri potest locus Longini (de subl. 9, 15): *Τοιαῦτα γάρ που τὰ περὶ τὴν τοῦ Ὀδυσσέως ἠθικῶς αὐτῷ βιολογούμενα οἰκίαν, οἱονεὶ κωμῳδία τίς ἐστιν ἠθολογουμένη*, quo verbo significatur ea ipsa minutissimarum quarumque rerum notitia atque descriptio, qua vitae quotidianae vera et fida imago ante oculos nobis ponitur, quarum diligens observatio scitaque repraesentatio summum locum in arte mimica obtinuit [1]. Neque tamen ea significatio, qua

1 Eodem nomine etiam mimi scenici significantur. Hesych. *ἠθολόγος· θεατριστής*. Quo eodem loco utitur Longinus voc. *βιολογεῖν*, id de mimis usurpatur, atque eorum naturam egregie exprimit. In inscriptione Aquileiensi, quam illustravit Iacobsius (in Wolfii Anall. I p. 104 sqq.) Basillae *μειμάδι στήλην θέτο βιολόγος φώς*. Glossa antiqua p. 22 HSt.: *Atellani, σκηνικοί, ἀρχαιολόγοι, βιολόγοι, ὡς δὲ Ὀβοίδιος ομηριστην δητοι νν χοροι*, quae postrema in vetusto libro ita se legisse affirmat Turnebus (Advv. XVIII, 28): *ὡς δὲ Ὀβοίδιος ὁμηριστὴς λατῖνοι ἦσαν χοροί*. Oudendorpius (ad Suet. Galb. 13) emendabat *Πολύβιος*. Aliter explicavit Salm. ad Tert. de pall. p. 298. Quod Atellani et *βιολόγοι* comparantur, non mirum in perpetua grammaticorum confusione, quae *exodiorum* usu maxime explicatur, in quibus tam Atellani quam mimi in scenam prodibant (cf. Munk. de fabb. Atell. p. 23 sqq.), neque diffitendum magnam esse inter Atellanas et mimos cognationem (cf. Munk. l. l. p. 44 sq.). *Ἀρχαιολόγοι* sunt qui *ἀρχαῖα*, ineptos, scurriles iocos proferunt (cf. Spanh. ad Arist. Plut. 323. Ast. ad Plat. legg. t. II p. 103). Philistio, mimographus, qui teste Hieronymo in chron. sub Tiberio vixit et nimio risu mortuus esse dicitur (Anthol. Pal. II p. 349), a multis scriptoribus laudatus et celebratus (Mart. II, 41, 15. M. Antonin. VI, 47. Marc. Amm. XXX, 4, 21. Sidon. Apoll. epp. II, 2. Hieron. apol. adv. Ruf. II t. II p. 150 ed. Frcf. Epiphan. I tom. 2, haer. 21, 3; 26, 1; 33, 8. II tom. 2, 66, 22. Afric. ep. ad Orig. c. 1. Orig. ep. ad Afric. c. 2), cuius cautela repertum esse ait Cassiodorus (Varr. IV, 51), ut mimi actus in litteris ponerentur, is igitur teste Suida (nam eundem quin significare voluerit Suidas non dubitant VV. DD., cf. Meinek. ad Menandr. p. VII sqq. hist. cr. com. gr. p. 436) scripsit *κωμῳδίας βιολογικάς*, unde fortasse concludere licet, eum maiorem in moribus depingendis diligentiam et curam adhibuisse, quam in hoc leviore genere fieri solebat.

Timon sillographus de Socrate, quem Plato omnis generis doctrina instructum finxisset, dixit *τὸν οὐκ ἐθέλοντα μεῖναι ἠθολόγον* (apud Sext. Emp. adv. math. VII p. 372 Fbr. p. 192 Bekk.) prorsus dedeceret hosce mimos [1]. Scilicet, quod iure notavit ut proprium poesi Italicae Munkius (de fabb. Atell. p. 9), in omni genere carminum, quamvis intemperatae licentiae et obscoenis turpissimisque dictis repleta essent, admixtas esse admonitiones et sententias ad vitam moresque utiles, id in mimos non minime cadit. De mimis scenicis docent non solum reliquiae, sed monet etiam Seneca (epp. VIII, 7): *Quam multi poetae dicunt, quae philosophis dicta sunt aut dicenda! Non attingam tragicos nec togatas nostras; — quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet!* De alterius generis mimis probat *aretalogorum* [2] potissimum nomen, quo fabularum narratores designabantur. Augustus, ut narrat Suetonius (Aug. 74), ad coenam adhibuit aut acroamata et histriones, aut etiam triviales ex circo ludios; ac frequentius *aretalogos*. Quocum concinit Iuvenalis (XV, 14 sqq.):

Tale super coenam facinus narraret Ulixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, *ut mendax aretalogus*.

Uterque locus probare videtur, fuisse eos e circumforaneorum genere neque magni aestimatos. Artem eorum fuisse multa ac varia scite narrare cum risu iocoque audientium docent Manethonis versus (Apotel. IV, 446 sq.):

Μωρολόγους [3], *χλεύης θ' ἡγήτορας, ὑβριγέλωτας*
Ἔν τ' ἀρεταλογίῃ μυθεύματα ποικίλ' ἔχοντας.

1 Quod alio loco (adv. math. II p. 295 Fbr. p. 681 Bekk.) legebatur: *ὁ ἠθολόγος Ὀρφεύς*, recte mutatum est in *ὁ θεολόγος*.
2 Cf. Turneb. advv. X, 12. Wernsdorf. poett. Latt. min. t. II p. 62 sq. Lobeck. Aglaoph. p. 1316 sq. ed. Phryn. p. 638.
3 Cf. gloss. HSt. p. 545: *μωρολογῶ· scurror.* Quod in schol. ad sat. I, 12 corruptum voc. Gr. *μονογέροντας* affertur ad explicandum v. *cachinnus*, id ad v. *cachinno* potius spectare videtur, et ut Manetho dixit *μωρολόγους, ὑβριγέλωτας*, simili significatione fuisse *μωρογέλωτας*. Simile quid fuisse *cachinnonem* non

Inde facile intelligitur, quomodo loquacem significarit, qui multa narrare amabat, ut Schol. Horat. sat. I, 1, 120 Crispinum, philosophum loquacissimum, qui versus de secta Stoica scripserit, *ἀρεταλόγον* dictum esse narrat. Iocose quidem, sed ita ut laudem potius significet eius, qui bene narrare sciat, utitur hoc v. Ausonius (epist. XIII):

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἡδὲ ποιήτῃ
Αὐσόνιος Παύλῳ· σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

Omnibus hisce locis narrandi fabulas ars exprimitur [1], quod non sine gesticulatione et actione fieri potuit, ita ut hoc genus mimis nostris affine fuisse appareat; nomen autem inde gerebant, quod narrationibus ridiculis et iocis obscoenis sententias et admonitiones admiscebant.

Hisce igitur et si qui sunt similis generis scurrae [2] magnopere gaudebant Romani, et tam plebs in circulis, quam divites in conviviis eorum ingenio atque arte delectabantur. Ad litteras, ut consentaneum est, haec ludicra plerumque non pertinebant, sed ingenii facilitate, narrandi prompte et facete facultate, agendi et imitandi arte quisque fretus

abhorret a veritate. Papias v. *cachinno* explicat per v. *derisor*, quo tam scurrae, quam mimi notabantur, cf. spec. epigr. p. 145. In vasculo picto, ubi *φλύακες* repraesentantur fabulam agentes, uni nomen adscriptum est *ΚΑΓΧΑΣ*, alteri *ΔΙΑΣΙΡΟΣ* [*ΔΙΑΣΤΡΟΣ*], v. Millingen, peint. des vases antiq. t. 46. Müller, Dor. II p. 357.

1 Cf. Suet. Aug. 78: *Si interruptum somnum recuperare non posset, lectoribus aut fabulatoribus arcessitis resumebat.* Dio Chrys. or. XX p. 264 t. I p. 493 R.: *Ἤδη δέ ποτε εἶδον ἐγὼ διὰ τοῦ ἱπποδρόμου βαδίζων — τὸν μὲν αὐλοῦντα, τὸν δὲ ὀρχούμενον, τὸν δὲ θαῦμα ἀποδιδόμενον, τόν δὲ ποίημα ἀναγινώσκοντα, τὸν δὲ ᾄδοντα, τὸν δὲ ἱστορίαν τινὰ ἢ μῦθον διηγούμενον.* Sch. Arist. Plut. 177: *Φιλέψιος πένης ὢν συντιθεὶς μύθους χαρίεντας ἔθαλε* (ἔθελε Lobeck. l. l.) *τοὺς ἀκούοντας καὶ οὕτω τὴν τροφὴν αὐτῷ ἐπορίζετο — καὶ τερατώδης καὶ λάλος διαβάλλεται.* Eodem refert Wolfius Hor. sat. I, 1, 23.

2 Pertinent huc, quamquam longe inferioris ordinis, etiam ii, qui animalium vocibus imitandis operam dabant, cf. Plato rep. III p. 396 B. legg. II p. 669 D. Petron. 68. Auson. epigr. LXXVI. Celebres hac arte affert Plutarchus Theodorum et Parmenontem (de aud. poet. 3 p. 18 C.), et de hoc alio loco (Symp. qu. V, 1) eandem fabellam narrat, quam de noto quodam scurra Phaedrus (V, 5).

lucrum et laudem petiit, ad immortalitatis gloriam fere non aspirans, neque litteris mandare, quae actione potissimum egere novit, paratus. Exstabant tamen Graecarum litterarum monumenta, et partim etiam hodie exstant, quae cum hisce ludicra arcte cognata erant.

Sophron Syracusanus [1], Euripidis coaevus [2], mimos scripsit, quorum summa apud antiquos fama fuit [3], et quos Plato prae ceteris adamasse dicitur studioseque lectitasse atque inde potissimum artem didicisse personas, quas in dialogis suis adhibet, ad verum delineandi [4]. Horum mimorum duplex genus ferebatur: erant enim *μῖμοι ἀνδρεῖοι* (cf. Athen. VII p. 286 D. 287 C. 323 A. 324 E. Apollon. de pron. p. 332 C. 335 C. 387 B. Poll. IV, 174. Harp. Phot. s. v. *πώλας*. Etym. M. s. v. *ἀλφηστής*. *σύφαρ*) et *μῖμοι γυναικεῖοι* (Athen. III p. 87 A. 106 D. 110 B. VI p. 229 F. VII p. 306 C. 324 F. IX p. 380 E. 409 A. Apollon. de pron. p. 343 C. 387 A. Poll. IV, 174. X, 175. Etym. M. s. v. *σιρωθῆναι*) [5]. Hisce titulis satis declara-

1 Cf. Fabric. Bibl. gr. II p. 493 sq. O. Müller, Dor. II p. 360 sqq. Grysar, de Sophrone mimographo. Col. 1838. Fragmenta collecta sunt Blomfieldio in Class. Iourn. IV p. 380 sqq. Mus. Cantabr. IV p. 340 sqq. 559 sqq.

2 Suidas s. v. (quem exscripsit Hesych. Ill.) *Σώφρων, Συρακούσιος Ἀγαθοκλέους καὶ Δαμνασυλλίδος· τοῖς δὲ χρόνοις ἦν κατὰ Ξέρξην καὶ Εὐριπίδην.* Eum Xerxis temporibus natum esse id quoque probat, quod filius eius Xenarchus, qui et ipse mimos scripsit (a comico poeta discernendus, cf. Herm. ad Arist. poet. I p. 94. Meinek. hist. cr. com. gr. p. 434) a Dionysio maiore iussus Rheginos ob ignaviam derisit, cf. Zenob. prov. V, 83 ib. Leutsch. Ebert. diss. Sic. p. 188. Hullemannus ad Durid. p. 132 sqq.

3 Cf. Tatian. or. p. 169 (ed. Par. a. 1615): *Λήρους καὶ φλυαρίας Σώφρων διὰ συνταγμάτων παραδιδοὺς ἐνδοξότερος χάριν τῆς χαλκευτικῆς, ἢ μέχρι νῦν ἐστί.*

4 Diog. L. III, 1, 18: *Δοκεῖ δὲ Πλάτων καὶ τὰ Σώφρονος τοῦ μιμογράφου βιβλία ἡμελημένα πρῶτος εἰς Ἀθήνας διακομίσαι καὶ ἠθοποιήσαι πρὸς αὐτῶν.* Olympiod. vit. Plat.: *Ἔχαιρε δὲ πάνυ καὶ Ἀριστοφάνει τῷ κωμικῷ καὶ Σώφρονι, παρ' ὧν καὶ τὴν μίμησιν τῶν προσώπων ἐν τοῖς διαλόγοις ὠφελήθη.* Cf. Ast. de Plat. Phaedr. p. 8 sqq. Hullemannus ad Durid. p. 134 sq.

5 Fortasse haec divisio a grammaticis facta est. Eodem modo certe divisum fuit Apollodori opus de Sophronis mimis (cf. Athen. III p. 89 A. VII p. 309 C. Schol. Hom. Il. ε, 576 cl. schol. Greg.

tur, hos in feminarum moribus, illos in virorum moribus ac rebus describendis potissimum versatos esse. Idque singulorum quoque titulis, quorum notitiam habemus, confirmatur. Horum ad viriles mimos pertinent ὁ *Θυννοθήρας* (Athen. VII p. 303 C. 306 D. 309 C. Ael. H. A. XV, 6. Etym. M. s. v. *ἦτα* [cl. Cramer. Anecdd. Ox. I p. 167, 16. 211, 23], s. v. *λογχάδες*, cf. Bentl. opp. p. 527), et cui titulus erat *Ὦλιεὺς τὸν ἀγροιώταν* (Athen. III p. 86 A. VII p. 288 A.), a quo non diversus fuisse videtur ὁ *Ἀγροιώτης* (Athen. VII p. 309 C.), item alius, cui inscriptum fuit *Παιδικὰ ποιφύξεις* (Athen. VII p. 324 F. Schol. Nic. Ther. 179). Dubium esse potest num eodem referri debeat mimus, *qui Nuncius inscribitur* (Schol. German. Arat. 1 p. 36 Buhl. cf. Meineke frgmm. com. gr. II p. 251), quocum Grysar (de comoed. Dor. I p. 64) contulit saltationem *ἀγγελικήν* (Athen. XIV p. 629 E. Poll. IV, 14, 4), qua nuntii *σχήματα* exhibebantur [1]. Aperte muliebrium mimorum tituli sunt ἡ *πενθερά* (Athen. III p. 110 C.), ἡ *νυμφοπόνος* (Athen. VIII p. 362 C. Poll. X, 107. cl. VI, 90), αἱ *Ἀκεστρίαι* (Suid. s. v. *κάπηλος*. Bekk. An. p. 1466. Cramer. Anecdd. Ox. II p. 456, 4), αἱ *θεάμεναι τὰ Ἴσθμια* (Argum. Theocr. Adon. ap. Valck. p. 195. cl. Welcker, Nachtr. p. 137 sq.), et αἱ *γυναῖκες αἱ*

Nanz. apud Montf. Diar. Ital. p. 214. *Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ Σώφρονος*). Nam Athenaeus (VII p. 281 F. cl. Etym. M. s. v. *ἀλφηστής* cf. Heyn. ad Apollod. p. 439 sq.) ita laudat: *Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Σώφρονος, τῷ εἰς τοὺς ἀνδρείους μίμους.* Praeterea affertur a schol. Arist. Vesp. 545 *Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ δ περὶ Σώφρονος*, quo libro quid potissimum tractatum sit nescimus.

1 Pronum est huc referre, quae apud schol. Theocr. II, 12 leguntur: *Τὴν Ἑκάτην χθονίαν φασὶ θεὸν καὶ νεοτέρων πρύτανιν καθὰ καὶ Σώφρων. Ἥραν μιχθείσαν Διΐ γεννῆσαι παρθένον· ὄνομα δὲ αὐτῇ θέσθαι Ἄγγελον κ. τ. λ.* Sed videntur potius ad eum mimum pertinere, quem imitatus est idyllio secundo Theocritus. Eum vero *Ἄγγελος* fuisse inscriptum inde coniecit Fiorillo obss. critt. in Athen. p. 49.

τὰν θεὸν φαντὶ ἐξελᾶν (Apoll. de adv. p. 592) [1]. Praeterea unus commemoratur titulus a mythologia petitus Prometheus (Bekk. Anecdd. p. 85, 24 *Βλενόν· τὸν νωθῆ καὶ μωρόν. Σώφρων Προμηθεῖ*, quae iam attulit ex Etym. Ms. Fiorillo obss. critt. in Athen. p. 54). Cuius generis ille mimus fuerit, an ad fabularum Rhinthonicarum similitudinem compositus fuerit, non licet diiudicare. Quodsi Müllerus (archaeol. § 411, 4 cl. Dor. II p. 356) et Schneidewinus (exercc. critt. c. 8 p. 51 sq.) e verbis Hesychii: *Ἠρύκαλον τὸν Ἡρακλέα Σώφρων ὑποκοριστικῶς*, praeterquam quod cum Talmasio *Ἤρυλλον* legunt, ut statim sequitur apud Hesych. (Valck. ad Theocr. Adon. p. 201 B. C. voluit *Ἤρυκλον*), efficere videntur, scripsisse Sophronem mimum, in quo Herculem introduxerit pygmaeum cum gruibus pugnantem, qualem picturae vascularie repraesentant, cavendum mihi videtur, ne huius generis mimos praeter necessitatem fingamus. Nam cum iis, quae de mimis tradita sunt, haud optime conveniunt. Itaque mihi vel Prometheus ille suspectus foret, nisi in mentem revocarem, quid in illa fingendi libertate procreaverit Sophron, nullo modo posse exputari. Verum intelligere mihi videor, cur in illa Hesychii glossa de titulo mimi cogitemus, nullam esse causam. Quidni enim muliercula quaedam Herculem *ὑποκοριστικῶς* antestaretur? Quis nostrum non audivit: *Ach du mein Gottchen!?* ut de Italis taceam, diminutivorum amantissimis. Quod si quis reliquos titulos considerabit, apparebit Sophronem repraesentasse in his homines e plebe maxime petitos, vitamque quotidianam. Huc referenda videntur etiam nomina Siculis, ut videtur, maximam partem propria, qualia sunt *Κοικόα* (Athen. IX p. 380 E. 409 A.), *Ῥώγκα* (Apoll. de pron. p. 342 C.), *Φύσκα* (Apoll. de adv. p. 623), partim a poeta ficta, ut filium piscatoris thynnorum vocavit *Κωθωνίαν* a *κώθω*

1 Apud Athen. XI p. 480 B. codd. legunt *γυναῖκες αἳ τὰν θεὸν φαντὶ ἔλεξαν*, ubi Schweigh. coni. *ἐνδείξαι*.

pisce (Athen. VII p. 309 C.). Simile est *Μυρίλλα* nomen, quamquam eo certum quendam hominem perstrinxisse videtur. Cf. Eust. ad Od. *γ*, 168 p. 1457: *Εὐδαίμων ὁ Πηλουσιώτης* (de quo v. Suid.) — *παράγει* — *καὶ Συρακόσιον τὸ ὁ Μυρίλλα, οὗ μεμνῆσθαι λέγει τὸν Σώφρονα. Ἱστορεῖ καὶ ὅτι τοῦ Συρακουσίου τούτου κύριον Δημόκοπος ἦν ἀρχιτέκτων· ἐπεὶ δὲ τελεσιουργήσας τὸ θέατρον μύρον τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις διένειμε, Μυρίλλα ἐπεκλήθη.* Nescio an ex re fictum sit nomen *Βουλίας*, de quo Demetrius (de eloc. 154): *Οὐ γὰρ παρὰ προσδοκίαν μόνον ἐπηνέχθη (ἡ χάρις), ἀλλ' οὐδ' ἠκολούθει τοῖς προτέροις. ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος· ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας, οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει.* Proverbium erat *Βουλίας δικάζει· ἐπὶ τῶν τὰς κρίσεις ὑπερτιθεμένων* (Zenob. II, 86), quod num ad eundem referendum sit incertum est, praesertim cum hic ab aliis *Βούνας* vocetur (Zenob. II, 67). Sophronis Bulias ineptus homo fuisse videtur, qui cum rhetoricis pigmentis sermonem ornare vellet, aenigmata loquebatur. Sine dubio autem haec quoque persona e quotidiana hominum vita desumta fuit. Atque in horum moribus atque consuetudinibus describendis, in ingeniis eorum scite depingendis, Sophronis potissimum ars spectabatur. Itaque quamvis Dorica dialecto utebatur [1], multa tamen iis immiscuit Siciliae tantum propria [2], atque haud pauca ex ore populi

1 Argum. Theocr. *Δωρίδι καὶ Ἰάδι διαλέκτῳ χρῆται ὁ Θεόκριτος, μάλιστα τῇ ἀνειμένῃ καὶ χθαμαλῇ Δωρίδι περὶ τὴν τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος*, cl. Valck. ep. ad Roev. p. LIX. intpp. Greg. Cor. p. 371 tradit: *Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς Δωρίδος. Διαφέρει δὲ ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ἥπερ Κυψέλας ἐχρήσατο καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ἥπερ Ἀλκμὰν καὶ Σώφρων ἐστοίχησαν*, Koen. putat excidisse verba *ἡ τῶν Σικελῶν ἥπερ* v. ante *Σώφρων*.

2 Eo pertinent vv. *ἠμίνα, ὀγκία, λίτρα*, quibus tam Sophron, quam Epicharmus usus est (cf. Athen. XI p. 479 B. Phot. s. v. *ὀγκία λίτρα*, cl. Kruseman, Epicharmi frgmm. p. 124 sq.), *κάρκαρον* (Phot. s. v.), *κώθων* (Athen. VII p. 309 C.), *μοῖτον* (Varro L. L. V, 170), *πατάνα* (Poll. VI, 90).

sublegit, quae eruditus atque castigatus sermo repudiabat, quo magis ad naturam hominum vulgarem sermonem exprimeret. Quod clare docent verba in Etym. M. s. v. *ὑγιής* (cl. intpp. ad Greg. Cor. p. 341 sqq.): *Ζητεῖται τὸ παρὰ Σώφρονι ὑγιώτερον κολοκύντας* (Dem. de eloc. 127. 163. Suid. s. v. *κολοκύντη. ὑγιέστερος.*), *πῶς οὐ λέγει ὑγιέστερον; ῥητέον οὖν, ὅτι ἑκοντὶ ἥμαρτε τὸ ἄκακον τῆς γυναικείας ἑρμηνείας μιμησάμενος, ὃν τρόπον κἀκεῖ ἐσολοίκισε· τατωμένα τῶ κιθῶνος* (*ἀντὶ τοῦ ἐνέχυρα θεῖσα*) *ὁ τόκος νιν ἀλιφθερώκει.* Postrema ita emendavit Valckenarius (ad Theocr. Adon. p. 200 sqq.), qui egregie de hoc loco disseruit. Eodem vertendum vituperium, quod legitur in eodem Etym. M. s. v. *μακάρτατος· Μεμπτέον Σώφρονα λέγοντα· φωροτάτους καπήλους.* Ad repraesentandam eam, qua popellus utebatur, loquendi rationem eo quoque artificio usus est, ut proverbiorum ingentem copiam adhiberet, quibus quantopere gaudeat sermo vulgaris, neminem fugit. Itaque apposite haec tradidit Demetrius (de eloc. 157): *Ἐν δὲ τοῖς πράγμασι λαμβάνονται χάριτες ἐκ παροιμίας, ὡς ὁ Σώφρων μὲν Ἠπιάλης, ἔφη, ὁ τὸν πατέρα πνίγων· καὶ ἀλλαχόθι που φησίν· Ἐκ τοῦ ὄνυχος γὰρ τὸν λέοντα ἔγραψεν, τορύναν ἔξεσεν, κύμινον ἔσπειρε. Καὶ γὰρ δυσὶ παροιμίαις καὶ τρισὶ ἐπ' ἀλλήλοις χρῆται ὡς ἐπιπληθύνονται αὐτῷ αἱ χάριτες· σχέδον δὲ πάσας ἐκ τῶν δραμάτων αὐτοῦ τὰς παροιμίας ἐκλέξαι ἐστίν.* Quae quam vera sint, docent fragmenta, in quibus permulta servata sunt proverbialiter dicta, e. g. *Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρα* (Zenob. II, 17), *λιχνοτέρα τᾶν πορφυρᾶν* (Athen. III p. 89 A.), *φαλακρώτερος εὐδίας, κολοκύντης ὑγιέστερος* (Dem. de eloc. 127. 163), *κινήσω δ' ἤδη καὶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς* (Eust. Il. ζ p. 633), *πόντος ἀγαθῶν* (Schol. Arist. Plut. 1051). Haec quoque: *Ἡρακλῆς τεοῦς καρῶν ἦν* (Apoll. de pron. p. 355 B. C. cl. intpp. Greg. Cor.

p. 193), *τίς τὸν ξύοντα ἀντιξύει* (Phot. Suid. s. v. *ξυήλην*) proverbii speciem prae se ferunt. Cf. etiam Hesych. s. v. *ἀγροπήγη*, *μοιτόν* cl. Müll. ad Varr. L. L. V, 179. Ceterum facetiarum plenus fuit sermo Sophronis, sed in universum ut res ferebat, facetiarum, quae vulgus saperent, de quibus ita Demetrius (de eloc. 128): *Αἱ δὲ* (*χάριτες*) *εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικώτεραι, σκώμμασιν ἐοικυῖαι· οἷον αἱ Ἀριστοφάνους χάριτες καὶ Σώφρονος.* Scurrile hoc dicendi genus potest etiam in fragmentis cognosci, quale est: *Σῶσαι δὲ οὐδὲ τὰς δύο λίτρας δύναμαι* (Poll. IV, 2), et: *Ἦ ῥα καλῶς ἀποκαθάρασα ἐξελεπύρωσεν* (Apoll. de adv. p. 580), de muliere, ut videtur, quae virum probe emunxit, vel alius generis illud: *Ἃ δὲ γαστὴρ ὑμέων καρχαρίας ὅκα τινος δῆσθε* (Athen. VII p. 306 D.), vel illud: *Τὸ γὰρ ἀπεχθόμενον γῆρας ἄμμε μαραῖνον ταριχεύει* (Schol. Aesch. Choeph. 293. Stob. flor. CXVI, 30 t. III p. 434 Gaisf.), quae a piscatoribus fortasse dicta sunt artis suae vocabula usurpantibus. Quocum comparari possunt haec apud Demetrium (de eloc. 151) de senibus dicta: *Ἐνθάδε ὧν κἠγὼ παρ' ὕμμε τοὺς ὁμότριχας ἐξορμίζομαι πλόον δοκάζων, ποντίναι γὰρ ἤδη τοῖς ταλικοῖσδε ταὶ ἄγκυραι* [1]. De marito fortasse mulier quaedam dixit: *Τί μὰν ξύσιλος; τί γάρ; σύφαρ ἀντ' ἀνδρός* (Etym. M. Orion. s. v. *σύφαρ*. Eust. ad Od. ξ, 428 p. 1766. Sch. Nicandr. Alex. 91). Neque vero turpiter et obscoene dictis abstinuit, ut est illud: *Σωλῆνές θην τοῦτοί γα γλυκύκρεον κογχύλιον, χηρᾶν γυναικῶν λίχνευμα* (Athen. III p. 86 E.), de quo Demetrius (de eloc. 152): *Καὶ μιμικώτερα τὰ τοιαῦτά ἐστι καὶ αἰσχρά* [2]; atque ea quae habet Athenaeus (VII p. 281 E.): *Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος*

1 Nescio an recte Müllerus (Dor. II p. 363) et Göllerus (ad Demetr. p. 128) obscoenam hic allegoriam suspicati sint cl. Hesych. *ἄγκυρα· τὸ αἰδοῖον παρ' Ἐπιχάρμῳ*, cl. Bekk. An. p. 207.

2 Cf. Hes. s. v. *σωλῆνες*. — *τῶν ὀστρακοδέρμων τι γένος κογχυλίων· τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν μορίων.*

ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Σώφρονος τῷ εἰς τοὺς ἀνδρείους μίμους προθεὶς τὸ Καταπυγοτέραν τ' ἀλφηστᾶν φησίν. Ἰχθῦς τινες οἱ ἁλφησταί —, φασὶ δ' αὐτοὺς ἁλίσκεσθαι σύνδυο καὶ φαίνεσθαι τὸν ἕτερον ἐπὶ τοῦ ἑτέρου κατ' οὐρὰν ἑπόμενον. ἀπὸ τοῦ οὖν κατὰ τὴν πυγὴν θατέρῳ τὸν ἕτερον ἀκολουθεῖν τῶν ἀρχαίων τινὲς τοὺς ἀκρατεῖς καὶ καταφερεῖς οὕτω καλοῦσιν. Cf. etiam Schol. Arist. Lys. 17. Ach. 263. Illud quoque non sane honeste dictum est: *Βαλλίζοντες τὸν θάλαμον σκάτους ἐνέπλησαν* (Athen. VIII p. 362 C.). Neque tamen nihil serii egisse videtur Sophron, immo quod iam vidimus, in hoc potissimum genere commixta fuisse iocis solutoque risui seria atque severa, id in Sophronis quoque mimis locum habuisse videtur. Unde Ulpianus (ad Dem. Olynth. p. 30) ait: *Οἱ μῖμοι Σώφρονος ποιητοῦ σπουδαῖοί εἰσι*, quibus verbis ab eiusmodi mimis, qui risum tantum capiebant et seriore tempore magis magisque contemnebantur, Sophronis, egregii poetae, mimos discernere voluit [1]. Huc vero pertinet locus Sexti Empirici (adv. math. I p. 278 Fbr. 664 sq. Bekk.): *Τό τε τὸν θάνατον μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς εἴρηται μὲν ἴσως τῷ Σώφρονι, ἀποδέδεικται δὲ Ἐπικούρῳ.* Quam sententiam quod Epicharmus quoque protulisse dicitur (ib. p. 275 Fbr. p. 661

1 Cum hoc loco vulgaris opinio, nuper quoque prolata (Müller, Dor. II p. 363. Grysar, de com. Dor. I p. 65), fuisse Sophronis *μίμους σπουδαίους* et *γελοίους*, nitatur, totum apponam. Ad verba Demosthenis (Ol. II, 19 p. 23 R.): *Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, μίμους γελοίων — ἀγαπᾷ*, haec notat Ulpianus: *Μίμους γελοίων· ἀναγκαῖον τὸ τῆς προσθήκης, οὐχ ἅπασα γὰρ μίμησις γελοῖα τυγχάνει, ἀλλ' ἔστι καὶ σπουδαία. ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν ἠθῶν καὶ παθῶν βασιλικῶν, καὶ ἡ κωμῳδία μίμησις, καὶ οἱ μῖμοι Σώφρονος σπουδαῖοι.* Unde apparet Ulpianum significasse, Sophronis mimos non ad contemptum illud genus pertinere, sed ut tragoediam et comoediam, ad dignum seriumque litterarum genus. Distinctionis vero inter Sophronis mimos *σπουδαίους* et *γελοίους* nec vola nec vestigium. Contra atque Ulpianus alius grammaticus (Bibl. d. alt. Litt. u. K. V p. 12) de Platone: *Ἐζήλωσε δὲ καὶ Σώφρονα τὸν γελωτοποιόν, τὴν μιμητικὴν ὥσπερ κατορθῶσαι βουλόμενος.*

Bekk.), non videtur mihi obstare, quin eandem adhibuerit etiam Sophron, praesertim cum tam multa utrique communia sint [1]. Dialogica ratione mimos suos maxime conscripsisse Sophronem testis est Tzetzes (Chil. X, 1001 sq.), qui cum Platonem Sophronis mimos a Dione auctos Athenas portasse tradiderit, haec addit:

Ἐκ μίμων δὲ τοῦ Σώφρονος μιμεῖται διαλόγους·
Ὁ Σώφρων ὅσα γράφει γὰρ εἰσὶ τῶν ἀμοιβαίων
Ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, σύμπαντα κεκτημένα.

Quamquam huic soli testimonio non multum fortasse fidei habendum esset; nam Tzetzes Sophronem ipsum vix legit, et ex ista de Platonicis dialogis ad exemplum mimorum compositis fabula horum quoque rationem sibi finxit. Verum praeterquam quod dialogus mimorum naturae apprime convenit, potest ex multis fragmentis dialogi dispositio etiamnunc cognosci. Praeter talia: *Κατάστρεψον, τέκνον, τὰν ἠμίναν* (Athen. XI p. 479 B.), et quae his sunt similia (cf. Athen. IX p. 380 E. 409 A. Etym. M. s. v. *θαύμακτρον*), comparari possunt haec: *Θᾶσαι, ὅσα φύλλα καὶ κάρφεα τοὶ παῖδες τοὺς ἄνδρας βαλλίζοντι, οἷόν περ φαντί, φίλα, τοῦς Τρῶας τὸν Αἴαντα τῷ παλῷ* (Dem. de eloc. 147); *Ἴδε καλᾶν κουρίδων, ἴδε καμμάρων, ἴδε, φίλα· θᾶσαι μὰν ὡς ἐρυθραί τ' ἐντὶ καὶ λειοτριχιῶσαι* (Athen. III p. 106 D.), et illud fragmentum ubi aperte duo colloquuntur: *Τίνες δὲ ἐντί ποκα, φίλα, ταίδε τοι μακραὶ κόγχαι; „Σωλῆνές θην τοῦτοί γα, γλυκύκρεον κογχύλιον, χηρᾶν γυναικῶν λίχνευμα“* (Athen. III p. 86 E.). Neque illud nihil facit ad hanc mimorum dispositionem diiudicandam, quod Aristoteles eos cum dialogis Socraticis componit, in libro de poetis (apud Athen. XI p. 505 C.): *Οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς*

1 Notum est, Epicharmum vel maxime cum iocis et hilaritate gravitatem copulasse et multa philosophice disputasse. Cf. de eo Grysari doctam disputationem (de com. Dor. I p. 84 sqq.), qui coniecit, Sophronem se ad Epicharmi exemplum multum conformasse (l. l. p. 247 sqq.).

καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους (διαλόγους em. Valck. ad Theocr. Adon. p. 194) καὶ μιμήσεις ἢ τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηίου τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων. Et in poetica (I, 7 sq.): Ἡ δὲ ἐποποιία μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις· καὶ τούτοις εἴ τε μιγνῦσα μετ' ἀλλήλων, εἴθ' ἑνί τινι γένει χρωμένη τῶν μέτρων τυγχάνουσα, ἢ μέχρι τοῦ νῦν. Οὐδὲν γὰρ ἂν ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοῦς Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους, καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους. Unde simul id discimus, prosa oratione usum fuisse Sophronem, quod quamquam alibi quoque traditum est (Suid. Hesych. Ill. Eudoc.), fuerunt tamen, qui assensum cohiberent et Sophronis fragmenta metrorum vinculis includere conarentur (Tyrwhitt ad Arist. l. l. p. 106. Fiorillo, obss. critt. in Athen. p. 52 sqq.). Singulare quiddam de Sophronis sermonis indole tradit scholion ad Gregor. Nazianz. (Montfauc. Bibl. Coisl. p. 120): Ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ Συρακούσιον Σώφρονα μιμεῖται· οὗτος γὰρ μόνος ποιητῶν ῥυθμοῖς τισὶ καὶ κώλοις ἐχρήσατο, ποιητικῆς ἀναλογίας καταφρονήσας [1]. Quode conferri possunt Valckenarius (ad

1 Cum carmen Gregorii, ad quod hoc scholion pertinet, a I. Tollio editum (Insignia itinerarii Italici p. 96, 98) a paucis videatur legi posse, in eorum gratiam adscripsi, qui in hanc rem inquirere velint.

Ὕμνος ἐσπέρινος.
Σὲ νῦν εὐλογοῦμεν,
Χριστέ μου, λόγε θεοῦ,
Φῶς ἐκ φωτὸς ἀνάρχου,
Καὶ πνεύματος ἀνάρχου,
Τριττοῦ φωτὸς εἰς μίαν
Δόξαν ἀθροιξομένου.
Ὃς ἔλυσας τὸ σκότος,
Ὃς ὑπέστησας τὸ φῶς,
Ἵν' ἐν φωτὶ τὰ πάντα κτίσῃς
Καὶ τὴν ἄστατον ὕλην
Στήσῃς μορφῶν εἰς κόσμον
Καὶ τὴν νῦν εὐκοσμίαν.
Ὃς νοῦν ἐφύτισας ἀνθρώπου
Λόγῳ τε καὶ σοφίᾳ
Λαμπρότητος τῆς ἄνω

Theocr. Adon. p. 200), Hermannus (ad Arist. poet. p. 93), Müllerus (Dor. II p. 360 sq.), Grysar (de Sophr. p. 12 sq.). Orta est etiam quaestio, num Sophronis mimi in scena acti sint, necne. Quod si quidem Solinum audiamus (c. 5 [11]: *Hic* (in Sicilia) *primum inventa est comoedia, hic et cavillatio mimica* [1] *in scena stetit*, ubi non potest dubitari, quin Epicharmum et Sophronem intellexerit, in scena sane repraesentati sunt. Verum Solinus, ut omnino non est accuratissimus, ita eo tempore scripsit, quo mimorum aliud

Καὶ κάτω θεὶς εἰκόνα.
Ἵνα φωτὶ βλέπῃ τὸ φῶς
Καὶ γένηται φῶς ὅλος.
Σὺ φωστῆρσιν οὐρανὸν
Κατηύγασας ποικίλοις
Σὺ νύκτα καὶ ἡμέραν
Ἀλλήλαις εἶκειν ἠπίως
Ἔταξας, νόμον τιμῶν
Ἀδελφότητος καὶ φιλίας,
Καί τῇ μὲν ἔπαυσας κόπους
Τῆς πολυμόχθου σαρκός,
Τῇ δ' ἤγειρας εἰς ἔργον
Καὶ πράξεις τάς σοι φίλας·
Ἵνα καὶ σκότος φυγόντες
Φθάσωμεν εἰς ἡμέραν,
Ἡμέραν τὴν μὴ νυκτὶ
Τῇ στυγνῇ λυομένην.
Σὺ μὲν βάλοις ἐλαφρὸν
Ὕπνον ἐμοῖς βλεφάροις,
Ὡς μὴ γλῶσσαν ὑμνῳδὸν
Ἐπὶ πολὺ νεκροῦσθαι,
Μητ' ἀντίφωνον ἀγγέλων
Πλάσμα σὸν ἡσυχάζειν.
Σὺν σοὶ δὲ κοίτη εὐσεβεῖς
Ἐννοίας ἐταζέτω,
Μηδ' ἔτι τῶν ὑπαρῶν
Ἡμέραν νὺξ ἐλέγξῃ,
Μηδὲ παίγνια νυκτὸς
Ἐνύπνια θροείτω·
Νοῦς δὲ καὶ σώματος δίχα
Σοί, θεέ, προσλαλείτω,
Τῷ πατρί, καὶ τῷ υἱῷ,
Καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι,
ὯΙ τιμή, δόξα, κράτος
Εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

1 Eadem voce de mimis utitur Ammian. Marc. XXX, 4, 21. Sunt qui v. *cavillari* a calvis mimis deducant, Heinr. ad Iuv. V, 171. Doederl. Syn. II p. 115.

genus vix notum fuit praeter scenicos, itaque cum de Sophronis mimis audivisset, eiusdem generis eos esse facile sibi persuasit. Ut de eius assertionis fide dubitem, quod fecit Grysar quoque (de com. Dor. I p. 65 sq.), facit, quod ita fere de mimis Sophroneis loquuntur antiqui, ut eos a seriorum temporum mimis Romanis natura et indole diversos significent, nullumque scenicae repraesentationis vestigium exstat, tum, quod prosa oratione scripti fuerunt. Neque enim unquam, quod sciam, apud antiquos in scena repraesentatum est quod non versibus compositum fuerit, prosariae orationis hic nullus usus, etiam apud Romanos saturae illae antiquae et fabulae Atellanae versibus erant perscriptae. Mirum videtur Müllero (Dor. II p. 362), si illo tempore poeta lectoribus tantum scripsisset. Verum non legendos scripsit Sophron mimos sed audiendos, dum viva voce et actione a scito fabulatore recitabantur, de quorum arte modo dictum est. Hanc artem Sophronem exercitasse verisimile est, et ipsum mimos suos egisse, quamquam de ea re nihil traditum est. Eo tamen vulgares artifices longe superavit, quod non contentus auditoribus inanem quandam voluptatem praebere, altiore ingenio et serio studio vitam hominum contemplabatur tantaque veritate et artis peritia repraesentabat, ut litteris mandari par esset quae effinxerat. Haec vero mimorum indoles comparatis Theocriti idylliis optime perspicitur; quae in scena acta esse quamquam quidam putarunt, apparet tamen, eam opinionem falsam esse [1]. Omnino sicut ex iis, quae de Sophrone tradita sunt, lineamenta quaedam ducere licet, ad repraesentandam quasi monogrammam quandam imaginem, ita floridis coloribus illustrant eam carmina Theocritea. Nemo nescit esse inter egregii poetae idyllia, quae merito mimica vocentur [2], quorum duo maxime admira-

1 Cf. Eichstaedt, adumbratio quaest. de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus p. 21 sqq.

2 Cf. Eichstaedt, l. l. p. 19 sqq. Reinholdus de genuinis Theocriti

bilia, Thestylida atque Adoniazusas ad Sophroneorum mimorum exemplum composita esse antiquitus traditum est [1]. Ex his igitur potissimum naturam et indolem mimorum adumbrare possumus, quamquam in ceteris quoque poematis studii, quod in Sophrone posuit Theocritus, vestigia apparent. Quodsi hic ad suae aetatis artisque indolem haud pauca sine dubio mutavit, quae iam nimis rudia videbantur mitigavit, et omnino in expoliendis et levigandis singulis ad longe maioris perfectionis laudem aspiravit, summas tamen virtutes, quas in Sophrone mirabantur antiqui, ex Theocrito maxime diiudicamus. Praeterquam enim quod singula, quae de Sophrone collegimus, apud hunc invenimus, in eius carminibus spiritum quoque divinum animadvertimus, quo ea omnia quasi in vitam revocantur. Admiramur ingenuam atque nativam simplicitatem, qua hominum vitam et mores, animos et vultus, sermonem et gestus nobis depingit, ut cum iis vivere videamur. Et hanc simplicitatem atque veritatem, quam sentire facilius quam exprimere possis, non minor certe fuit in Sophrone, cuius ingenium, si forte non tam dulce nec ea arte emollitum fuit, ut in Theocrito admiramur, vigore tamen et facetiis vere popularibus praestantissimum certe fuit.

Quae hucusque disputavi, quatenus ad Persii artem diiudicandam faciant, non latet. Scilicet clarius iam intelligetur, iure ei mimicam artem tribui, et recte traditum videri, eum in Sophronis mimis studium posuisse [2]. Prae-

carm. et suppos. p. 27 sqq. Hepner, de variis Theocriteorum idylliorum generibus p. 12 sqq.

1 Arg. Id. II: *Τὴν δὲ Θεστύλιδα ὁ Θεόκριτος ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε μίμων.* Arg. Id. XV: *Παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι θαμένων τὰ Ἰσθμια.* Fragmenta Sophronis cum locis Theocriteis composuit Grysar (de Sophr. p. 7 sqq.).

2 Notavit Müllerus (archaeol. § 335, 2 p. 462) de *rugosa sanna* (V, 91): *Persius als Nachahmer von Sophron ist reich an solchen Zügen, und will mit aretalogischer mimicry vorgetragen werden.*

tercа autem hic observare licet, non neglectam esse a philosophis, iis praesertim qui ethicam tractarunt, hanc artem exempla e vita petita mimice repraesentandi atque illustrandi [1]. Quo minus mirum est, Persium quoque hinc potissimum sumsisse, quibus satiras suas illuminaret et e philosophorum auditoriis in vitam et consuetudinem hominum deduceret, cum praesertim Romanorum satira cum mimis natura sua multa communia haberet, et haec mimica ars, omnibus grata, magis magisque locum obtineret [2]. Itaque quae de mimis modo observata sunt, ea omnia fere de Persio valent. Et in universum iam monitum est, eum exempla ita describere, ut sermonis morumque diligentissima ratione habita homines quasi viventes et vigentes nobis ante oculos ponat. Qua in re eo semper attentus est, ut quibus externis signis, quibus gestibus, quo vultu animus hominum se praebet cognoscendum, diligenter exprimat, ut ipsum hominem videre videamur. Huc pertinent iracundi *rugosa sanna* (V, 91), ridentium *tremuli naso crispante cachinni* (III, 87), irridentium sannae (I, 58 sqq.), zelotypus, qui *crudum unguem abrodit* (V, 162), et poeta, qui *pluteum caedit et ungues mordet* (I, 106). Huc pertinet philosophorum meditabundorum ridicula descriptio (III, 80 sqq.), avarique, qui *signum in vapido naso tangit lagena* (VI, 17), et crapulantis illius, cuius *laxum caput compage soluta oscitat hesternum dissutis undique malis*

1 De dialogis Socraticis atque Platonicis iam vidimus, et Arriani quoque dissertationum mentio iam facta est. Memorabile est in hac re etiam quod de Theophrasto, summo morum depingendorum artifice, Hermippus narravit (Athen. I p. 21 A.): *Ἕρμιππος δέ φησιν, Θεόφραστον παραγίνεσθαι εἰς τὸν περίπατον καθ' ὥραν λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, εἶτα καθίσαντα διατίθεσθαι τὸν λόγον οὐδεμιᾶς ἀπεχόμενον κινήσεως οὐδὲ σχήματος ἑνός· καί ποτε ὀψοφάγον μιμούμενον ἐξείραντα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη.*

2 Vere dixit M. Antoninus (XI, 6) postquam antiquae comoediae *παιδαγωγικὴν παῤῥησίαν* commemoravit: *Ἡ νέα κωμῳδία — ἢ κατ' ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκ μιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπερῴυη.* Atqui Persii satirae, si a prima abstineas, multis in rebus novae comoediae potius comparari possunt, quam antiquae.

(III, 58 sq.), atque aegroti (III, 100 sq.) imagines. Deinde ut exempla sua e vita quotidiana maxime petit, amat homines e populo introducere, quorum cogitandi et loquendi rationem aeque ac vultus et gestus egregie exprimit. Exempla sint avia illa (II, 31 sqq.), et quos in satira quarta inducit avaritiam (v. 26 sqq.) et mollitiem (v. 34 sqq.) acerbe castigantes, item Bestius iste (VI, 37 sqq.) et hircosi centuriones, Graecarum litterarum osores et irrisores (III, 77 sqq. V, 189 sqq. cl. I, 127 sqq.). Hi omnes ad veritatem optime delineati, ita se gerunt, ut eorum consuetudine uti videamur. Eodem referendum est, quod Persius similia adhibere solet, e vita quotidiana atque vulgarium hominum usu petita, quale est de trutina (I, 5 sqq. IV, 10), de regula (I, 65 sq. IV, 12. V, 37), de luto (III, 21. V, 24), et quae his sunt similia (cf. III, 60 sq. V, 40. 63 sqq.), quae tam accurate et prolixe tractat, ut solent ii, qui in hisce quotidie versantur [1]. Denique Persius multa adhibuit e populari sermone. Quo pertinent permulta proverbia, quibus utitur, et quae quotidiano usu trita proverbiorum speciem induerunt, qualia haud pauca apud eum leguntur, cf. I, 4. 46. 105. 119. III, 65. 96. IV, 4. 11. 26. 42. 52. V, 104. VI, 56. 57. Denique multis verbis et locutionibus usus est, quibus scriptores et maxime poetae abstinuerunt et quas sermoni quotidiano atque vulgo reliquerunt. Quae res nobis, qui sermonis istius vulgaris notitia caremus, difficilis et anceps diiudicatu est, et permulta sane ita comparata sunt, ut fortasse non tam ex ore populi sublecta, quam ad rationem linguae vulgaris efficta sint; quod tamen ad nostram rem perinde est. Plurimum vero ad eam recte intelligendum duo potissimum scripta faciunt, Senecae de morte Claudii Caesaris ludus, sive, ut in cod. Sangall. (Orell. ep. crit. ad Madv. p. XLIII) est, *Divi Claudii apotheosis per saturam*, et Petronii fragmenta.

1 Huc referam quod supra commemoratum est de quadam cum Lucilii sermone similitudine.

Quae non modo ideo, quia iisdem temporibus composita et similis in multis naturae atque indolis sunt, gravissima sunt et utilissima ad iudicium de Persio formandum eiusque satiras illustrandas, sed cum sermonem plebeium ex iis aliquatenus certe cognoscere liceat, omnino permagni sunt facienda. Petronii praesertim fragmenta vitae, consuetudinis atque linguae plebeiae verissimam imaginem plenam delectationis nobis exhibent, et in litteris Romanis eximium locum sibi vindicant. Hi itaque scriptores, praeterquam quod in singulis saepe cum iis consentiunt, quae Persius adhibuit, eaque populi usu trita fuisse, confirmant, in universum nos certius paullo de iis iudicare sinunt, quae hanc popularem naturam prae se ferunt. Ad talia referam *ebullire* pro exspirare (II, 10), *aristas executere* de timore (III, 115), homo *nostrae farinae* (V, 115), *sartago loquendi* (I, 80), *papare* et *lallare* (III, 17 sq.), *asper nummus* (III, 69), et quae paullo pinguius dicta sunt, *robusti carminis offas ingerere* (V, 5), et quod *Iuppiter barbam vellendam praebere* dicitur (II, 28), *canina littera de limine sonare* (I, 109). Plebeium sermonem imitatus nec ab obscoenis abstinet, neque solum duobus istis locis, ob crassam nimisque nudam obscoenitatem famosis (IV, 35 sqq. VI, 72 sqq.), praesertim vocc. *gurgulio*, *singultire*, et audaci illo *quicquid in penem venit*, plebeias facetias expressit, sed in prima quoque satira, quamquam paullo modestius, similiter tamen locutus est (v. 102. 112 sqq.).

Atque haec exempla sufficiant ad demonstrandam illam Persianae satirae cum mimis coniunctionem, quando talia melius ab eo sentiri, qui librum attento animo perlegit, quam singulis exemplis doceri possunt. Unum addo, Persiani dialogi rationem, quae saepe obscura videtur, facile explicari posse, si cogites, satiras a scito quodam lectore apta vocis modulatione et gestu recitari, quo omnis illa obscuritas evanescit. Itaque hac in re quoque ad mimos accedit. Illud enim non potest negari, Persium omnium

summa libertate in disponendo dialogo uti, ita ut prouti lubet adhibeat et abrumpat et aperte eximiam quandam recitandi artem postulet. Quod omnino in Romanorum scriptis diiudicandis non videtur negligendum, ea, postquam invaluit recitationum mos, ad praelegendum potissimum esse composita, et legendi artem summo studio esse excultam vel ipse Persius docet, qui corruptam et effeminatam lectionem perstringit (I, 32 sqq.) [1].

Quodsi vidimus Persium in satiris suis artificii genus adhibere, quod sicut omnino Romano ingenio convenit, ita tunc potissimum temporis summo omnium favore accipiebatur, eundemque spiritum quendam popularem secutum esse, qui quam maxime animos demulcet, minus iam mirabimur, satiras eius tantum sibi favorem statim conciliasse diuque servasse. Quamquam enim intelligere possumus, iuvenis animum virtutis et libertatis amantissimum, studiumque litterarum sincerum atque severum, iis praesertim temporibus, quae mores et studia lascivia et mollitie corrupta videbant, multos cepisse et tenuisse, tamen non satis possemus mirari, scriptorem, qui merito obscurus nobis videtur, quem haud paucis vitiis laborare agnoscendum est, tantopere probatum et laudatum fuisse, si revera tam singularis aequalibus fuisset, quam nobis nunc apparet. Ex iis, quae hucusque disputata sunt, apparebit, Persii scribendi et componendi modum haud una re coniunctum fuisse cum studiis litterariis, quae tunc vigebant, quorum vestigia adhuc cognosci possunt. Verum ea quoque vitia, quae maxime in Persii sermone nos offendunt, obscuritas, quae nimia brevitate sententiisque abruptis maxime oritur, sicut translationibus supra modum audacibus, studiumque omnia nove atque quam fieri potest fortissime exprimendi, ea igitur vitia non tam Persii propria, quam seculi fuisse cognosci potest, eaque ipsa ad plausum illum conciliandum

1 Cf. titulum, quo Marius Fidens praedicat, se fuisse *lectorem eorum more, incorrupto qui placuere sono* (spec. epigr. p. 109).

haud minimum contulisse verisimile est. Quodsi conferamus Ciceronis effatum (de opt. gen. dic. 2, 4): *Nam quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est Latine, verborum praeterea et propriorum et translatorum elegantiam persequamur, in propriis, ut aptissima eligamus, in translatis, ut similitudinem secuti verecunde utamur alienis*, apparet sane, quantum remotus sit Persius ab iis, quae hic praecipiuntur. Nam ab illa quidem verecundia in translationibus alienissimus est, nec propriorum verborum ea potissimum adhibuit, quae aptissima, sed quae fortissima viderentur, omninoque nimis diversa miscuit, plebeia et elata, gravia et sordida, quam qui pure et emendate scripsisse dici possit. Scilicet is, qui tanto studio corruptum scribendi genus impugnavit, non potuit sibi cavere, quin in contraria vitia incurreret, et seculo suo tributum solveret. Nempe in duas partes scriptores eius temporis vergebant, quorum alii luxu, qui omnia corruperat, affecti, mollitie et lascivia diffluebant et inani verborum grande sonantium copia turgebant, quod genus in prima satira castigat Persius, alii contra rigidi et severi, brevitatem et obscuritatem, sublimitatem atque audaciam secuti, nec ipsi vitio carebant. Docet hoc egregie, quo nemo melius seculum suum novit, Seneca (epp. CXIV). *Quare quibusdam temporibus*, ita scribit Lucilio, *provenerit corrupti generis oratio quaeris, et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta et in modum cantici ducta? quare alias sensus audaces et fidem egressi placuerint, alias abruptae sententiae et suspiciosae, in quibus plus intellegendum esset, quam audiendum? quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure uteretur inverecunde? Hoc, quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem*

uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores, si disciplina civitatis laboravit et se in delicias dedit. Argumentum est luxuriae publicae orationis lascivia, si modo non in uno aut in altero fuit, sed approbata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Id quod tunc Maecenatis exemplo, in quo eadem morum quae stili lascivia fuerit, accuratius illustrat, atque addit: *Motum illi nimia felicitate caput, quod vitium hominis interdum esse, interdum temporis solet. Ubi luxuriam late felicitas fudit, luxus primum corporum esse diligentior incepit, deinde suppellectili laboratur, deinde in ipsas domus impenditur cura, — deinde ad coenas lautitia transfertur —. Cum adsuevit animus fastidire quae ex more sunt et illi pro sordibus solita sunt, etiam in oratione quod novum est quaerit, et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota ac deflectit, modo, id quod nuper increbuit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens. Sunt, qui sensus praecidant, et hoc gratium sperent, si sententia pependerit et audienti suspicionem sui fecerit; sunt qui illos detineant et porrigant; sunt qui non usque ad vitium accedant (necesse est enim hoc facere aliquid grande temptanti), sed qui ipsum vitium ament. — Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt. Quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt. — Ad compositionem transeamus, quot genera tibi in hac dabo, quibus peccetur? Quidam praefractam et asperam probant; disturbant de industria, si quid placidius affluxit, nolunt sine salebra esse iuncturam, virilem putant et fortem, quae aurem inaequalitate percutiat. Quorundam non est compositio, modulatio est, adeo blanditur et molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba*

differuntur et diu exspectata vix ad clausulas redeunt? — Non tantum in genere sententiarum vitium est, si aut pusillae sunt et pueriles aut improbae et plus ausae quam pudore salvo licet, sed si floridae sunt et nimis dulces, si in vanum exeunt et sine effectu nihil amplius quam sonant. Haec vitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est, ceteri imitantur et alter alteri tradunt. — Transscripsi totum locum, quamvis satis longum, quia non potest melius ea res describi, de qua agitur, quam hic factum est, idque ab eo, qui Persii aequalis fuit. Videmus autem hic ea vitia, quae castigat Persius, neque minus ea, quibus ipse laborat, ut tunc temporis pervulgata notari, idque aliunde quoque confirmari potest. Nam crebra illa et audax translatio, quae in satirico fortasse excusari poterit, cum ea frequentissime utatur sermo non modo urbanorum, sed etiam rusticorum (Cic. orat. 24, 81. de orat. III, 38, 115), quamquam in Persio sine dubio nimia est, saepius notatur, ut Ateius iam in Sallustio vituperavit obscuritatem et audaciam in translationibus (Suet. gramm. 10), et Quintilianus (X, 1, 118) Iulium Africanum in translationibus parum modicum vocat. Neque rarum fuit etiam illud obscuritatis vitium, quae nimio brevitatis studio procreabatur, de quo ita monet Quintilianus (VIII, 2, 19): *Alii brevitatem aemulati necessaria quoque orationi subtrahunt verba, et, velut satis sit scire ipsos quae dicere velint, quantum ad alios pertineat nihil putant.* Notavit hoc in Fabiano Seneca pater (controv. II praef. p. 132 sq.): *Ab hac* (lasciva oratione) *cito sibi Fabianus temperavit, et luxuriam quidem cum voluit abiecit, obscuritatem non potuit evadere; haec illum usque in philosophiam prosecuta est. Saepe minus, quam audienti satis est, eloquitur, et in summa eius ac simplicissima facultate dicendi antiquorum tamen vitiorum remanent vestigia. Quaedam tam subito desinunt, ut non brevia sint, sed abrupta.* Eundem Fabianum Seneca filius, cui semper in

ore est, vocat *disertum et elegantem, orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae* (epp. LVIII, 4), et alio loco ita de eius oratione loquitur (epp. C, 4): *Videbimus quid parum recisum sit, quid parum structum, quid non huius recentis politurae; cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes.* Quibus verbis videtur illud ipsum excusari et tantum non laudari, tanquam communis labis expers, a filio stoico, quod pater notavit. Neque enim dubitari potest, quin stoici, qui ut omnino sermonis haud magnam curam habebant, ita obscurum (Cic. de orat. III, 18, 66), concisum et minutum (Cic. de orat. II, 38, 59) dicendi genus sequi dicuntur, et ii qui stoicos aemulabantur, hanc dicendi rationem adamaverint et propagaverint. Nam cum rigidi atque severi nihil magis reprobarent, quam in quacunque re lasciviam et mollitiem, inanemque sine viribus ostentationem, hoc forte et masculum brevitate atque asperitate robustum animum ostendens dicendi genus eos usurpasse consentaneum est, quod et ipsum nimio studio vitiosum factum est. Atque hisce observationibus Persianae orationis potissima vitia contineri, attentum lectorem non fugit. Ex iis vero, quae allata sunt, patet, communia ei haec fuisse cum multis, et multos ea ipsa potissimum in eo amasse, quod inde quoque confirmatur, quod ea, quae audacissime transtulit, vel insolenter novavit, vel obscure significavit, ab aliis videmus probata atque expressa. Verum non apud eos solum, qui, ut ait Seneca, vitia ipsa amabant, talia probabantur, sed multi honesti atque ingenui viri, qui nihil magis oderant, quam recentem lasciviam deliciasque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita (Quint. X, 1, 43), praeferebant tamen hanc nimis rigidam et obscuram dicendi rationem, in qua semper tamen recti verique studium, animumque contra prava et corrupta infestum agnoscebant. Sicut similiter iudicat Quintilianus (IX, 4, 142): *In universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam*

compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem, qualis apud multos.

Quae de Persio atque eius satiris disputavi, si quis comprehendat, habebit, ut spero, unde recte de eius ingenio et libro iudicet, ut nec iniuste carpat nec caece admiretur, et, quod summum est, intelligat, quomodo talis factus sit, qualem videmus, et quem locum obtineat inter sui temporis studia atque in Romanarum litterarum historia. Quamquam enim talem disputationem a me non exhaustam esse sentio, quod vix a quoquam perfici poterit, gravissima tamen monuisse et ubi e re visum est explicatius docuisse videor.

Persium iam antiquorum grammaticorum opera explicatum esse ex iis, quae allata sunt, verisimile fit et traditum est ab Hieronymo (apol. adv. Rufin. I t. IV, 1 p. 367 Ben.) loco a multis laudato: *Puto, quod legeris Aspri in Virgilium et Salustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terentii comoedias, praeceptoris mei Donati aeque in Virgilium et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.* Satis notum est, servatum esse in tempora nostra commentarium antiquum, splendido Annaei Cornuti nomine ornatum, addito in quibusdam codd., ne quis erraret, philosophi et Persii magistri, quod in aliis ridicule corruptum equitum magistrum fecit Cornutum (cf. Fabric. bibl. Lat. t. II p. 164). Quod si verum esset, haberemus cur nobis gratularemur, at ille commentarius ita comparatus est, ut tanto grammatico et tam antiquo nullo modo dignus haberi possit, cum, si summam spectes, trita fere, haud raro etiam inepta proferat, eoque sermone, qui tempus longe inferius prodat. Quare non defuerunt, qui omnino rem

non esse verisimilem putantes, Cornutum discipuli sui satiras explicasse, nomen confictum censerent et prorsus abiicerent [1]. Qui quamquam recto iudicio de illorum scholiorum indole usi sunt, non explicarunt tamen, unde illud Cornuti nomen ortum sit. Alii igitur aliam viam ingressi sunt, et cum censerent, veri aliquid subesse huic titulo, et intelligerent, inesse quaedam scholiis, quae non nisi ab antiquo grammatico proficisci potuerint, eo pervenerunt, ut crederent, Cornutum scripsisse scholia, ea vero inepta librariorum opera labente tempore tam foede corrupta et interpolata esse, ut hodie supersunt [2]. Verum quidem est, ex ingenti, quae grammaticorum quoque commentarios affecit, ruina quae servata sunt, ita ad nos pervenisse, ut initio ex antiquorum commentariis excerperentur quaedam et fere scriptorum marginibus adscriberentur, ut ad

1 Exempli causa nomino Funccium, de immin. L. L. senect. V, 20. Fabricium Bibl. Lat. t. II p. 165. Pinzger, in Zeitschr. f. Alterthw. a. 1835 n. 30 p. 247. Weber, Corp. poett. Latt. p. XLVII.

2 Ita statuunt Andr. Rivinus, de quo postea referam, p. 487 sqq. Martinius, diss. de Cornuto. Creuzerus, Wiener Ibb. LXIX p. 105 sq. Qui quod afferunt argumentum, Cornutum ideo scholiorum auctorem habendum esse, quia nusquam de ipso in iis sermo sit, id ingeniose quidem excogitatum est, sed vereor ut multum probet. Eam sententiam, Cornutum hunc esse antiquum grammaticum qui Virgilium explicaverit, sed interpolatum ad sequiorum temporum captum atque usum, enunciavit etiam C. Barthius ad Claudian. p. 129, cf. Advv. VII, 6: *Cornuti nomine grammaticum istum agnoscunt membranae vett. El. Vineti et aliorum, cur vero docti tantopere id nomen aversentur sane nescio. Auctor merito suo minoris esse non debet, quam quivis vetus exegetes.* Verum diversum eum putavit a philosopho, ut alter locus docet (Advv. XI, 27): *Quod autem Cornutum membranae eum satis uberem et prolixum Persii interpretem dicunt, in eo sane non video, cur nobis dubitandum sit, cum Cornutus Maronis exegetes citetur Charis. I, ubi et Annaei est additum nomen. Media sane aetate Cornuto huic scriptori nomen fuisse alibi docemus* (nescio ubi), *erratum autem in Annaei nomine huic dando non defendam, nam Annaeorum familia nobilior et is Cornutus philosophus quam pro exponendo aliquo scriptore gravior.* Quid sibi velint I. Parrhasii verba (de rebus per epist. quaesitis, ep. V t. I p. 735 in Grut. lampade): *Citat* (Acronem) *et Cornutus in Persium, nam quod Persium Cornutus explanaverit, antiquissimus eius poetae commentator, ostendit in illud: Quisquis es, o modo* (I, 44) non intelligo.

manum essent legentibus, inde per manus quasi tradita, cum quivis de suo adderet, quicquid aptum censebat, idque eo largius fere quo quis indoctior fuit, longe diversa evenirent, quam quae ab auctore, cuius nomen fere servabant, profecta erant. Adde iam librariorum socordiam, in omittendo, transponendo, vitiose describendo insignem, et apparebit, nihil nisi umbram quandam nos in commentariis habere, quae doctorum grammaticorum nomen prae se ferunt, Servii, Donati, al. Verum tamen ita res comparata est, ut eos interpolationem quamvis foedam passos esse, iure dicas. Sunt enim iis, quae ab auctore vero profecta fundum quasi faciunt, alia admixta diversi generis et temporis, quae quamquam mole sua antiqua et genuina fortasse superant, tamen sensim sensimque diversa ratione accrevisse patet. Aliter vero in nostro commentario res se habet. Quamquam enim hic quoque diversi generis et a diversis auctoribus profectae adnotationes miscentur, tamen facile apparet, fundamento esse commentarium explicando Persio ab uno quodam auctore conscriptum, quem perpetuum iure dicas, qui merito auctor scholiorum audiat. Hunc vero Annaeum Cornutum esse non posse, neque omnino grammaticum antiquum, certo certius est. Quod cum singulis afferendis vix possit probari propter promptam illam interpolationis excusationem, luculenter apparebit cum ei, qui totum perlegerit, tum ex iis quae disputaturus sum, elucebit. Quodsi reperiuntur praeterea in hisce scholiis, quae antiquius tempus prodant, ea non sunt ita comparata, ut paullatim ad hanc commentariorum molem accrevisse putari possint, nullaque causa est, cur ea ab Cornuto profecta, ideoque nomen hoc scholiis praepositum putemus. Si igitur tria haec ponimus, commentarium scriptum esse tempore non ita antiquo neque a grammatico vera doctrina praedito, referri ad auctorem Cornutum, inesse ei autem quaedam, quae antiquam originem prae se ferant, iam, ut res componatur, demonstrandum erit, fuisse Cornutum quendam

iuniorem, eoque tempore, quod ab his studiis et simili doctrinae ratione non abhorreat, et quae in eius commentariis insint antiqua, probabiliter ad veterem aliquem doctum grammaticum partim quidem referri posse. Utrumque sequenti disputatione assecuturum me esse spero.

Fuisse grammaticum quendam iuniorem Cornutum didici primum ex Sinnero (cat. codd. mss. bibl. Bern. I p. 502 sq.), qui refert, exstare in codice bibliothecae Bernensis scholia in Iuvenalem, in quibus Cornuti adnotationum mentio fiat, quorum duo specimina addidit. Bernae igitur codicem hunc (n. 223 cat.) accuratius tractavi (cf. Orell. ep. crit. ad Madv. p. LIX). Est chartaceus forma maxima scriptus, sec. XV, et haec continet: *Scholia in Horatii artem poeticam atque epodon librum; Albericum*, in cuius fine scriptum est: *Explicit Albericus Londonen de ueritate fabularum. Anno dni* 18he° 19 *martii. Deo gratias*; *Caput* 21 *libri XIX Agellii noctium Atticarum; Haec sunt nomina magistratuum dignitatumque veterum Romanorum civitatis; Commentarius in Iuvenalem*, inde a sat. II, 152 usque ad finem; *Annei Cornuti commentum in Aulis Flagi Persii satyrarum librum.* Commentarius in Iuvenalem satis prolixus est, 69 foliis scriptus et nugis refertus (haud paucis in locis lacunae sunt breviores maioresve, et saepe ad clariorem intellectum rerum, quae explicantur, et scribentis, ut videtur, delectationem imagines rudi calamo in margine delineatae sunt), qui nec a quo nec quo tempore scriptus sit, dici potest, quamquam id quidem apparet, auctorem recentissimum esse. Is igitur, quisquis fuit, Cornuti scholiis usus est. Ego vero omnes locos mihi transscripsi, in quibus Cornuti mentio fit, si forte de eius scholiis iudicium ferri possit. Mox cognovi, Cornuti integrum commentarium iam exstare typis expressum. In eadem enim bibliotheca exstat collectio epistolarum autographarum a viris quibusdam doctis ad Petrum maxme Danielem scripta-

rum (cod. n. 141, cuius mentio facta est etiam apud Roth. ad Aemil. Prob. p. 233 sq.), inter quas haec Eliae Vineti legitur ad P. Danielem data (n. 141):

De Cornuto quod scriptum erat in bibliotheca illa legeram et Iacob. Gupium aliosque amicos nostros, qui Lutetiae erant, de hoc percontatus fueram, sed negarunt omnes, se vidisse umquam eum Persii interpretem, et Robertum Stephanum edidisse non alterius, quam Nebrissensis in Persium commentaria [1]. Gaudeo autem plurimum de isto Veneto exemplari [2], ex quo et altero illo tuo et eo, quod post Pictaviensem editionem nobis commodavit Io. Tillius, Brionensis episcopus, alteram editionem spero longe emendatiorem fore. In eo Tillii codice etiam *Brisin* scriptum est pro *Bris enim* (I, 75), de quo verbo nihil plane comperi. Sed *Cloantem* (V, 64) *Cleanthem* esse debere semper existimavi. Illa de *tucetis* (II, 42), quae Fulgentius escas regias esse scribit, non unius sunt interpretis. Cuius verbi vestigium nescio an nunc exstet ullum in Italia, sed quidam nuper apud me Hispanus contendebat, *tucinam* suam (sic illi suillam carnem vocitant) tucetis istis esse prorsus cognatam. *Phisingi* denique (I, 4) nostri *piscuni* sunt in Tillii nostri codice, qui sic habet hoc loco: *Labeo poeta Latinus fuit, ut Fulgentius in libro etymologiarum ait, qui carmen et opus Homericum vertit in Latinum et placuit non magis auditoribus, quam lectoribus. Eius versus est: Crudum manduces Priamum Priamique phisinnos.* Quod vero ad Iuvenalis vetustum interpretem attinet, cum Bernae suus liber [3] mihi reddendus foret, ut ista Cornuti commentaria facilius possem agnoscere, si forte alicubi in ea inciderem, aliquot loca, in quibus Cornutum citaret vetus interpres ille, in meo codice descripseram, quae ex tuo Lovaniensi totidem mihi verbis describis, ut etiam iam videam, antiquum hunc commentatorem iampridem formis, quod minime suspicabar, vulgatum fuisse. Hoc eiusdem est interpretis, quod reperimus ad vs. 136 primae satyrae: *Solebant antiquitus triclinia sternere et tres ordines lectorum, in uno quorum dominus cum familia sua discumbebat, in alio domina cum puellis suis, in alio vero hospites,*

1 Apud Fabricium (Bibl. Lat. II p. 165) haec lego: *Scholia antiqua ante Pithoeum ediderat Rob. Stephanus* 1549. 8. *locupletiora Elias Vinetus Pictavis* 1563. 4. Cum editione Stephaniana uti non liceat, nescio quaenam sint illa scholia.

2 Editionem Cornuti principem significat, de qua postea.

3 Idem sine dubio, de quo modo dixi.

sed Romam modo coenabant soli, ut iste — Burdigalae, Nonis Februariis [1].

Lovaniensis illa editio vix dubitari poterit, quin eadem sit, quam accurate descripsit Hauthalius (ad A. Persii Flacci sat. I p. XXV), et haec in fine exhibere ait:

Presens satyrarum opus insigne Iuvenalis ꝛ Persii poetarū clarissimorum: extitit per Ioannem de Westfalia in florentissima universitate Lovaniensi residentem: arte quadam caracterisandi modernissima: feliciter consummatum Anno domini. M°. cccc°. Lxxv. mensis semptembris die vicesima.

Laudat praeterea Van Praet, Catal. de Livres impr. sur vel. II, 77. Dibdin, introd. II, 150. Ebert n. 11201, et affirmat exstare eam in bibliotheca Regia Parisiensi et Cantabrigiensi Coll. St. Petri. Quae editio cum nec a me inspici potuerit, nec ab ullo quod sciam Iuvenalis editore adhibita sit [2], non possum dicere, num Cornuti nomen prae se ferat commentarius in ea impressus, nam quin idem sit dubitare non sinunt Vineti verba. Invenitur autem Cornuti expositio super toto libro Iuvenalis in cod. membranaceo bibliothecae Laurentianae (pl. 52, 4) sec. XV, nitide scripta manu Bastiani Pistoriensis, quam excipit Cornuti commentarius in Persium (cf. Montfauc. Bibl. Ms. I p. 338. Bandini cat. bibl. Med. II, 547, 1. 618, 1). Quam ubi inspexi, facile intellexi, esse eum ipsum Cornuti commentarium, ad quem respexerit scho-

1 Annus non additus est, post a. 1568 scriptam esse, docet altera quaedam epistola pridie Non. a. 1568 ab Elia Vineto ad P. Danielem missa (n. 144), in qua praeter alia haec leguntur: *In enumerandis autem auctoribus, quos emendare sum aggressus, quia Cornutum Persii interpretem a nobis vulgatum praetermittis, eum ad vos hauddum pervenisse existimavi, quare ipsum ad te mittere mihi visum est. Videbis ergo et antiquissimi doctissimique, quantum vides, grammatici vicem dolebis.*

2 Ge. Fabricius in iis, quae ad marginem editionis Iuntinae a. 1513 adscripsit, quae nunc in bibliotheca Reg. Dresdensi servatur (cf. Passovius p. 157. Ebert Beschreibg. p. 289) memorat ad III, 78 *Lovaniense Mstum*, verum ad III, 277 *Manuscripta et Lovaniense*, et ad VI, 614 *Man. et Lovaniense*, unde putaverim, eum hac editione usum esse.

liasta cod. Bernensis, talemque reperi, qualem exspectavi, satis ieiunum et recentem, prolixitate haud parva trita et saepe inepta exhibentem, quae satis demonstrarent, eum bonis et antiquis fontibus non esse usum, planeque diversum a scholiis Pithoeanis et Sangallensibus. Itaque nolui describendo tempus perdere, satisque habui, ea quae e cod. Bernensi adnotaveram, cum Laurentiano comparare, quamquam iam doleo, me ad alia quaedam non attendisse, quae in hac quaestione alicuius momenti esse tum nondum intellexi. Ut vero, cuiusmodi sit hic Cornuti commentarius intelligi possit, exhibebo cod. Bernensis scholia, ita ut uncis includam quae desunt in cod. Laurent., et addam, si quae notanda visa sunt.

II, 166. Cornutus vero inquit, arma tribuunt gentibus et ab his magna vulnera accipiunt, et hoc vocat *commercium*, vel vocat commercium, quod ab Armeniis Zelates loco pacis Romanis fuerat obses datus et ipse omnia turpitudinis vitia didicerat, in patriam delaturus.

Apud Cornutum haec leguntur: „*Commercia* dicuntur communicationes mercis. Romani, inquit, arma gentibus tribuunt et ab his vicissim vitia recipiunt illorum, vel commercia vocat, quia Armenius Zalaces Romanis loco pacis fuerat datus, sed ille omnia turpitudinis vitia a Romanis didicit.“

II, 169. *Mittentur*. Cornutus aliter exponit dicens.... (*lacuna*), esse afferesim factam, *mittuntur* i. dimittuntur.

Apud Cornutum est: „Omne belligerandi studium amittunt.“

III, 3. *Destinet* i. disponat, nam ut Cornutus dicit, *destinare* est aliquid proponere.

Apud Cornutum est: „aliquid ad finem proponere.“

III, 14. Cornutus dicit, ne putrescant carnes in parascene coctae, ideo ab iis servabantur in cophino et foeno. *Parascene* dicitur q. praeparatio scene. Despective autem dixit cophinum et foenum suppellectile eorum.

III, 20. Ut dicit Cornutus *tophus* est lapis niger et durus et vilis, ubi ferrum acuitur, est enim asperrimus.

III, 31. Cornutus eos conducere flumina dicit, i. ipsi conduct precio pro aquis de flumine hauriendis, sicut non conduct portus, sed ipsi pro conducendis portubus conducuntur.

Cornutus habet: „ad custodiendos portus cond.“

III, 32. Cornutus portandum ad busta cadaver i. qui vispillones possunt fieri.

III, 33. Idem est autem, ut ait Cornutus, sub corona vendi, quod sub hasta transire; sub corona vero vendi dicebantur, quia imponebatur eorum capitibus ramusculus [arboris sicut hodie fit] equis venalibus, aut quia eorum capita radebantur, quod erat signum servitutis.

Apud Cornutum est: „Signum venditionis. Hinc canimus in cantico de cruore occisorum et de capitis nudi i. rasi.“

III, 38. *Foricas* [1]. Cornutus forire dicit quod foras ire, unde dicimus foricas cloacas, in quibus stercora defluunt publica, nam latrinae dicuntur privatae [a latendo, quia in domo latent].

III, 126 sqq. Quidam Cornutum sequentes sic exponunt: *Si* pro quod. *Togatus* i. nobilis, nam toga vestis est communis. *Curet currere* ad salutandam divitem matronam, ut eam saepe salutando hereditatem illius acquirat, et sic heredipetas reprehendit. *Praetorem* dicit tutelarem i. viduarum protectorem. Viduae enim rerum suarum constituebant protectorem, qui eos expelleret, qui per salutationes earum hereditates volebant acquirere. *Lictorem* sc. servum non praetoris tutelaris, sed praetoris urbani. *Orbis* sc. pauperibus vigilantibus ad ianuam matronae et quare vigilent dicit. *Ne collega* i. aliquis pauperum. Collegae dicuntur pauperes, quorum legatio erat ad ianuam divitum matronarum exspectare, qui ad hoc in vita legati sunt, ut labores sustineant et aerumnas, sicut omnes divites sunt legati, ut in voluptate vitam transeant. *Albinam et Modiam* nomina sunt viduarum, qui suos praetores habent, qui eos custodiunt et pupillos earum.

Horum loco apud Cornutum haec invenio: „Propter nimiam avaritiam illud, quod pauperes facere debent, tunc divites faciebant. *Ante ortum* sc. solis et recessionem noctis adibant viduas, quarum hereditates appetebant, eisque salutantis obsequia exhibebant, quibus euntibus iam dudum orbi vigilabant i. lumine privati, credentes adventasse diem, dum praetereuntes sentirent.

1 Io. a Ianua: „*Forica a forio, foris* dicitur haec *forica, cae*, id est cloaca, ad quam publica civitatis stercora confluunt et proiciuntur. Nam *latrinae* dicuntur a latendo, scilicet cloacae privatae, quae in domibus latent.“

Hi enim iuxta viam in capannis [1] residebant et stipe praetereuntium pascebantur. Vel orbi i. pupilli domos divitum venientes ante lucem eos existimabant exituros, quatenus eorum patrocinio et tutela protegerentur, vel orbi sunt pupilli i. orphani dicti quasi orbati. Pupilli, inquit, ad fores praetorum vigilabant, ut eorum patrocinio et tutela protegerentur, sed illi nihil de his curantes praemittunt nuncios ad meretrices et ipsi subsecuntur.“

III, 132. Cornutus. *Accipiunt* i. aureos. *Tribuni* i. magistri militum pecuniam ex aerario solebant accipere, deinde illam distribuere militibus per donationem. *In legione* i. pro legione.

Non invenio apud Cornutum.

III, 142. Cornutus. *Parapsis* est vas quadratum, ponitur autem pro quovis escali argenteo [2], sicut sunt gradalia [3].

Neque haec apud Cornutum sunt.

III, 144. Cornutus. *Samos* insula est vicina Traciae, quae vocatur Samotracia, hinc Samotraces pro quibusvis barbaris ponit.

III, 178. Cornutus. *Orchestram* pro nobilibus posuit, nam orchestra dicebatur locus separatus in scena, in quo senatores erant et principes.

III, 190. Cornutus. *Praeneste* civitas est iuxta Romam in Praenestinis montibus sita, [dicitur autem a potoy pinu [4] i. ab ilicibus, qui ibi habundant. Est enim ilex arbor glandifera et dicitur in graeco pinos] et praeneste hoc loco adverbialiter sicut Volusinis et Gabiis [sita est haec civitas inter ga. et vo.] volu. et gabiae nomina sunt civitatium [pluraliter inflexa]. *Tibur* oppidum est Tusciae in latere montis situm, unde ait proni, devexi, inclinati.

III, 201. Cornutus. Vocat ultimum parietem ultimam parietis partem g[i] subti tegitur, et hoc est, quem tuetur [5].

Non est apud Cornutum.

1 Isid. orig. XV, 12. *Tugurium* casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum ad tegimen sui, quasi tegurium, — hanc rustici *capannam* vocant, quod unum tantum capiat. Cf. Du Cange gloss. med. et inf. lat. II p. 214.

2 *Escalia argentea* habet Du Cange l. l. II p. 140 ex charta Sanctii regis Navarrae a. 1158.

3 In testamento a. 1010 in append. Marcae Hisp. col. 973 est: *Ad sancta Fide coenobio gradales duas ex argento*, teste Du Cangio l. l. III p. 925, qui quaerit, num sint gradualia (libri missales) ex argento.

4 Leg. *ἀπὸ τοῦ πρίνου*, et postea *πρῖνος*.

5 Aliter legisse videtur schol., quam nunc legitur.

III, 204. Cornutus. *Abacus* est mensa geometralis, in qua super glaucum pulverem figurae geometrali radio depinguntur. Vocatur etiam abacus superior pars capitelli, saxum scilicet quadrangulinum, super quod marmoreas columpnas ponunt. Abacus et mensa marmorea dicitur, super quam ponuntur calices, qualem dicit Codrum habuisse.

III, 218. *Fecasiani* quidam populi sunt culturae deorum intenti, ipsi sunt Phaeaces, ut ait Cornutus.

III, 228. Cornutus. *Bidens* est ferreum instrumentum rusticum, quo colunt rustici hortos, sic dictum a duobus dentibus, quod appellant ligonem.

IV, 122. Cornutus dicit, *pegma* est massa ferri, quo ludunt scenici [1].

IV, 154. Aliter sentit Cornutus, dicit enim. Cum Romani essent in Hispaniis et Nero Romae nobiles persequeretur, illi, qui in exercitu erant, Galbam sibi praeposuerunt, ut venientes Romam Neronem interficerent, quod audiens Nero duos acutissimos pugiones mamillis suis apposuit, et appropinquante Galba cum suo exercitu Nero pugionibus incumbens vitam terminavit.

Haec non leguntur apud Cornutum.

V, 25. *Corybanta*, Cornutus pro insano, quod bibisti. Corybantes sunt sacerdotes matris deum.

V, 29. Cornutus dicit lagenam a occasione Sanguntina, quod apud Sanguntum inter Hannibalem et Romanos infaustum bellum gestum est. Orta namque in convivio lite qualibet occasione tam infausta pugna exierit, qualis fuit apud Sanguntum.

VI, 276. *Curuca* avicula est, quam Cornutus *linofam* [2] appellat

1 Schol. Havn. ap. Cram. p. 592: „*Pegma*, massa ferri.“ Io. a Ianua: „*Pegma* a *pungo* dicitur hoc pegma, tis i. e. baculus cum massa plumbi in summitate pendente — Iuv. *Et pegma et pueros vide ad velaria raptum.* Et, ut dicit Cornutus, tali baculo scenici ludebant.“

2 Papias: „*Curruculа* est avicula, quae alterius filios educat, haec dicitur *linofa* vel *cucula*, eo quod cuculus dum eius ova sorbeat sua relinquit, quae curruca tam diu fovet, donec extracti pulli eam comedant.“ Io. a Ianua: „*Curruca*, quaedam avis, quae alienos pullos educat vel nutrit. Et dicitur sic, quia dum cuculus eius ova sorbeat sua relinquit, quae curuca tamdiu ea fovet et pullos natos educat, donec filii inde nati et excreti eam comedunt. Unde et curuca dicitur ille qui, dum credat nutrire filios suos, nutrit alienos. Haec eadem avis *linofa* dicitur secun-

[sed non est], quae alienos foetus educat. Dicunt namque, quod cuculus ea absente ova eius sorbet, et ibi sua deponit. Curuca sua esse existimans fovet et pullos natos educat, qui adulti eam devorant. Huic avi maritum comparat, qui alienos filios ex uxore natos mansuete nutrit.

VI, 450. Cornutus tamen vocat *enthymema* rhetoricum syllogismum, *curvum* autem dicit ad proprietatem syllogismi respiciens, qui quasi circulus in se ipse resolvitur et auditorem undique comprehendit.

VI, 476. *Cosmetae*, interponit *s*, deberet enim dicere *cometae*, ancillae sunt, quae sparsis capillis incedunt. Cornutus tamen dicit, quod cosmetae dicuntur a cosmo i. orno.

Apud Cornutum est: „*Cosmetae*, ornatrices, quae ornant dominam.“

VI, 504. *Cedo* defectivum verbum neque amplius invenitur. Cornutus tamen dicit, quod invenitur *cedite*, sed ambiguum est.

Non legitur apud Cornutum.

VI, 558. Matronae tabellas habebant, quas Cornutus *spinacas* vocat, in quibus scribebant caracteres et figuras, quas matronis locabant, ut inde amicos acquirerent.

Cornutus habet: „*Penacem* dicit, in qua erant carmina magorum [1].“

VI, 657. Aliter Cornutus dicit, quod Tyndaris maritus Ledae bipenni utebatur, unde ait, illa tenebat bipennem Tyndaris i. Ledae, et est genitivus.

VII, 114. Cornutus tamen dicit, quod *satipone* dictō nomen est loci adverbialiter positum [et ita legit, rus lacertae quod est satipone i. in illo loco q. d. si causidicorum lucrum consideres, huius villa melior est, quam luci (*lucra*) illorum].

VII, 154. *Cambre* nomen fabulae nobis ignotae.

Est etiam apud Cornutum.

dum quosdam. *Curuco* dicitur a curuca. Et est *curucare* aliquem curucam facere, quod fit eius corrumpendo uxorem.“ Cf. gloss. mst. in bibl. Bernensi (n. 519 apud Sinner. cat. codd. mss. bibl Bern. t. I p. 412): „*Curuca* avis, quae alienos pullos nutrit, *curucare*, aliquem curucam facere eius violando uxorem.“ Cf. Casauboniana p. 59. Lütke in Hagen Germania 1 p. 144 sqq.

1 Cogitavit de voc. *πίναξ*.

VII, 214. Cornutus, quod Allobroges dicuntur Rufi, Galli [1], Cicero autem rufus et candidus fuit, unde a qualitate coloris dictus est Cicero, quem Rufus discipulus suus vocabat Allobrogem, qui postea a discipulis suis meritam et consimilem passus est contumeliam.

IX, 37. Hoc Graecum corruptum est uno pede, quem magister Hircus, ut Cornutus dicit, diu exquisivit, invenire non potuit, sed hoc significat: Dulces mores viri mollis.

Non est apud Cornutum.

XIV, 241. Tamen Cornutus aliter legit et dicit: *Quorum* sc. Graecorum, quod superius dixerat: *si Graecia vera*, Thebae namque sunt in Graecia.

Non est apud Cornutum.

XV, 4. Cornutus tamen sic legit: Effigies phitici illius serpentis nitet in circo, sed metrum non pateretur.

Apud Cornutum haec leguntur: „*Phiticus* mons est iuxta Thebas Aegypti civitatem, in qua fuit statua Memnonis, filii Aurorae, regis Aethiopiae, ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce regem et solem salutaret. Postea rex Cambyses volens hanc rem cognoscere partem statuae abscidit, et sic postea solem, non et regem salutabat, unde et dicitur *dimidio Memnone*."

Apparabit ex hisce [2], eundem esse Cornutum, quem laudat ille Bernensium scholiorum auctor, et cuius commentarius

1 Isid. gloss. „*Allobroga*, Gallus, Rufus."

2 Adiicio pauca, quae ex Cornuto excerpsi, in cod. Bern. non memorata, quoniam ad rem aliquid facere videntur:

I, 78. *Praetexta* genus erat togae, qua utebantur pueri adhuc sub disciplina usque ad decimum quintum annum, deinde togam virilem accipiebant, unde in Vita Scti Germanici legitur: *Cessit praetexta togae.*

Eadem e cod. Mediol. ad X, 99 protulit Ferrar. de re vest. II, 1 ap. Cram. p. 605 sq.

IV, 10. Sicut legimus in historiis, Romanos Porphyram puellam infodisse.

VI, 267. Vegetius de re militari dicit (?) *Siphones* dicuntur conchae i. magna vasa, cum quibus biberant ipsae, vel tubae. Non solum, inquit, non venerantur Pudicitiam, sed et quaeque turpia agunt in templo eius, et conchas vel tubas ad eius suspendunt simulacrum.

Cum his cf. Io. a Ianua: „*Sifon* a sibilo dicitur i. e. tuba, vel potius conca, sive vas, in quo mingebant — Iuv. *Effigiemque deae longis siphonibus implent*, vel potest hic teneri in proprio sensu. Nam huiusmodi vasa suspendebant mulieres ad simulacrum Pudicitiae facientes quaeque turpia in templis eius."

in cod. Florentino exstat, nam quod in hoc quaedam non inveniuntur, quae ille laudat tamquam Cornuti, quaedam paulo aliter leguntur atque ille habet, haec non nimium momenti habere videbuntur scholiorum talium rationem considerati [1]. Nam, ut iam monitum est, describebantur ita, ut, si quid pravum videretur, corrigeret, si quid superfluum, omitteret, si quid scitu utile ipse haberet, adderet librarius, haud pauca etiam oscitantia et ignorantia corrumpere solebat. Servabatur semper eius nomen, a quo scholia olim profecta erant, et maxime si nomen erat notum et splendidum. Itaque quae in iis, quae allata sunt, congruunt inter se, fidem satis certam faciunt, eiusdem esse Cornuti scholia, de quibus quaerimus. De natura vero atque indole eorum etiam ex parvis hisce fragmentis haud ambiguum ferre iudicium licet, esse ea eius aetatis, quae longe remota ab antiquitate, obscuram tantum eius atque confusam cognitionem servaverit, et a viro quodam profecta, qui nec grammatica disciplina doctus fuerit qualem antiqui profitebantur, nec bonis et genuinis fontibus usûs sit, sed cum quaedam quasi per nebulam visa aut fama cognita habuerit, permulta finxerit neque satis scite. Possumus de ea re eo certius iudicare, quia in Iuvenalem habemus scholia, quae quamquam lacera et misere corrupta ad nos pervenerunt, codicum Pithoeani et Sangallensis maxime beneficio, tamen doctrinae ab antiquo quodam grammatico traditae vestigia servant, et si cum Cornuti notis comparantur, satis aperte demonstrant, quid distent aera lupinis [2]. Animadversum iam est a VV. DD., haec scholia quibusdam locis verba poetae ita exhibere, ut in nullo

1 Idem in Cornuti scholiis ad Persium locum habere, infra videbimus.

2 Toto coelo ea esse diversa comparantem non fugiet. Nam quod tribus locis similia habent scholia antiqua ad II, 169 *mittentur, dimittentur*, ἀφαίρεσις; ad III, 37 ubi inter alia dicitur: *forire est* [*non*] *foras eiicere;* ad VI, 450 quod *enthymema* per *syllogismum* explicatur, ea ita comparata sunt, ut non multum probent.

codice manuscripto leguntur, praeter Pithoeanum, qui quamquam non integrum, tamen omnium maxime textum antiquorum scholiorum repraesentasse videtur, atque id in edendo Iuvenali aliquando ita persequendum erit, ut appareat, haud ita paucis locis insigni modo diversum fuisse scholiastae textum ab eo qui in nostris codicibus legitur. Hos autem codices, quantum ego novi, quamquam inter se diversi sunt bonitate, neque pari modo corrupti, ad unum idemque genus tamen pertinere facile apparet. Eminet inter eos familia codicum, qui aetate haud contemnenda et lectionis integritate commendantur, et tam accurate inter se congruunt, ut ex uno exemplo ductos eos esse perspiciatur. Ad eam pertinent codd. monaster. Sangallensis et Einsiedlensis sec. X vel XI, Parisinus sec. XII, Laurentiani sec. XI [1], qui ideo summae auctoritatis est, quod addita subscriptione testatur, esse descriptum ad exemplum a Niceo Romae emendatum. Iamvero hi codd. non solum ubique eas lectiones praebent, quas explicat Cornutus, verum addita habent scholia partim in margine adscripta, partim continua serie descripta, quae quin sint eadem cum Cornuti scholiis non videtur dubium. Doleo a me non plura excerpta esse, e quibus id clarius appareret, verum cum codices inspicerem et viderem inesse nihil nisi nugas, nolui tempus perdere describendo, ad hanc quaestionem tum non satis attentus. Sed sufficit vel hoc, quod eadem, quae ad VI, 276 de *curruca* avicula, quae *linofa* dicatur, ad VII, 114 de inepta lectione *rus satipone*, ad VII, 154 de *Cambre* nomine ignotae fabulae adnotavit Cornutus, codd. illorum scholia tradunt, ut probetur, ea ad eundem auctorem referenda esse. Omnium vero gravissimum est, quod annotatum est ad IX, 37. Nam quae ibi leguntur verba Graeca: *Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος,*

1 Non solum in Sangallensi et Einsiedlensi hic illic glossae Teutonicae adscriptae sunt, sed in Laurentiano quoque ad VI, 43 legitur: *capistro, halfdra.*

recte tantum exhibet cod. Pithoeanus, et explicat eiusdem scholion: *Ipse ad se trahit.* In ceteris omnibus codd., qui Graeca non omittunt, verba quaedam quasi Graeca leguntur, addita versione, quae probat, haec ita constituta esse a quodam, qui cum confusam quandam Graecae linguae cognitionem haberet, ut sonum certe et verborum quorundam significationem teneret, nubeculam hic pro Iunone amplecteretur. Huiusque doctrinae per omnes librariorum errores apparent vestigia. Codd. igitur, quos dixi, ita legunt Sang. et Eins.

AyΘOC. TAy. KOy. **a***NDPa. KINHaOC*
cum gl. *Mores dulces viri mollis.*

Laurent. **a***IΘOC. ΓAIKOC.* **a***NDPa. RIN*Є*AOC*
mores dulces viri mollis

Paris. **a***ITOC ΓAIKOΥ* **a***NaPa KINa**IAOC*

Apparent hic primum genuinae lectionis quamvis turpiter depravatae vestigia, tum ex versione addita videmus, qui haec ita constituerit, fando audivisse, ἦθος significare morem, γλυκύς dulcem, ἀνήρ virum, κίναιδος mollem, omnia vero haec quasi per transennam ac nebulam vidisse nec grammaticae graecae peritum fuisse. Hic vero codd. Laur. et Paris. scholion habent: *Proverbium erat de catamitis dictum: Dulces sunt mores id est faciles et flexibiles viri mollis. Unus pes deest versui Graeco, quem magister Hiericus scire non potuit.* Idem autem Cornutus adnotasse dicitur in schol. Bern., nisi quod ibi ridicule *magister Hircus* appellatur. Pro certo igitur poni possumus, per medium aevum in hominum manibus versata esse Iuvenalis exemplaria ex recensione Nicaei cum commentariis, quae Cornutum auctorem haberent, cum alterius recensionis exemplaria cum scholiis ab antiquo grammatico profectis minus nota et paucis tantum codd. servata esse videantur, quod quo casu factum sit, nescimus. Hic igitur Cornutus, qui se recentissimum et Christianum (ad III, 33) prodit, quo tempore vixerit, huius scholii ope definiri potest.

Neque enim iusta videtur caussa esse cur magistrum Hiericum alium esse putemus, quam monachum celeberrimum, qui Hericus vel Heiricus [1] vocatur, et Caroli Calvi temporibus vixit, cui carmen suum de vita S. Germani Antissiodorensis, magnis laudibus celebratum inscripsit. Natus est a. 843 in vico agri Antissiodorensis, cui nomen Hery, et disciplina usus est Haimonis Fuldensis et Lupi Ferrariensis abbatis, ut ipse testatur hisce versibus:

Hic praeceptorum sunt ludicra pulchra duorum,
Quis ego praesulibus ingenium colui,

His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato, *cett.* qui in praefatione ad collectanea ex ore praeceptorum suorum excerpta leguntur apud Mabillon. Anall. I p. 413), in quibus fragmenta Valerii Maximi, Patrum al. reperiri dicuntur. A Ioanne Trittenhemio (de scriptt. eccl. c. 289) dicitur vir in divinis scripturis doctus et in disciplinis secularium litterarum eruditissimus, carmine excellens et prosa, et antiquorum scriptorum haud ita infelix imitator fuisse perhibetur. Equidem doleo, me carmen eius de vita S. Germani [2] sex libris conscriptum, non potuisse legere, quare nescio num inde quoque colligi possit, eum in Iuvenali studium posuisse. Atque cum de ipsius studio, quo in antiquis scriptoribus versatus sit, nihil accuratius docere possim, demonstrari tamen potest, non alienum ab eius aetate eam antiquitatis et praesertim eam Graecae linguae cognitionem fuisse, qualem in commentario videmus, qui eius auctoritate utitur. Nam qui tum haec studia curarunt, quamquam non omni sermonis et rerum cognitione destituti erant, incerti tamen vagabantur, *tenues*

1 Cf. Fabricius, Bibl. Lat. mediae et inf. aet. II p. 325 sqq. Hist. litter. de la France V p. 535 sqq. Bähr, Gesch. d. Röm. Litt. im Karol. Ztalt. p. 111 sqq.

2 Editum est Parisiis apud Sim. Colinaeum 1543. 8, in du Chesnii historiae Francorum scriptoribus coaetaneis (Par. 1636) t. II p. 470 sqq. et in Bollandi Actt. Sanctt., Iul. t. VII p. 221 sqq.

sine corpore vitae, cava sub imagine formae, miris erroribus indulgebant, et nisi sicubi antiquo quodam et sincero fonte uti iis licebat, vix quicquam subtiliter et docte annotare habebant. Exemplo esse potest Lupus ille Ferrariensis, Herici magister, de cuius antiquitatis studio et doctrina testantur epistolae eius, editae a Papirio Massono (Paris. 1588. 8). Hic cum se grammatica, rhetorica ceterisque liberalibus disciplinis formatum professus sit, ab Einhardo explicationem petit de iis, quae in vita Caroli M. (ep. I f. 2b), et in Boethii arithmetica (ep. V f. 13b sq.) obscura manserant. Postea ipse alios de rebus quae ad antiquitatem pertinent quaerentes edocet, partim grammaticis, ut in ep. VIII ad Adalgardum, et in epp. XX et XXXIV ad Altuinum datis, ubi, Prisciani et Servii potissimum auctoritate et poetarum quorundam, maxime Virgilii, exemplis usus, de recta verborum quorundam pronuntiatione, prosodia, orthographia, significatione sim. ita disserit, ut appareat, qui status tunc litterarum antiquarum fuerit, quam incerta et confusa etiam vulgarium rerum cognitio. Interdum etiam de rebus exponit antiquis, ut ep. XV ad Leotaldum, quid sit *pater patratus*, quod nomen esse existimat gradus sacerdotalis, cum is qui eo fungeretur tantum venerationis a civibus mereretur, ut eorum pater factus diceretur, adiecto de eius officio Servii testimonio; et alio loco (ep. XX f. 26b) de *sistro*. Qualem Graecae linguae cognitionem habuerit, non obscure significat, cum ad Einhardum scribit (ep. V f. 14a): *Quae verba Graeca quam habeant proprietatem, nescio si recte acceperim,* et postea (f. 15 a. b): *Abdita in lege et maxime Graeca nomina et alia ex Servio item Graeca — ne gravemini explanare;* vel ad Godescalchum (ep. XXX f. 40b): *Verborum vero, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnibus occurrit — in aliud tempus distuli, quamquam non sim nescius, Graecorum sermonum proprietates a Graecis potius exspectandas.*

Idem confirmatur, si quando de Graecis sermonem facit, ut ep. XX f. 26a: *Blasphemus Graecum esse non dubitabit, nisi qui id per P et H scribi parum attendit: itaque Graecus quidam Graecos blasphemus dicere correpta penultima mihi constanter asseruit, et ipsum Einhardus noster astruxit;* et paullo post (f. 26b): *Fialos correpta penultima ea causa dicimus, quod fialae dicuntur, quia fiunt ex vitro, quod Graeci hialim vocant.* Vides eandem Lupi esse Graeci sermonis peritiam, qualem iam observavimus, ut nostrates proverbio dicunt, audisse quem sonare campanas, ubi pendeant nescire. Similis plane doctrina conspicitur in epistola, quam e codice Vaticano edidi (Bullett. d. Instit. a. 1838 p. 146 sqq.), haud ita multum, ut videtur, recentiore, in qua quis diu multumque quaerendo tandem aliquando alfabetum Pelasgum invenisse se gloriatur, numerosque Graecos nullo in libro repertos, qui magnam partem ridicule deformati sunt e. g. *XXX trianta, XL seranta, L pentinta, LX exinta* cett. Alia exempla huius confusae Graecae linguae cognitionis habet Lachmannus in diss. de Dositheo p. 6 sq. [1] Haec omnia eo, ut credo, ducunt ut notum illum Hericum eum esse putemus, qui studium quoddam in Iuvenali posuit, certe in Graecis istis restituendis et explicandis [2]. Cornutus vero, qui eius auctoritate utitur, haud longe aetate ab eo remotus fuisse videtur, fortasse, quod sane probabile videtur, discipulus eius [3]. Cuius Cornuti num alibi mentio facta sit, non potui investigare, nisi quod Ducangius (gloss. med. et inf. Latin. s. v. *hippocoereium*) glossam

1 Ne eos quidem, qui magna tum Graeci sermonis peritiae laude floruerunt, ut Ioannes Scotus, accuratam eius cognitionem habuisse, docent Graeci versus Io. Scoti et Martini cuiusdam a Labbaeo editi (praef. gloss. fol. IV sq.).

2 Etiam in carmine illo linguae Graecae peritiam ostentat, non tantum verba singula, sed versus integros Graecos admiscendo.

3 Ego iam ne illud quidem affirmare possum, vitam S. Germani, quam Cornutus ad Iuv. I, 78 affert, esse Herici carmen, quo sententia haec etiam confirmaretur.

iustam affert ad magistri Cornuti disticha de quo tamen nihil praeterea traditum invenit Fabricius (bibl. med. et inf. Lat. I p. 1212), nec ego quicquam novi, ut temerarium sit, affirmare esse eundem cum nostro.

Habemus igitur Cornutum [1] quendam, qui non ita multum post tempora Caroli Calvi, ut videtur, vixit, et in Iuvenalis satiras scholia scripsit, quae inde per medium aevum in hominum manibus versabantur et eorum, quae postea ad hunc scriptorem explicandum componebantur, fundamentum erant atque ab iis quoque, qui glossaria conscripserunt (in quibus frequentissima satiricorum poetarum mentio est), frequenter adhibebantur. Habemus vero etiam in Persii satiras scholia hisce indole haud dissimilia, de quibus cetera quoque similiter praedicari possunt, quae denique Cornuti nomen prae se ferunt: nonne igitur summam veritatis speciem habet, utraque ad eundem Cornutum esse referenda?

Quod ne levius iudicatum videatur, de commentarii huius in Persium natura et indole accuratius inquirendum erit. Primum autem monendum est, eam inter utrumque commentarium intercedere diversitatem, quod, cum in Cornuti scholiis ad Iuvenalem nulla usquam antiquae traditionis vestigia appareant, id quod antiquorum scholiorum comparatio clare docet, in commentariis ad Persium quaedam occurrunt, quae non nisi ab antiquo grammatico proficisci potuerunt. Verum haec pauca sunt et apertius etiam demonstrant summam commentarii longe longeque recentiorem esse: inde igitur officium nascitur investigandi, unde haec ad Cornutum pervenerint. Neque vero huius diversitatis causa non potest intelligi. Nam, ut iam annotavimus, ea Iuvenalis recensio, ad quam antiquorum grammaticorum pertinuerunt explicationes, quo casu nescimus,

1 Quod ad nomen Cornuti attinet, non iniuria quis meminerit Virgilii grammatici, et scriptorum, quos laudat, Catonis, Terentii cett. cf. Osann. Beitr. II p. 125 sqq.

situ oppressa fere et neglecta iacebat, contra id exemplar quod Cornutus explicandum sibi sumsit, antiquis scholiis caruisse videtur. Et fortasse commentarii a Cornuto profecti quae vulgo credebatur praestantia effecit, ut alia exemplaria contemnerentur. Aliter in Persio evenit, nam omnia eo ducunt, ut eius satirarum unam recensionem semper servatam esse putemus, et cum ea antiquiorum grammaticorum reliquiae ad Cornutum pervenisse videntur, qui inde frusta quaedam servavit.

In eo autem maxime versatur Cornuti cura, ut sensum et nexum sententiarum indicet atque singula verba explicet, quod addita periphrasi satis verbosa, hic illic non ineleganti, ita assecutus est, ut saepe vere et apte dixerit, haud raro etiam erraverit. Praeterea eo potissimum attendit, ut dialogi rationem exponat, et figuras rhetoricas indicet, quod eius temporis haud ultimum studium fuit. Quae ad res explicandas e. c. e mythologia petita affert, ea omnia fere ita comparata sunt, ut ea non excedant, quae per medium fere aevum nota erant. Ut omnino in serioribus grammaticis certum quasi quendam doctrinae modum conspicimus, ut iisdem libris fere utantur, easdem res doceant, eosdem errores repetant et propagent, ita in nostro quoque. Nam ut in permultis quae tradit cum Servio, ita saepius etiam cum Isidoro ei convenit, ut dubitari nequeat, quin ex eius originibus tanquam primario fonte hauserit quae docet. Id poterit facile vel ex iis perspici, quas in notis allata sunt. Quaedam etiam ex Fulgentio, dubiae fidei scriptore, petita esse docent quae p. 241 sq. et 248 n. 5 attuli, et sunt quae a Paulo Diacono sumsisse videri possit, cf. ad prol. 8 cl. P. D. s. v. *pagani*, I, 82 cl. P. D. s. v. *trossuli*, I, 108 cl. P. D. s. v. *sos*, IV, 51 cl. P. D. s. v. *cercopa*, VI, 56 cl. P. D. s. v. *manias* et *maniae*. Antiquos scriptores, praeter paucos locos de quibus infra dicendum erit, non laudat, nisi notissimos et per medium aevum maxime vul-

gatos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum, Iuvenalem, et semel (I, 93) Cornelium Severum, qui tamen a grammaticis haud ita raro affertur, ut ab eo, quem nuper Hauptius edidit. Quasdam explicationes etiam memoria eorum, quae apud hos legerat, procreasse videtur, partim ineptas. Ita cum dicit poetas antiquae comoediae ex lege XII tabularum fustibus esse feritos (I, 123), meminit aperte Horatii loci (epp. II, 1, 152), sic ut *Cressa* Horatii *nota* (carm. I, 36, 10) Cretensium morem procreavit (II, 1), et alius eius locus (epod. 4, 8) notam de toga senarum ulnarum (V, 14). Cf. etiam schol. ad I, 115 cum Hor. sat. II, 1, 69. Similiter quae ad III, 61 de corvis adulteris narrat, e loco Iuvenalis (II, 63) ducta videntur, ut ex altero (VI, 462), quae de *popaeanis* habet (ad VI, 74), quibuscum cf. Io. a Ianua: „*Popeanum* a popa, quod est pinguedo, dicitur quoddam unguentum“ cett. Quam parum versatus sit in antiquis poetis, docent quae notavit ad V, 1. Quamquam ex totius commentarii habitu maxime iudicandum est, neque multum singulis asserendis lucramur, quia ea postea adiecta esse dici possent, conferri tamen possunt quaedam, quae ad grammaticam spectant, quae illud tempus, de quo modo dictum est, satis prae se ferunt, v. ad I, 46. 108. II, 58. III, 10. 103. al. Confirmant etiam iudicium nostrum ii loci, quibus Graecum sermonem adhibet. Haud raro Graecas profert etymologias, partim eas, quas a Servio, Isidoro sim. traditas reperimus (I, 14. IV, 51. V, 140), partim ridiculas et quae nebulosam istam et confusam Graecae linguae cognitionem demonstrent (prol. 6. I, 102. 127. IV, 13. V, 104), aliquot locis aperte iis usus est, quae antiqui grammatici tradiderunt, ita tamen, ut neque ipse semper accurate intelligeret et passim corrumperet (I, 75. 99. 101. III, 53). Ita cum antiquiorem ducem secutus Graeca in comparationem vocat, illud ὅσον τὸ κενόν quidem feliciter servavit (I, 1), at Graecum versum, quo

significari dicit, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci, omisit haud intellectum (I, 56). Praeterea loci sunt aliquot, quibus Graeca vocabula ad explicationem Latinorum affert, notiora maximam partem, quamquam nec in his a confusione sibi cavit (I, 51. 115. III, 54. 103. V, 103. 126. 185. VI, 80). Recentem eius aetatem, qui hunc commentarium composuit, ea res quoque probat, quod ubi de antiquorum moribus exponit, *antiquos* (cf. I, 29. 52. III, 10. VI, 77) aut *veteres* (I, 36. 42. 58. 89) morem habuisse dicit, aut similiter loquitur (*mos erat* I, 113; *in usu fuit* II, 26 cf. V, 119. 178. 186), quae satis probant, eum ab antiquis temporibus remotum fuisse. Neque is certo Romanus fuit, qui scholia ad II, 59. V, 14 scripsit. Etiam ubi de sui temporis sermone refert, docet se medio demum aevo vixisse, e. g. ad II, 30: *Quod lactidiatum dicimus, qui male sit calce perculsus;* ad I, 15: *Barbitondium*[1] *est tonsurae genus, quo iuvenes tondentur: unde sic tonsi pexibarbi vocantur;* ad IV, 50: *Vibices dicimus genus arboris lentae, quod vulgus biduvium*[2] *vocat.* Alii loci, ubi praesenti utitur, ita comparati sunt, ut nihil certi inde colligi possit (cf. I, 72. 99. 119. II, 13. 59. III, 28. IV, 32. V, 57). Christianum se in scholiis ad Iuvenalem apertius, ad Persium non nisi paucissimis locis et quasi invitus prodidit. Ita quod contra Persii mentem monet (II, 68) posse hominibus ignosci, qui concupiscentiis non utantur, quod alibi (III, 72) non minus intempestive de regno, quod

1 Papias. Io. Ian.: „*Barbitondium*, tonsura barbae, vel locus ubi tondetur." Schol. Havn. ad Iuv. III, 186: „*Metit barbam*, barbitondium facit" (ap. Cram. p. 589). Idem exstat in cod. Bernensi. Voc. *barbitonsor* est apud Du Cang. gloss. med. et inf. lat. I p. 1016.

2 Apud Du Cang. l. l. I p. 1158 haec invenio. Vita S. Lenfredi c. 21: *Illud autem ferramentum vocant rustici b i d u b i u m, quod a quibusdam falcastrum vocatur, quod in falcis similitudine curvum sit.* Canones Hibern. ap. Marten. Anecdd. IV col. 13: *Si quis — aut de fuste aut de securi bidubioque cultello interfectus fuerit.* Habuit igitur hoc voc. aliam quoque significationem.

homo inter animalia teneat, cogitat, aut (III, 84) mundum de nihilo factum esse et in nihilum redactum iri monet, aperte demonstrant vestigia doctrinae christianae, a qua cum ceterum abstineat, his locis quasi sponte se menti eius praebuit. Eodem referendum, quod (V, 180) de Herodianis tradidit, quorum notitiam ex novo testamento habuit (cf. Winer, Bibl. Realwörterb. I p. 572 sq.); veteri alicui grammatico eos notos fuisse, haud verisimile est.

Quod si quis haec, quae speciminis gratia exhibita sunt, totamque commentarii indolem consideraverit, summam veri speciem habere concedet, esse eum ab eodem Cornuto eodemque tempore profectum, qui in Iuvenalem commentarios conscripsit. Is postea demum Annaeus vocatus est ab iis, qui de praeceptore Persii cogitarunt, cum obscuri illius scriptoris nullam notitiam haberent. Cum vero in eo reperiantur quaedam, quae a grammatico longe antiquiore ac doctiore orta sint, quaeritur quibusnam ex fontibus ea hausta sint. Aliis scholiis atque notis se usum esse ipse indicat Cornutus, cum haud raro *aliorum* sententias et explicationes afferat (I, 75. 99. 103. 134. II, 36. 48. 56. III, 31. V, 9), de quibus tamen accuratius non refert.

Primum autem in hac quaestione locum habet vita Persii, quae in codicibus recentioribus et editionibus Cornuto, cuius commentario praemissa est, adscribitur. Ea a permultis quidem VV. DD. Suetonio tribuitur [1], nulla alia de causa, quam quod aliorum quorundam poetarum vitae ad eum auctorem referuntur, tanquam operis de poetis tenuia et lacera fragmenta. Verum haec sententia cum in universum dubia nec ex omni parte firma sit, tum in nostra omni caret fundamento, ea enim nunquam in

1 C. Barthius Advv. XI, 27: *Extat Persii vita, quam ego a Suetonio scriptam suis de causis existimo, perperam relatam ad commentatorem illum, sive Anneum, sive secus, Cornutum certe.*

codd. Suetonio tribuitur, nec in ullo Suetonii codice reperitur, sed in Persii tantum. Atque in antiquis libris hic ei titulus praefixus est: Vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata; quo peropportune edocemur esse eam ab alio profectam, quam qui commentarium hodie superstitem perscripsit, et ab eo grammatico, quem haec scire et tradere potuisse certum est. Nam de vita Persii quae tradita legimus non potuisse scribi nisi a viro docto et egregii iudicii eoque a poetae aetate haud ita longe remoto, ex iis, quae disputavi, apparere spero.

Quam obscura et difficilis quaestio sit de grammaticis, qui Probi nomine usi sunt, neminem fugit. Ut hic celeberrimum grammaticum M. Valerium Probum Berytium intelligamus, suadet cum temporis ratio, tum additum Valerii nomen. De quo cum iam accuratius quaerendum sit [1], post Osanni doctam et laboriosam disputationem (Beiträge zur Griech. u. Röm. Litteraturgesch. II p. 166 sqq.) missa iam facere possumus opera grammatica, quae sub Probi nomine aetatem tulerunt, a grammatico quodam multum iuniore profecta, et librum de notis; atque ea componamus, quae ad Berytium spectant. De eo haec refert Suetonius (de gramm. 24):

M. Valerius Probus. Berytius, diu centuriatum petit, donec taedio ad studia se contulit. Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum [2] memoria, necdum omnino abolita sicut Romae. Hos cum diligentius repetere atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis omnes [3]

1 De Valerio Probo haud pauci dixerunt, qui cum e libro de notis et institutionibus grammaticis de aetate eius iudicium ferrent, in diversa abierunt, et quidam duos distinguendos putarunt, alterum Neronis, alterum Hadriani temporibus adscribendum rati, quod merito reiecit Osannus. Cf. Noris. Cenot. Pis. diss. IV p. 469 sq. Maffei, Graecc. sigl. lapid. praef. p. 17 sqq. Corsini prolegg. ad Graecc. not. p. XIII. Burm. praef. ad Virg. p. 35. Fabric. Bibl. Lat. I p. 342.

2 Cf. Merkel. ad Ovid. Ib. 354 sq.

3 Ita cod. Periz. ed. Ven., vulgo *se*, quod deleri iussit Gronov.

contemni magisque opprobrio legentibus, quam gloriae et fructui esse animadverteret, nihilominus in proposito mansit, multaque exemplaria contracta [1] emendare ac distinguere et adnotare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus. Hic non tam discipulos, quam sectatores aliquot habuit, numquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret, unum vel alterum, vel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat, cubansque inter longos ac vulgares sermones legere [2] quaedam, idque perraro. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit, reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.

Hunc Hieronymus in chron. ad ol. CCVIII, 4, Cassiodorus ad consulatum Marcellini et Aviolae a. u. c. 807, p. Chr. 55 refert, chronicon Urspergense (p. 47 ed. 1609) a. domini 59 claruisse tradit, unde satis constat, eum sub Nerone vixisse. Si idem est, ut verisimile videtur, de quo Martialis dicit (III, 2, 12) ad librum suum: *Illo* (Faustino) *vindice nec Probum timeto*, vitam usque ad Domitiani tempora produxit, cum ea non nisi de vivo apte dici potuerint. Fuit autem revera Valerius Probus severus poetarum censor et castigator, qualem ibi respicit Martialis, nec quicquam est, quod impediat, quominus eum tunc supervixisse credamus. Nam illud non nimis premendum est, quod sub Nerone *claruisse* dicitur. Notum enim est talia a chronographis non nimis accurate poni, et nihil inde certo desumi posse, nisi scriptorem tunc temporis vixisse. Solebant enim eo anno id referre, quo scriptorem aliqua de causa memoratum inveniebant, unde factum est, ut illud *clarescere*, *florere* diversissimos aetatis gradus significet. Itaque nihil obstat, quominus eum sub Nerone incepisse grammaticis studiis operam dare putemus, ita ut Domitiani temporibus adhuc vixerit. Accedit quod eum

1 *Contracta* i. e. collecta, congesta. Cf. praeter exempla ab Oudend. allata, Quint. X, 7, 31: *Nam Ciceronis* (commentarios) *ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit.* Isid. Orig. I, 21 (P. Diac. de nott. praef.): *Seneca contracto omnium digestoque numero.*

2 Cf. Weichert. poett. latt. rell. p. 359.

Suetonius post Remmium Palaemonem ultimumque affert, suae igitur aetati maxime vicinum. Eundem sine dubio saepius commemorat A. Gellius, eumque grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia fuisse praedicat. Neque temporum ratio obstat: nam Gellius, qui Antonini Pii maxime aetate scripsit, potuit eos novisse, qui Valerium Probum audiverant, quamquam etiam M. philosophum imperatorem vidisse putatur [1]. Quae Gellius de eo refert, egregie cum iis consentiunt, quae Suetonius narrat. Nam pleraque, quae tradit, ab iis se accepisse dicit, qui familiares eius fuerunt, vel eum legentem audiverunt (I, 15, 8. III, 1, 5. IX, 9, 12), inter quos nominat Annianum poetam (VII, 7 cf. H. Cannegieter. de Fl. Aviano p. 276 sq. Weichert. poett. latt. rell. p. 33 sq. Lachmann. ad Terent. Maur. p. XIII sqq.), qui Gellio admodum senior et cum ille haec scriberet mortuus fuisse videtur. Quadrat hoc cum illa Probi consuetudine docendi, de qua Suetonius retulit, et quam parum comis fuerit cognoscitur praesertim ex narratiuncula (XIII, 20), qua eum inclementem contra indociles fuisse docet. Ea quoque, quae ut a Probo profecta affert, concinunt cum iis, quae de eius doctrina atque disciplina tradit Suetonius, et virum minutis quaestionibus intentum demonstrant. Dicit autem Gellius (XV, 30, 5) se Probi

1 Gellium primis Antonini philosophi imperatoris annis mortuum esse, communis VV. DD. sententia est, cf. Fabric. Bibl. lat. III p. 5. Falster, amoenn. phil. II p. 250 sqq. Sax. onom. I p. 311. Aliter sentit quidem Cannegieter (diss. de Fl. Aviano p. 276 sq.), qui eum sub M. Aurelio et Commodo scripsisse putat, quia M. Frontonem consularem viderit (II, 26), quem a M. Aurelio imperatore consulem factum censuit; sed ea in re erravit, nam consulatus Frontoni delatus est ab Antonino Pio a. 143, ut nunc constat, v. Niebuhr. ad Front. p. XXII. Neque alterum eius argumentum firmius est. Etenim ait Sulpicium Apollinarem, quem adolescens audierit Gellius (VI, 6. XIII, 17. XVIII, 4. XX, 6) eundem esse cum Pertinacis magistro (Iul. Capit. Pert. 1). Quod ut concedatur, quamquam non probavit, cur non Sulpicius, cuius amicitia vir etiam Gellius usus est (XII, 13. XIII, 19), Pertinacis magister fuerit, qui a. 192 plus quam sexagenarius imperium adeptus, circa a. 130 igitur natus est (Iul. Cap. l. l. 4)?

multos admodum commentationum libros acquisivisse, quas maximam partem silvam illam non mediocrem observationum sermonis antiqui effecisse puto, post mortem eius editarum; et in libro aliquo Probi legit, ut puto, quae hic annotavit de formis *occecurrerit* et *speponderant* (VII, 9, 11 sq.). Commemorat ipse epistolam ad Marcellum (IV, 7) in qua narravit, antiquos *Hasdrubalem*, *Hannibalem* producta penultima dixisse, et commentarium satis curiose factum de occulta litterarum significatione epistolarum C. Caesaris scriptarum. His videtur addendus liber de inaequalitate sermonis, quem affert Charisius (II p. 189), nam recte Osannum (l. l. p. 213) et h. l. et ubi idem grammaticus (I p. 94. II p. 178) et Diomedes (I p. 333. 361) Probum afferunt, Berytium intelligere puto [1]. Nam apud alios ubi Probus affertur, res tam dubia est, ut nullus fere locus tuto ad eum referri possit. Hic igitur Probus magnam famam nactus est, eumque inter grammaticorum exempla refert Ausonius (praef. ad Syagr. 18 sqq.):

nomen grammatici merui,
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Aemilium, aut Scaurum, Berytiumve Probum,

cuius loci si memor fuisset Osannus, non dubitasset (p. 250 sq.), quin ad eundem referendi essent hi quoque loci (prof. XV, 12): *Scaurum Probumque corde callens intimo*, et (prof. XX, 7): *Grammatice ad Scaurum atque Probum.*

1 Idem (l. l. p. 211) putavit apud Priscianum, qui saepissime iuniorem istum Probum affert, posse Berytium intelligi X p. 888, ubi cum Capro aliisque grammaticis antiquioribus coniungitur. Idem fortasse dicendum de alio loco (X p. 879) ubi Probum et Asprum cum Charisio et Diomede iungit, ut ab his illorum notitiam habuisse videatur. Similiter Asprum cum Charisio coniungit (X p. 901 sup. vss. Aen. p. 1254), qui Valerium Probum et Aemilium Asprum affert, de quo statim monebitur. Verum hic quoque iunior quidem Asper disquisitionem molestam facit et obscuram, cf. Osann l. l. II p. 305.

Probum potissimam curam in recensendis et edendis scriptoribus posuisse Suetonius narrat, eiusque diligentiae hodieque vestigia supersunt. Naevii carmina eum interpretatum Suringarii (hist. crit. scholl. latt. I p. 8 sqq.) coniectura, ex Charisii loco (II p. 178) ducta, est haud probabilis [1]. Terentium eum edidisse et adnotasse docent quae de Probo in Donati scholiis paucis locis referuntur. Cf. Schopen de Terentio et Donato p. 30 sq. Suringar. l. l. I p. 98 sqq. [2] Nam quae ad Eun. I, 1, 1 notantur: *Non eam, Probus distinguit;* et ad Adelph. III, 2, 25: *Probus assignat hoc Sostratae,* ut de exemplo ab eo correcto cogitemus suadent. Cetera partim ad grammaticam verborum spectant (ad Andr. V, 3, 4. Hec. prol. pr. 2. Phorm. I, 3, 3. II, 3, 25), una annotatione quaesivisse dicitur, an matrona tam familiariter *mi homo* recte dicat alieno (ad Phorm. V, 8, 16). De Virgilii carminibus eum accurate quaesivisse docent quae a Gellio referuntur (IX, 9. XIII, 20), et hoc quidem loco Georgica ipsius Virgilii manu correcta legisse dicitur. Edidisse autem eum adnotata a se Virgilii carmina ex scholiis Veronensibus et Servii patet, in quibus cum saepe Probi mentio fiat, de hoc potissimum cogitandum est [3]. Et de correcto ab eo exemplo non sinit dubitare Serv. ad Aen. I, 21: *In Probi adiuncta sunt:* „*Et adnotandum, hi duo si eximantur,*

1 Voc. *ubi*, quo illa coniectura nititur, nihil probare demonstravit Ritschelius de vett. Plauti intpp. p. 5 sq. 8.

2 Eodem referenda est Probi commemoratio apud Rufin. p. 2713.

3 Cf. Burmann. praef. Virg. p. 40 sqq. Mai. praef. ad intpp. Ver. p. XIV sqq. Suringar. l. l. II p. 8 sqq. Schopen (de Ter. et Don. p. 30) negavit Probum Berytium Virgilium explicasse. Osannus (l. l. p. 268 sqq.) iis, quae a Servio sub Probi nomine afferantur, inesse censet quae a iuniore profecta sint, quod negavit Lerschius (Zeitschr. f. Alterth. Wiss. a. 1840 p. 111 sqq.), qui recte monuit, edidisse Valerium Probum Virgilii opera, et ea, quae Osannus notavit, non necessario ad iuniorem istum Probum referenda esse demonstravit. Quamvis vero concedas, in hac Servianorum scholiorum conditione facile confundi potuisse utrumque Probum, permulta tamen ita comparata sunt, ut de Berytii opera iudicium capere sinant.

nihilominus sensus erit integer;“ et quod ad VI, 1 traditur: *Licet primos duos versus Probus et alii in quinti reliquerint fine.* De lectionibus, quas receperit, ita solet referri: *Probus legit* (Serv. ad Georg. I, 277. Aen. I, 44. VII, 773. VIII, 406. X, 539. XI, 566), quod ad editionem ab eo curatam commode refertur; de distinctione, qua usus sit, refert Serv. ad Aen. X, 117. Adiecisse eum adnotationes apparet, et quibusdam locis legimus: *Adnotat Probus* (Serv. ad Aen. IV, 418. XII, 605. cf. Macrob. Sat. V, 22). In iis partim grammaticae inveniuntur explicationes (Serv. ad Ecl. VI, 76. Aen. I, 194. 441. II, 15. VI, 866. VII, 543. X, 33. 182. 303. XI, 830. XII, 174. Sch. Ver. Aen. IX, 373), disquisitiones de orthographia (Serv. ad Georg. I, 277. Aen. I, 1), de accentu (Serv. ad Aen. III, 3), partim censura agitur de iis, quae minus recte posuisse videatur poeta (Serv. ad Aen. II, 173. IV, 359. 418. IX, 814. X, 444. XI, 554. Sch. Ver. Aen. II, 173. IX, 369). Aliis locis *quaerere* de quibusdam rebus dicitur Probus (Serv. ad Aen. III, 83. VI, 177. 473. 783. X, 18), ut appareat, eum *ἀπορίας* et *λύσεις* de locis obscuris proposuisse. Haec omnia cum iis optime conveniunt, quae Suetonius tradit, et singula ita comparata sunt, ut nulla causa sit, cur ea non a Berytio Probo profecta esse quis credat. Iam vero quaestio oritur, quid de scholiis censendum sit in Virgilii Bucolica et Georgica, quae hodieque servata Probi nomen prae se ferunt [1]. De his diversa iudicia protulerunt VV. DD. Ruhnkenius (ep. crit. II p. 197 sq.) Probum Servio doctiorem vocat, alii ieiuna et ab homine indocto conscripta scholia dicunt (cf. Suringar. l. l. p. 25 sqq. Osann. l. l. p. 272 sqq.). Qui conside-

1 Osannus cum ea rarissima dicat dignaque, quae denuo edantur (l. l. p. 272 n. 4), Lionis editionem pro nulla habuisse videtur. Atque sane hic editoris officio negligentissime functus est, neque solum vel apertissima vitia non correxit, sed ea quoque depravata exhibuit, quae in editione G. Fabricii (Basil. 1561) recte leguntur.

raverit, quo modo doctissimorum grammaticorum scholia decurtata et interpolata sint, is in tali quaestione missis ineptis et futilibus ea tantum in censum vocabit, quae antiquae doctrinae speciem monstrant. Itaque Ruhnkenio facile assentietur. Nam cum haud pauca in hisce scholiis inveniantur, quae ut nunc leguntur etiam mediocriter doctus scire potuit, tum permulta ita disputantur, eo doctrinae haud vulgaris apparatu, ea antiquorum, Graecorum quoque, scriptorum cognitione, ut auctorem prodant antiquum et eruditum. Quamquam vero maximam partem scholia, inprimis ad Georgica, non ita ab auctore scripta sunt, ut leguntur, sed postea in epitomen redacta, tamen nihil fere in iis reperitur, quod non possit ad Probum Berytium referri, quod quidem alicuius momenti sit, neque enim intercedam, si quis quaedam inesse putet postea addita. Scriptorum, quos laudat haud paucos, nemo est, quem post eum vixisse constet. Plerique antiquiores sunt, inter iuniores affert Ovidium et Gaetulicum (ad Georg. I, 227) [1]. Incertae aetatis est Lutatius, cuius historiae communis librum primum affert (ad Georg. III, 280).

1 De Gaetulico disputarunt Lips. ad Tac. Ann. IV, 44. Iacobs. ad anthol. Gr. t. XIII p. 896. Weichert. p. l. r. p. 250 sq. Lascivorum carminum poetam Gaetulicum memorant Martial. I praef. Plin. epp. V, 3, 5 et hic quidem ante Senecam, Sidon. Apoll. epp. II, 10 carm. IX, 256. Qui cum a Plinio Lentulus Gaetulicus vocari videatur (nam potest disceptari de distinctione), putarunt esse eum Cn. Lentulum Gaetulicum, qui a. 779 consul fuit (Tac. Ann. IV, 46), socer Seiani filii (Tac. Ann. VI, 30), a Caligula, postquam decem annis Germaniae legionibus praefuit, a. 792 interfectus (Dio C. LIX, 22 cl. Suet. Claud. 9). Hic Caligulam Tibure natum tradidit, a Plinio ideo adulationis insimulatus (Suet. Calig. 8), unde historiam scripsisse creditur. Verum si versus a Probo allatos considero de Britannis:

Non aries illum verus feret aere cornu,
Gnosia nec gemini praecidunt cornua taurum,
Sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes,

fere in eam opinionem inducor, ut credam, eum carmen scripsisse de expeditionibus Romanorum contra Germanos et Britannos, fortasse Germanici, nam de Caligula non licebit cogitare. Apud Pomponium Sabinum autem afferuntur hi versus ex epigrammatibus Gaetulici.

Idem opus laudat Servius (ad Aen. IX, 710) et Lutatium libro quarto citat Philargyrius (ad Georg. IV, 564), eundemque, ut videtur, Solinus c. 2; omitto scriptorem de origine populi Romani, qui Lutatium saepius affert, cuius nulla fides [1]. Eundem esse putant, quem Varro (L. L. V, 150) cum Cornelio, grammatico, ut videtur [2], testem ad-

1 V. quos laudat M. Hertz. de Luciis Cinciis p. 16.

2 Tribus locis apud Varronem (L. L. V, 148. 152. VII, 39) laudatur Cornelius, ex codd. fide, quod interpolatum est in *C. Aelius*, ea de causa, quod primo loco *Cornelius Stilo* legitur. Atque v. *Stilo* sine dubio corruptum est. Intellexerim autem non cum Heusdio (de L. Aelio Stilone p. 75) L. Cornelium Sisennam, sed cum Osanno (Beitr. II p. 359 sq.) Cornelium Epicadum grammaticum, Sullae dictatoris libertum (Suet. ill. gr. 12 cl. Macr. sat. I, 11. Charis. I p. 85. Max. Victor. p. 1958. Arnob. I p. 50 Elm.), cuius testimonio utitur Varro apud Serv. ad Virg. Aen. I, 649. Qui cum eo coniungitur Lutatius, fortasse est grammaticus Lutatius Daphnis, quem septingentis millibus nummum Q. Catulo emtum ac brevi manumissum refert Suetonius (ill. gramm. 3). Q. Catulus utrum is sit, qui consul a. 652 fuit, cuius duo carmina exstant (v. Weichert. poett. latt. rell. p. 127 sq. Plin. ep. V, 3, 5) et de consulatu libri tres laudantur a Cicerone (Brut. 35, 132 cl. Plut. Mar. 26), qui eum eximie eruditum vocat, id quod verisimile videtur, an filius eius, nescio. Lutatium Daphnidem teste eodem Suetonius per cavillationem nominis *Παν*ὸ*ς ἀγάπημα* (ita recte Toup. em. in Suid. III p. 154 codd. lectionem *Panosagacema* restituisse videtur, vulg. *ἄγημα*, alii *ἄγαλμα*, *ἄγασμα*) vocavit Lenaeus Melissus. Hoc nomen an integrum sit, dubitatum est. Nam fuit quidem grammaticus Lenaeus, verum hic Pompeii Magni libertus, Pompeius Lenaeus vocabatur (Suet. de gramm. 15. Plin. H. N. XV, 30, 39. XXXV, 2, 3; 6, 27. Gell. XVII, 16. Falster, mem. obsc. p. 75 sq.), nec eum Melissi quoque nomen gessisse constat. Intelligit hunc tamen Weichertus (poett. latt. rell. p. 167), qui de Melissis egit. Sed assensum cohibet, quod Melissus vocabatur alius grammaticus, Maecenatis libertus (Suet. de gramm. 21), qui trabeatas invenit (Neukirch. de fab. tog. p. 36 sq.) et ineptiarum vel iocorum libros CL composuit (cf. Weichert. lectt. Ven. p. 22 sq). Falsterus quidem hunc Lenaei quoque nomen gessisse putat (l. l. p. 74 sq.), ab aliis autem voc. Lenaei corruptum habitum est, et Graevius reponi iussit Cilnius Melissus, cui coni. obstat, quod Maecenatis liberti Cilnii nomen non videntur usurpasse. Maecenatem Melissum affert Plinius (XXVIII, 6, 17), quem locum corruptum cur dicat Weichertus l. l., qui alibi de eo se acturum promisit, nescio. Interim Osannum potius sequor, qui (ad Apulei. p. 71 sq.) correxit *Maecenas Melissus*, et monuit hunc iocum apte referri ad ineptiarum libros, unde Heynius sumtum esse probabiliter putavit, quod de Virgilii sermone tardissimo

hibet (cf. Krausii vitt. et fragmm. vett. hist. Rom. p. 318 sqq.); quodsi verum est, longe Valerii Probi aetatem praegressus est, post hunc eum vixisse, certe non constat. Quis sit et quo tempore vixerit Theodorus, quem (ad Georg. III, 280) *hippomanes* herbam dixisse tradit, quam equi si gustaverint efferantur, nescio, sed persuasum est reponendum esse *Theocriti* nomen, qui (II, 48 sq.) dicit: *Ἱπποµανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, τῷδ' ἐπὶ πᾶσαι Καὶ πῶλοι µαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι*, et de eadem re laudatur Philargyrio ad h. l. et Servio (ad Aen. IV, 515). Accedit quod apud Fabricium legitur *Theod.* quod cum *Theocr.* facillime confundi potuit. Quamquam alio loco apud Pomponium Sabinum (ad Georg. I, 399) Probus retulisse dicitur, Ovidium de Halcyone partim secutum esse Nicandrum, partim Theodorum. Ibi eundem intelligendum putat Naekius (Rhein. Mus. V p. 50), qui a Plutarcho (parallell. 22 p. 311 A.) laudetur *ἐν ταῖς µεταµορφώσεσιν*. Obscurus est etiam Scyllos tragicus scriptor (Georg. III, 25), qui de genealogia Aeneae laudatur, nec de eo quicquam relatum invenio. Porro Asconium Pedianum, cuius testimonio utitur (ad Buc. p. 349 Lion.), afferre potuit Valerius Probus; quamquam enim fere aequales fuerunt, Asconium tamen seniorem fuisse verisimillimum est (cf. Madvig. de Q. Ascon. Ped. disp. crit. c. 1). Restat [1] Aemilius Asper, quem Virgilium annotasse dicit, et cuius sententiam bis respicit (ad Ecl. VI, 1 p. 353. 354). Aliunde iam constabat, eum Vir-

in Donati vita (6, 27) auctore Melisso traditur. Ceterum de Melissis cf. Weichert. l. l. Suringar. hist. crit. scholl. Latt. II p. 234 sqq.

1 Suringar (l. l. II p. 25. 142 sq.) Alexandrum, quem affert Probus (ad ecl. II, 4), putat esse interpretem Virgilii, de quo ex Pomponio Sabino maxime constat; verum coniunctio cum Panyasi iam suadet, ut intelligamus Alexandrum Aetolum. Verba corrupta, quae negotium fecerunt Schneidewino (con. crit. p, 150), emendarunt Düntzer, Nachtrag p. 37. Meinekius ad del. anth. Gr. p. 99.

gilium (cf. Suringar. l. l. II p. 124 sqq.) sicut Terentium (Suringar l. l. I p. 95 sqq.) et Salustium (Suringar l. l. I p. 255 sqq.) explicasse. Verum quo tempore vixerit, non constat. Antiquissimus scriptor, qui eius meminit, Ausonius est (epist. XVIII, 26):

Quem Claranus [1], quem Scaurus et Asper
Quem sibi conferret Varro cett.

idemque (praef. ad Syagr. 20) coniungit, ut modo vidimus Aemilium, Asprum scilicet, Scaurum et Probum Berytium. Vides eum hic ut ab Hieronymo et Augustino (ll. p. XXII et CXIII ll.) inter antiquissimos atque optimos grammaticos referri, sed de aetate eius ex ordine, quem secutus est Ausonius, nihil concludi posse patet. Maior in hac re est auctoritas veterum scholiorum, ubi excerpta ex antiquis grammaticis historico potissimum ordine ponebantur, quod iis locis necessario fiebat, quibus alter alterum redarguit. Igitur in scholiis Veronensibus, quorum hac in re summa auctoritas est, Asper non solum Scauro praeponitur (ad Aen. IV, 146), quem Hadriani tempore vixisse constat (Gell. XI, 15), sed etiam Probo (ad Aen. IX, 373), ut etiam apud Servium (ad Aen. X, 539) factum videmus, ubi ambo inter se dissentire dicuntur. Verum alio loco Servius (ad Aen. VII, 543) Probum, Asprum et Donatum hoc ordine recenset, et Donatus quoque (ad Ter. Adelph. III, 2, 25) Probum Aspro praeponit. Non nimis tamen hanc negligentiam mirabimur, praesertim si Aemilius Asper et Valerius Probus eodem fere tempore vixerunt. Hoc ut coniiciam faciunt scholia Veronensia, in quibus Cornutus Aspro praeponitur (ad Aen. III, 691. IV, 178), et priore quidem loco ita, ut appareat Asprum Cornuti sententiam impugnasse [2]. Si ergo post

1 Hunc, qui a Martiale (X, 21, 2) commemoratur, eundem esse coniicit Osannus (Beitr. II p. 329), qui a Servio (ad Aen. XI, 315) *Clanarius* laudatur. Quod si verum esset, haberemus apud Ausonium Virgilii tantum interpretes.

2 Aen. III, 691. *Comes infelicis Ulixi.* Cornutus. Num indecore

Cornutum, quem Nerone imperatore maturae aetatis fuisse constat, et ante Probum, quem eodem tempore incepisse certe grammaticam exercere scimus, Virgilium annotavit Aemilius Asper, eiusdem aevi fuerit necesse est. Hanc disputationem non ita firmis argumentis niti, ut non, si quando nova subsidia prolata fuerint, everti possit, non me fugit, sed ubi alia deficiunt, vel hisce utendum putavi [1]. Obtinebo igitur, ab hac parte nihil obstare, quin a Probo Berytio haec scholia profecta sint, quae postea corrupta et contracta esse repeto. Verum restant vel sic antiquae eruditionis satis clara vestigia, et sola illa annotatio ad ecl. VI, 31 ostendit doctrinam grammatici et accurate disputandi rationem. Eadem luculenter demonstrat, quid sit, quod aliis locis a Servio, ut vidimus, quaerere de re quadam dicitur Probus. Nam ita ipse disputationem exorditur: *Hactenus breviter, nunc, ut omnis quaestio tractetur, quaeritur, an poeta quattuor solis et his in omnibus principia rerum convenire confirmet,* et postea (p. 353 L.): *Quaeramus igitur an et ibi sicut hic quattuor principia designet.* In hac disputatione de quattuor elementis quaerit et congestis omnibus Virgilii locis, qui ad hanc quaestionem spectant, diligenter in singula inquirit et adhibita antiquorum scriptorum insigni copia, atque Graecorum quoque philosophorum [2] et poetarum testimoniis accurate enarratis omnem rem summa diligentia atque cura exponit. Tales quaestiones ii, qui postea poetam explicarunt, facile negotio discerpere suisque locis singula apponere potuerunt. Quae huic autem similia sint eruditionis copia et disputandi dili-

hoc dicitur, cum sit Ulixes hostis Aeneae? Asper. Non inde core, sed pathetice . . . magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas.

1 Inde non refutari posse hanc sententiam puto, quod Servius (ad Georg. I, 277) Probum Cornuto praeponit, cuius in hac re longe minor auctoritas est, quam scholl. Veron.

2 Obiter moneo, quae e Platonis libro περὶ ψυχῆς afferuntur (p. 352 L.), legi in Phaedone p. 97 B., apud Probum autem non integra exstare.

gentia pauca quidem inveniuntur, sed non desunt tamen antiquorum praesertim scriptorum testimonia, antiquae doctrinae vestigia, quae a iunioribus, qui talia excerpebant, ut inutilia praetermitti solebant. Quae cum ita sint, haec ego scholia servata puto e commentario Valerii Probi seriorum epitomatorum opera non minus, quam ea, quae Servius et scholia Veronensia inde excerpta servarunt.

Nondum missum facimus Probi commentarium in Virgilium: nam cum haec scholia non nisi ad Eclogas et Georgica pertineant, affertur Probus etiam ad Aeneidos plures locos in Pomponii Sabini commentariis. Hos e praelectionibus Pomponii Laeti ortos esse, post Naekii disputationem (opp. I p. 119 sqq.) pauci erunt, qui nesciant. Locos, quibus Probi mentio fit, congessit Suringar (l. l. II p. 28 sqq.). Horum quidam ita comparati sunt, ut Probi sententiam e Gellio (IX, 9 ad Aen. I, 502), Servio (VI, 1 [1]. 177. 473. 866. VII, 773. VIII, 406. X,

1 Hic tamen locus dignus est, qui diligentius excutiatur. Nam Servius ad Aen. V, 871 notat: *Sciendum sane, Tuccam et Varum hunc finem quinti esse voluisse. Nam a Virgilio duo versus sequentes huic iuncti fuerunt, unde in nonnullis antiquis codd. sexti initium est: Obvertunt* cett. Et ad VI, 1: *Sane sciendum, licet primos duos versus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos.* Apud Pomponium Sabinum autem est (ad VI, 1): *Probus: His duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis commentariis, et Vergilium ita etiam finisse manifestum est, et inchoasse sextum librum: Obvertunt* cett. Is igitur refert, Tuccam eodem modo librum finisse, quo Virgilius, qui tamen error eius fortasse fuit, qui scholia contraxit. Tum mentionem Cornelianorum commentariorum non potuit a Servio sumere Pomponius. Composuit cum hac annotatione Suringarius (l. l. II p. 225) aliam in Servii cod. quodam repertam (ad Georg. I, 12): *In Cornel. equum, in authentico aquam, ipsius manu equum.* Ibi aperte sermo est de diversis exemplaribus; quid sit *authenticum* vocatum, nescio; *ipsius manu* recte vidit Burmannus esse ab ipso poeta correctum exemplum, quale Probum manu versasse narrat Gellius (XIII, 20). Tertium igitur erat a Cornelio curatum. Eiusdem vestigium deprehendi puto in corrupto scholio Veron. (Ecl. VII, 37): *Nerine Galatea . . . m oceanina. Galatea Nerei filia a Polyphemo cyclope adamata complexum eius evitans in mare se praecipitat . . . Alii Corneli epitheton. Dicit Nerine* [*ut decla*]*raret* [*Sicu*]*lam esse Galateam.* Nam ibi videtur legi posse: *Aliter Cornelius*

18. 539) et ex nota ad Ecl. VI, 31 (ad Aen. II, 691. VI, 14. 724. 888) cognoscere potuerit. Sed restant alii, ubi

epitheton dicit Ner., vel similiter, certe Cornelii interpretis mentio facta est. Quisnam is est Cornelius? Cogitavi de Cornelio Celso, cum viderem ad eum vulgo referri, quae de Celso affert Philargyrius. Ea quidem non ad commentarium pertinere VV. DD. censent, sed fragmenta esse operis de re rustica credidit Bianconius epp. de Celso VII p. 92 vers. Germ., ad libros de rhetorica referri posse putavit Paldamus (de Corn. Celso. Gryph. 1842 p. 13 sq.). Verum ea quae affert Philargyrius ita comparata sunt, ut rectius ad commentarium in Virgilium scriptum referantur.

Georg. II, 332. *Gramina.* Celsus ait *germina* reliquisse Virgilium, loquitur enim de omnium arborum fetu.

Georg. II, 479. *Qua vi maria alta.* Celsus *oceanum* significari ait, qui aestu suo diffidit terram inter Mauritaniam et Hispaniam, ut hoc sit *obicibus ruptis.*

Georg. III, 188. *Inque vicem.* Celsus *inque vicem* sic intelligit, ut sit nonnunquam sine capistris.

Georg. III, 296. *Dum mox.* Celsus *dum mox* pro *donec* interpretatur.

Georg. III, 313. *Castrorum*, in usum castrorum, quod inde tormenta fiant, itemque cilicia, quae Celsus ait retulisse Varronem (R. R. II, 11) ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit.

Adde Serv. ad Georg. I, 277. *Pallidus orcus.* Celsus ut iurisiurandi deum pallidum dictum, quia iurantes trepidatione pallescant.

In his enim inesse quaedam, quae vix in libris de re rustica locum apte invenire potuerint, intelligere videor. Iam vero Charisius (II p. 196) Arruntii Celsi in Virgilium annotationes affert, quem alibi (II p. 180. 191) Celsum simpliciter vocat; quare rectius haec omnia cum Suringario (l. l. II p. 159 sqq.) ad Arruntii Celsi, quem grammaticum fuisse scimus (v. Ritschel. de vett. Plauti intpp. p. 8 sqq.), commentarium referemus. Firmabit etiam hanc sententiam id, quod VV. DD. maxime movisse videtur, ut de Cornelio Celso cogitarent, quod alio loco Philargyrius (ad Georg. IV, 1) haec habet; *Nam, ut ait Cornelius Celsus, apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.* Nempe ut a Celso Virgilii interprete eum distingueret h. l. Cornelii nomen addidit, nam haec ex libris de re rustica sumta esse, docet Columella (IX, 14). Neque inde dubium movere debuit Suringarius, quod Pomponius Sabinus Cornelium Celsum aliquoties laudarit: semel enim affert interposita Columellae auctoritate (ad Georg. IV, 281 cl. Colum. IX, 13), altero loco quae tanquam Cornelii Celsi affert ex eodem Columella sumsit (ad Georg. I, 197 cl. Colum. II, 9), et ea quoque, quae de scriptoribus rei rusticae nunc deperditis affert, a Columella mutuatus est (ad Georg. IV, 149 cl. Colum. IX, 2. 3). Denique quod dicit (ad Aen. VI, 81): *Sponte sua. Cornelius Celsus ait: Qui suae spontis est;*

Probi sententiam refert (ad V, 117. 284. VI, 100. VII, 83. VIII, 383. Cir. 3)[1], quam unde hauserit quaeritur. Praeterea alios quoque interpretes antiquos affert, quorum notitiam ex fontibus nobis nunc praeclusis hausit, e. g. Asprum (cf. Suringar l. l. II p. 130 sqq.) et Alexandrum (v. Suringar l. l. II p. 142 sqq.). Dolendum est Naekium de hac re quid senserit non exposuisse, nam cum contra Heinsium negaret, multa ex antiqui alicuius grammatici scriniis depromsisse Pomponium (l. l. p. 120), de hisce antiquorum interpretum reliquiis fortasse non cogitavit[2]. Quas cum sat multas afferat, aliunde non notas, antiqua scholia inedita eum usurpasse aut turpiter finxisse putandum erit, huius autem culpae cur insimuletur nullam causam video. Verisimile igitur videtur, eum codice usum fuisse scholiis instructo, in quibus vetustorum interpretum sententiae breviter appositae fuerunt. Tales fuisse luculento exemplo demonstrat Veronensis, qui antiquos commentarios aliter excerptos praebet, quam in Servianis atque Philargyrii scholiis factum videmus, demonstrat ille codex, ex quo Aspri quoddam fragmentum produxerunt Benedictini (tract. de diplom. III p. 152 cl. Suringar l. l. II p. 133 sqq.), et serioribus quoque temporibus commentarios auctorum nominibus appositis excerptos esse docent, quae de Iunilii Flagri, T. Galli, Nigidii et Gaudentii scholiis attulerunt Suringar (l. l. II p. 167 sqq.) et

legitur id apud Celsum (de med I, 1). Fatendum igitur est, cum de Cornelio Celso cogitari nequeat, nescire me quis sit ille Cornelius. — Ceterum alio quoque loco (ad Aen. VI, 177) ubi Servius refert Probum dixisse, de eo loco requirendum esse, Pomponius sententiam eius refert. Igitur haec quoque demonstrant, Pomponium codice usum esse, qui Probi scholia exhibuit.

1 Notatu dignum ad Ciris proferri Probi notam, verum ex verbis Pomponii: „Et hortulum Epicuri intelligit, nam, ut ait Probus, Epicuri sectam secutus est Virgilius," nihil aliud sequitur, nisi Probum retulisse, Virgilium Epicureum fuisse, quod alibi dictum huc transferri potuit.

2 Alio loco (Mus. Rhen. III p. 533) breviter significavit, Pomponium Probi pleniore codice usum esse.

Müllerus (Anall. Bern. III p. 10 sqq. cl. Osanni Beitr. II p. 281 sqq.). Talem ergo codicem Pomponium, qui etiam codicem Mediceum eiusque scholia usurpavit, ut ex iis, quae monuit Suringar (l. l. II p. 151), plus quam verisimile est, adhibuisse omnem veri speciem habet, et fortasse is in bibliotheca quadam nunc delitescit. In eodem quin edita Probi scholia fuerint, non potest dubitari, nam etiam ad Bucolica et Georgica Probum laudat Pomponius Sabinus, partim ita, ut eadem nunc legamus apud Probum (introd. ad Ecl. I, 46 [cl. introd.]. II, 61. VII, 61. X, 18. Georg. I, 47. 56. 73. 124. 163. 239. 492 [cl. edito Probo ad IV, 390]. II, 119. 126. III, 63 [cum varia lectione]. 317 [cl. edito Probo ad I, 14], partim afferens quae in editis scholiis non inveniuntur (ad Ecl. I, 12. 59. 71. X, 50. Georg. I, 67. 399. II, 1. IV, 125. 361), ut appareat etiam hac parte pleniorem eius fuisse codicem. Illud vero mirum mihi accidit, quod Pomponius ad Aen. VIII, 383 ex Probo prorsus gemina iis tradit, quae Servius ibidem ex Aspro affert, contra ad Georg. I, 239 ex Aspro, quae in Probi scholiis leguntur, atque in eadem annotatione alia Probo auctore affert, quae apud eum vere leguntur. Omnia haec autem ad Valerii Probi Berytii commentarios in Virgilium tanquam ad antiquum fontem referenda esse puto, de singulis quibusque, ut aequum est, cautionem non suscepturus.

Hunc eundem Valerium Probum esse censeo, de cuius commentario sublata esse traduntur quae de vita Persii referuntur. Quod si quis miretur, eum, qui secundum Suetonium veteres potissimum scriptores tractaverit, Persio quoque operam dedisse, potest id fortasse non iniuria afferri, quod supra iam monitum est, Persium sui temporis studia contemsisse et antiquorum iudicium secutum esse, unde aliorum similiter iudicantium plausum tulit. Quamquam de talibus facilius est quaerere, quam respondere ita ut quaerentibus satisfiat. Valerii autem Probi aetas

atque auctoritas ea est, quam in hac de vita Persii notitia invenimus, in qua ea tradita esse monuimus, quae non nisi aetate proximus et subacti iudicii vir scribere potuit. Quare nullam causam video, cur non ad Valerium Probum Berytium referatur. Quod autem haec vita de commentario eius sublata dicitur, potest id vario modo explicari. Non esse ita a Probo scriptam, ut nunc exstat, patet, et mihi quidem partim ea, quae de hac re composuerat, in brevius contracta esse, partim, quae singulis locis in commentariis posuerat, selecta et congesta esse videntur. Atque sentiet quicunque vitam perlegerit, esse hanc farraginem multarum earumque optimarum observationum, sed nec ulla arte compositarum, nec apto ordine exhibitarum, cuius vestigia videremus, si vita rite conscripta ab alio contracta esset. Contra huius vitae ratio intelligi potest, si in eam ex diversis annotationibus singula congesta sumimus, nam ita explicari potest quod nec singula inter se cohaerent nec iustus ordo servatus est. Pertinet haec observatio ad ea praesertim, quae ultimo loco narrantur (p. 238) de imitatione Lucilii et lectione Cornuto auctore mutata. Quae cum post mortem Persii iam narratam tradantur, et ita ut verba: *Sed mox ut a schola magistrisque divertit,* nullo modo cum iis, quae praecedunt, iungi possint, non defuerunt, qui ea alio loco inserenda esse putarent. Verum nec is satis commodus est, et inveniuntur haec in omnibus codd. ultimo loco. Quare alii, qui totam narrationem fictitiam censuerunt, et hoc argumento usi sunt, ut vel locum ineptum a sciolo additam esse hanc historiam demonstrare dicerent. Cum alibi iam expositum sit, cetera argumenta, quibus narrationis huius veritas impugnata est, non satis firma esse, tum nec hoc multum valet. Nam tota haec nota spectat ad primam satiram, et olim in commentario ad hanc ipsam legebatur, unde ab eo sublata est, qui selegit ea, quae ad vitam et ad iudicium de Persii arte et studiis spectabant, eamque ante eius satirae initium posuit, ad

quam potissimum referenda erat. Itaque nulla causa dubitandi est, quin hoc a Valerio Probo traditum putemus, id quod maximae auctoritatis est [1].

Quodsi quaeritur, num in Cornuti scholiis exstent adhuc, quae ex Valerii Probi commentario servata esse

1 In permultis codd. post vitam sequitur notitia de satirae origine et nomine (v. p. 241). Eadem fere disputantur in schol. Cruq. Hor. sat. I, 1, 1 et in scholiis ad Iuvenalem (e. g. in cod. Darmst. n. 199), ex eodem fonte hausta. Quis sit Sisenna poeta ibi memoratus, nescio. De antiquo Milesiarum scriptore non cogitandum, qui satiras scripsisse non traditur; nam quae inter eius fragmenta feruntur tamquam e Servio sumta: *Non dignus, in quem debeam saturam calente vi adingerere*, ea leguntur apud schol. Iuv. IV, 2 sed dixisse ea dicitur Sesenus lib. II, ubi tamen Heinrichius (p. 361) Sisenna restituit, et *condignus* emendavit. Ego putarim, de Horatiano (sat. I, 7, 7 sq.): *Adeo sermonis amari, Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis*, cogitasse eum, a quo ista profecta sunt, qui nominis etymon tangere voluit. Ceterum in iis, quae de satira afferuntur, vestigia sanae doctrinae possunt etiam nunc agnosci. Illud addo, in cod. Bern. n. 665, ante vv. *satirae proprium est* cett. haec legi, quae in codice Darmst. in fine glossarum scripta sunt: *Satira genus est lancis variis frugum generibus plenum, quae referta sacrificiis Veneri consuevit inferri. Dicta autem satira a saturitate i. habundantia. Unde in choro Liberi patris ministri vino atque epulis pleni Saturi appellantur. In descriptura poematis satirici hunc titulum accepit, quod personis factisque satiata habundare videatur. Vel satira dicitur apud Romanos carmen maledicum et ad carpenda hominum vitia compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius et Persius, et olim carmen quod ex variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Eurilius* [Ennius]. *Satira autem dicta sive a satyris, quod similiter hoc carmine ridicula respuendaque dicuntur, quasi velut a satyris proferantur, sive a satura lance, quae referta variis multisque primitiis diis inferebatur, et a copia et a saturitate rei satira vocabatur.* Postrema ad verbum concinunt cum iis, quae Diomedes habet (III p. 482 sq.) et inde transscripta videntur. Verum qui tandem fit, ut eo loco Diomedes Iuvenalis nullam mentionem faciat? Id ita tantum explicari posse videtur, ut ponamus, eum sua a scriptore sumsisse, qui ante Iuvenalem scripsit. Quid si in commentario ad Persium de satira exposuit Valerius Probus, ut de bucolico carmine ad Virgilium, ubi quae disserit, consentiunt fere iis, quae Diomedes (III p. 483 sq.), sed multo minus docte, de eadem re disputat. Ceterum moneo, de voc. *clarnus*, quo utuntur Persii scholia (p. 241), me nihil invenisse nisi apud Du Cang. verba Papiae: *Clarnus* i. discus vel mensa. Idem I p. 342 laudat Gloss. Mss.: *Carnus*, discus.

videantur, est quidem haec res valde dubia, verum inter ea, quae Cornuto nullo modo adscribi posse monuimus, animadvertuntur quaedam, quae ad Probum auctorem probabiliter referri possunt. Inter haec numero ea, quae de Macrino (ad II, 1), Caesio Basso (VI, 1) [1], de Fulvia Sisennia post secundum matrimonium in Liguria habitante (ad VI, 6) narrantur, quae ad neminem aptius referentur, quam ad vitae auctorem. Tum quae de Glycone tragoedo traduntur (ad V, 9) non potuerunt nisi ab eo proficisci, qui ei aetati proximus fuit, et quae de Licino (ad II, 36) atque Messalla (ad II, 72) produntur, quamquam non integra manserunt, tamen accuratae doctrinae vestigia aperte monstrant, quae apparent etiam in brevi illa annotatione (ad I, 85): *Pedius quidam illo tempore damnatus est pecuniarum repetundarum*, quod non ex Persii verbis fingi potuit, ut ea, quae statim sequuntur, sed servatum aperte est ex docto scholio, quod accuratius de Pedio Blaeso docuerat. Quae de Nerone pluribus locis traduntur partim quidem inepta sunt (ad I, 4. 120. 128), partim vera esse videntur aut possunt certe (ad I, 29. 93. 121), ea autem ad Valerium Probum referre nolo in re valde decertata; quamquam ego in ea sententia sum, esse antiquitus traditum, Neronem a Persio respici, postea autem inepte explicatum. Cum ea, quae modo proposui, probabiliter ad Probum referri videantur, fortasse ea quoque, quae de imitatione Lucilii (ad I, 2. 27. III, 1), Menandri (ad V, 161), de Ennio (ad pr. 2. VI, 10) monentur, ab eodem auctore profecta sunt. Et sunt alia, quae quamvis corrupta partim et misere turpata, in Graecis etiam tamen doctrinae sanae speciem quandam servarunt Probo fortasse non in-

1 Quod ibi dicitur, famam fuisse Caesium Bassum cum villa ustum esse, non eo valere puto, ut probet, eum qui haec tradiderit, non vixisse eodem tempore. Scilicet non dubitabatur quin Caesius tunc mortuus sit, sed de mortis genere, et potuerunt sane de eo in tali calamitate varii rumores facile nasci. Si autem recte haec disputavimus, probat hic locus, Valerium Probum post Titum etiam vixisse.

digna; verum haec, ne ambitiosius de iis statuisse videar, nunc mittam [1]. Sufficiunt enim quae allata sunt, ut probetur, commentarii a Probo compositi vestigia etiam nunc posse detegi. Qua in re mirum, quod omnia fere ad explicationem historicam spectant, quam a Probo exercitam fuisse non modo non tradidit Suetonius, sed potius negare alicui videatur. Quamquam illud annotandi officium quatenus pateat difficile dictu est. Verum hoc, ut in re dubia nolui celare, ita donec certiora afferantur, non valere puto ad propositam sententiam infringendam.

Verum aliud quiddam urget, idque aspectu gravius. Notum est inter VV. DD., G. Vallam scholia habuisse in Iuvenalem, quae Probo tribuit, ita enim in praefatione ait [2]: *Sane comperti mihi sunt nuper Probi grammatici in Iuvenalem commentarii, quantum adhuc audiverim nulli alii cogniti, sed mirae brevitatis, alioquin tamen perquam opportunos aliquando se nobis obtulerunt, obtulissent vero sese adhuc magis, nisi nobis singula rimantibus codicis nimium cariosa invidisset vetustas, et si in omnes libros comparati habeantur, qui vix tertii libri secundam attigere satyram.* Nempe non amplius sat. VIII, 197 hi commentarii exstiterunt, ut ibi monet Valla. Iam quaerendum est, quae ratio intercedat inter haec scholia atque ea, quae e cod. Pithoeano et Sangallensi edita sunt, de qua re calidius iudicavit Osannus (l. l. II p. 279), ego breviter indicabo, quid rei esse videatur, alibi accuratius rem tractaturus. Omnibus igitur locis comparatis, quibus Probum nominat Valla (nam iis nunc non utor, quibus tacite eum usurpasse videtur), primum haud

1 Cf. tamen quae in scholiis ad I, 72 leguntur: *Palilia, quae nunc Parilia mutatis litteris dicimus* cett. cum Probi ann. ad Virg. Georg. III, 1: *Pales dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia, transposita littera, quae si suo loco esset, Palilia potius dicerentur* cett.

2 Doleo, me non editione Vallae prima, quae Venetiis a. 1486 prodiit, sed tantum Norimbergensi (per A. Koberger a. 1497) uti potuisse. Ita Pithoei editione Heidelbergensi tantum utor.

exiguus locorum numerus apparet, quibus prorsus eadem e Probo refert, quae a Pithoeo et e cod. Sangall. edita sunt [1], tum maior etiam eorum, quibus edita scholia non prorsus quidem conspirant cum iis, quae e Probo affert Valla, sed aperte ad unum eundemque fontem utraque referenda sint, praesertim si consideres, Vallam non integra afferre scholia et hic illic immutata [2]. Restat tertia pars scholiorum Probi, eaque numero maxima, de qua minus certum iudicium est. Leguntur enim ea, si paucissima excipias, etiam apud Pithoeum, unde tamen non sequitur, ea in codice Pithoeano lecta fuisse, nam ipse Pithoeus dicit (p. 186), Probi fragmenta a Valla exhibita adiumento non levi plerisque locis fuisse, quos ex illis vel emendaverit vel suppleverit, adiecta etiam sua cuique nota, quod tamen indicare ab operis praetermissum sit. Itaque in annotatione de paucis tantum iisque gravioribus monitum est ut a Valla sumtis, de ceteris iudicium ferri inde potest, quod a cod. Sangall. absunt. Qua de re VV. DD. non potuerunt accuratius iudicare, quia Cramerus neque haec diligentius notavit, ego collatis editionibus Pithoei, G. Vallae et apographo cod. Sangall., quod ex bibliotheca Crameriana ad me pervenit [3], inveni, omnibus iis locis, quos subscripsi [4], scholia Probi non exstare in cod. Sangall., quamvis legantur apud Pithoeum. Haec maximam partem e Vallae commentario, non e cod. suo transscripsisse

1 Cf. ad I, 28. 71. 82. 128. 138. II, 29. 124. III, 32. 37. 192. 214. V, 25. 155. VI, 343. 401.

2 Cf. ad I, 7. 27. 33. 35. 116. II, 28. 59. 92. 106. 142. 149. 153. III, 38. 67. 73. 204. 231. 263. 320. IV, 53. 67. 117. VI, 34. 44. 153. 387. 552. 614. 638. VII, 80. 110. VIII, 168. 185.

3 De hoc apographo eiusque fide v. quae post Ratjenium (ad Crameri kl. Schrr. p. XXIX sqq.) monui (Zeitschr. f. Alterthswiss. a. 1838 p. 1045 sqq.).

4 Cf. ad I, 20. 51. 76. 109. 128. 155. II, 60. 67. 99. 118. 143. III, 68. 168. 202. 210. 237. 266. 283. IV, 27. 81. V, 8. 30. 36. 38. 48. 72. 89. 109. 165. VI, 26. 32. 40. 66. 238. 322. 345. 351. 365. 397. 460. 519. 524. 537. 583. 631. VII, 89. 112. 114. 130. 134. 143. 154. VIII, 148.

videtur Pithoeus. Non omnia quidem, nam suum cod. affert (ad VII, 112), ubi tacet Sangall., et alio loco (V, 155) glossam interlinearem affert, quae non est in cod. Sangall., in quo cum textus non descriptus sit, etiam interlineares glossae non comparent: utrumque scholion affert Valla. Itaque potuerunt alia quoque in codd. Pithoei et Vallae legi, quibus caret Sang.[1], verum haec pauca tantum esse, his de causis statuo. Primum cod. Pithoeani et Sangallensis talis consensus est, ut aperte ad idem archetypon referendi sint (et mihi quidem persuasum est, cod. Sang. esse e Pith. descriptum, qua de re infra paucis dicendum erit), tum nihil addit Pithoeus iis quae etiam in Sang. leguntur, quod non habeat Valla, haud raro ita addit iis, quae in cod. Sang. exstant, ut vix credibile sit utrumque in eodem codice scriptum fuisse, denique post eum versum, quo subsistit Vallae codex, nihil addit Pithoeus, quod aliqua commemoratione dignum sit, scholiis cod. Sangall. Summam igitur veri speciem habet, Pithoeum haec maximam partem, nam quaedam librarii incuria in cod. Sangall. omitti potuerunt, e Vallae commentario descripsisse. Ceterum haec Vallae scholia diversam indolem produnt, ut partim optimae notae et antiquae, partim a male doctis profecta esse videantur. Sequitur inde, scholia codicis Vallae ad eundem fontem referenda esse, e quo manarunt Pithoeana, sed fuisse partim pleniora, partim magis interpolata.

Quodsi haec scholia iure Probi nomen ferunt, patet ea, quae adhuc de Probo disputata sunt, multo incertiora fieri. Nam Valerium Probum Berytium ne tum quidem intelligere liceret, si ea, quae in hisce scholiis antiqua sunt, ad Probum potissimum referenda essent: nam quae de eius aetate tradita sunt, vetant, quominus Iuvenalem ab eo

1 In codice Sang. nihil scholiorum exstat ad sat. VII vss. 128—159. at habent plura Valla et Pithoeus. Ibi fortasse librarius Sangallensis dum scholia transscribit paginam omisit.

explicatum putemus. Iam igitur haberemus alium quendam Probum, antiquorum scriptorum enarratorem, de quo nihil traditum reperimus, et qui omnem de Probo grammatico quaestionem valde incertam redderet. Quamquam illud semper tenendum, ubi Valerius Probus nominetur, de Berytio potissimum cogitandum esse. Verum cum Probi in codd. Pithoeano et Sangallensis nullum vestigium sit, nec Valla accuratius doceat, unde hoc nomen hauserit [1], et omnino minor tunc temporis in talibus diligentia fuerit, coniecturam licebit expromere, quae fortasse haud improbabilis videbitur. Puto enim, Vallam usum esse codice, qui consueto more praeter Iuvenalem etiam Persium continebat cum scholiis et vita de commentario Probi Valerii sublata, quae si primum locum occupavit, potuit perfacile hoc nomen ad scholia transferre. Aliquid ponderis huic coniecturae id addet, quod Valla revera codice usus est, qui vulgaria ad Persium scholia habebat, tunc nondum edita, nam compluribus locis, ubi Persii verba affert ea addit, quae in Cornuti scholiis leguntur, e. g. ad Iuv. VI, 197 affert Pers. I, 20: *Cum carmina lumbum intrant* et addit: *Sicut enim tactus mulierum movet intima, ita vox effeminata non animum movet, sed inguen.* Similiter ad Iuv. VIII, 1 laudat Pers. III, 28, additque: *Ramulos item veteres stemmata dixerunt, quos advocati in iure faciunt, ut puta: ille filius, hic istius; sunt qui et rotundas imagines stemmata dici velint.* Item ad Iuv. VIII, 95 adhibet Pers. III, 31 et adiungit: *Quidam putant Nattam fuisse quendam luxuriosum, qui patrimonium suum prodegerit et nobilitatem male vivendo funditus sustulerit.* Quae satis probant Cornuto usum fuisse Vallam.

Nondum peracta res est. Nam haec refert I. Parrhasius (de rebus per epistolam quaesitis, ep. V t. I p. 735 Gruteri lamp.): *Incidi in Probi grammatici commenta-*

1 Si qui praeterea Probi meminerunt, ut Mancinellus ad Iuv. VII, 114. Britannicus ad II, 92, faciunt hoc Vallam secuti.

rios in primam Persii satyram, non illos, qui Cornuti nomine circumferuntur, et quos Hermolaus ut Probi citat II castig. in Plin. in verbo Barba, sed alios longe maiori cura ac ingenio compositos. In iis ita scriptum legimus: „Curas Acroni proprie dicere videtur, quae si utiliter exercentur, virtutis locum obtinent, si in supervacuum, desidiae.“ Ex quibus apparet, Acronem Probo fuisse vetustiorem. Haec nullo modo ad Berytium referri possunt, quem, etsi de Acronis aetate non satis constat, hoc multo prius vixisse certum est. Habemus igitur hic quoque notitiam iunioris cuiusdam Probi grammatici, cuius se ubique fere quasi quaedam umbra obtulit et sicut visum obscuravit, ita accuratae quaestioni se subtraxit. Quamquam autem hoc testimonio nondum omnia corruere putaverim, quae disputata sunt, tamen non negligendum fuit, et si forte hi commentarii iterum inveniantur, fieri potest ut litem dirimant [1].

Verum haec Acronis mentio alio vocat. Idem enim etiam in nostris scholiis adhibetur (ad II, 56), ubi de Danaidum statuis in Apollinis Palatini porticu collocatis narrat. Iam verisimile est, hunc quoque inter antiquos Persii

1 Proborum, etiam eorum, qui doctrina floruerunt, larga copia serioribus temporibus, nemo tamen notus est, ad quem haec probabiliter deferantur. De Probo aliquo grammatice docto ita Ennodius (epp. VIII, 21): *Tu feceras, quod sapiens, qui soli domno Probo, artem tenenti inter doctos, versus meos relegeras. — Vade ergo ad domnum Probum — et osculare illi genua pro me et dic illi, de illo extremo versu Terentianus me induxit in illo exemplo: Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas. Omnia tamen quae fuerunt digna correctione, praevidit.* De eodem v. Ennod. paraen. p. 446. epp. VII, 27 ib. Sirm. Alium Probum commemoravit iam Pithoeus, de quo haec scribit Lupus abbas (epp. XX p. 27b.): *Non scripsisti, quid Probus noster exerceat, scilicet utrum in saltu Germaniae disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat, an certe satyram inchoatam, quod magis existimo, struens Ciceronem et Virgilium caeterosque opinione eius probatissimos viros in electorum collegium admittat.* Et iterum (epp. XXXIV p. 47a.): *Probum non tam aliquid edidisse admiror, quam non omnibus iam scribendi materiam abstulisse.*

interpretes numerandum esse. Intelligemus autem Helenium [1] Acronem, qui Terentium interpretatus est (Schopen. de Ter. et Don. p. 39 sq. Suringar. l. l. I p. 90 sqq.), et cuius in Horatium commentarii prostant, verum tantopere interpolati et corrupti, ut inde de eius aetate nihil possit effici (cf. quae congessit Suringar. l. l. III p. 8 sqq.). Id tantum constat vixisse eum ante Charisium, cuius tamen aetas nec ipsa certa est (cf. Osann. l. l. II p. 319 sqq.). De eo igitur nihil amplius tradi potest [2]. Verum tamen ad eum haud improbabiliter mihi referre quaedam videor, quae apud Cornutum leguntur, cum doctiora sint quam pro eius aetate, neque tamen in Valerium Probum cadere videantur. Non quasi non intelligam, quam lubricae sint tales quaestiones, verum ita de his rebus aptissime tractabitur.

Huc igitur refero observationes de loco ubi puteal Libonis situm sit (IV, 49), de Bovillis et Aricia (VI, 55. 56), huc scholia, in quibus mores Romanorum docte illustrantur, e. g. Varronis testimonio adhibito (I, 72. II, 69), velut illud quod de *dote* traditur (II, 14) ita, ut antiquum

1 *Helenius* pro *Helenus* restituit Ritschel. (de vett. Plauti intpp. p. 4) apud Rufin. p. 2713, idem videtur faciendum apud Cassiod. p. 2321.

2 Henr. Ernstius (varr. obss. I, 7) haec narrat: *Reperi Mediolani in bibliotheca Ambrosiana cod. antiquissimum calamo exaratum, cuius usum mihi concessit Franc. Bernardin. Ferrarius, vir non solum elegans et doctus, verum bonus et rarissima humanitate praeditus, in quo ita scriptum erat: Acron in Persium pro Cornutus in Persium. Idem erat liber, qui Cornuto alias adscribitur. Faveo, ut verum dicam, huic sententiae, cum ob antiqui codicis auctoritatem, tum ob affinitatem sermonis cum aliis, quorum Acron auctor dicitur.* Non improbarunt hanc sententiam Vincent. Placcius catal. pseudonymor. p. 179 et Io. Rhodius ad Scribon. Largum p. 133, ut narrat Fabricius Bibl. Lat. II p. 165, cui tamen non persuasit, uti nec Funccio de imm. L. L. sen. V, 20. Mihi non fuit concessum in hanc rem accuratius inquirere, nam cum bis aliquot dies Mediolani versatus sim, Ambrosiana non licuit uti. Acronis hos commentarios esse nullo modo credi potest, fortasse tamen inde confirmatur, Acronem Persium explicasse.

grammaticum prodat [1]. In eandem classem refero, quae de stoa *Πεισιαναχτείῳ* (III, 53), de Zopyro (IV, 24), quamquam eum etiam a scriptoribus ecclesiasticis laudatum video (Origen. c. Cels. I, 33. Euseb. praep. evang. VI, 9), de Iunone Curiti (IV, 26), de sacerdotibus Cereris Eleusiniae (V, 145) tradit, quae ut meliora Cornuti doctrina, ita Valerio Probo non satis digna videntur. Ex Acrone fortasse fluxit etiam inscriptionis obscura commemoratio, quam Similis sibi ponendam curavit (II, 1). Quoddam temporis indicium facit mentio praetoris tutelaris [2] (II, 19), qui a M. Antonino philosopho primum institutus est (Iul. Capit. v. M. Ant. 10), quare a Valerio Probo non potuit commemorari, magis vero convenire videtur Acroni. Item quod de recognitione equitum, non ut olim per censores, sed per consules facta (III, 28), traditur, de qua re nemo alius retulit, est a grammatico scriptum, qui ante Constantinum quidem, verum serioribus Romani imperii temporibus vixit, cf. Marquardt. hist. equitt. Rom. p. 94.

Disceptari potest de Graecis, quae quamvis plerumque turpiter deformata sint, partim tamen satis aperte monstrant, esse ea ab initio a doctis grammaticis profecta, et ab inscitis hominibus postea corrupta. Ita quae de Graecis proverbiis a Persio expressis monentur (I, 1. 56), virum Graece doctum produnt, et quae de verbo *Briseus* (I, 75), *Mimallones* (I, 99), *Bassaris* (I, 101) disputantur, quamquam partim confusa sunt, verisque mixta mala, non potest tamen dubitari, quin ex antiqui cuiusdam grammatici notis servata sint. Atque haec etiam ad Valerium

1 Cf. Plin. epp. II, 4, 2: *Cum nubenti tibi in dotem centum milia contulissem praeter eam summam, quam pater Deus quasi de meo dixit.*

2 Quod in ed. princ. legitur *tutelarius*, confirmat cod. Laur. pl. XXXVII, 20. Ea forma tamen an alibi legatur nescio. Inscriptionibus, in quibus praetoris tutelaris mentio fit, ab aliis collectis (v. Heinecc. synt. I, 20, 13) adde a Nibbyo (anal. II p. 308) et Kellermanno (Bull. dell' inst. 1833 p. 64 sqq.) editam. Cf. supra Corn. sch. ad Iuv. III, 126.

Probum, ut supra iam monui, referri nihil vetat, cuius in scholiis ad Virgilium similes reliquias servatas esse videmus (cf. ad Ecl. II, 61. VI, 31. Georg. I, 9. 11. 68. II, 120. 380. 385. IV, 1).

Haec fere sunt, quae de antiquis Persii interpretibus afferri potuerunt [1], et de paucis iis, quae inde ad Cornutum pervenerunt. Non defuerunt, qui post hunc idem opus aggrederentur, verum, quantum innotuit, nihil novi afferentes, quod quidem bonum sit [2], plerumque Cornutum exscribentes, quem interdum etiam auctorem afferunt. Eiusmodi exemplum secundum C. Barthium (Advv. LVI, 2) allatum est ad prol. 8 p. 247. cf. Advv. XI, 27. Etiam in cod. *Erlangensi* commentarius satis et prolixus et ineptus, qui magnam partem Cornuti scholiis nititur, quem etiam laudat. Nam cum ad prol. init. eadem de Gorgonibus narret, quae p. 241 sq. leguntur, addit, Cornutum ita allegorizare. Aliud exemplum praebet codex *Laurentianus* (plut. XXXVII, 20 cf. Bandin. cat. II p. 256) membranaceus, saec. XIII, in quo prolixus in Persium commentarius exstat, qui saepius Cornuti mentionem facit, ita ut plerumque quae eo auctore affert cum iis consentiant, quae revera legimus. Inde cum iam quaedam proposita sint (p. 238 sqq.), quae commentarii exordium faciunt, et demonstrant, quomodo scriptor eorum antiqua vita usus sit, hic pauca exempla addere iuvat:

II, 33. *Infami digito*, medio, s. quod ad infamiam et opprobrium ostenditur Iudaeis, quod in singulis annis crucifixionis dominicae Iudaei merito peccati sui ad opprobrium generis fluxum per posteriora emittunt, unde et *verpus* dicitur quasi urens podicem,

1 Erhard ad Petron. sat. 1 affert ea de satira, quae in Cornuti scholiis vulgo leguntur: *Satira est genus* cett. (cf. p. 241) et addit: *Haec Saebius Iavens, vetus Persii interpres, quem in membrana scriptum nobis ex copiosa et festiva sua bibliotheca nobilissimus simul et eruditissimus Goldastus commodavit.* De quo nihil plane comperi.

2 Specimina quaedam scholiorum in Persium ineditorum nullius pretii edidit Wasse, on latin scoliasts in Classical Journal II p. 454 sqq., unde exemplum exhibui ad I, 51 p. 259.

unde quoque Iuven. *mediumque ostendens unguem.* Vel de uerpus quod sine verecundia superexercuit alios.

II, 55. *Ovato,* sec. Cornutum a te optato et desiderato, propter quod ovas et lactaris.

II, 64. Cornutus dicit, quod reprehendit hic mulieres unguenta facientes et vestes tingentes, sed male procedit.

IV, 2. Socrates hic Alcibiadis amore stimulatus et accusatus adductus fuit ad iudicium, ut infamiae crimen evaderet succum cicutae potavit et illa vice evasit. Postea vero composuit quendam librum, quem intitulavit *libros de deo Socratis,* in quo praedicavit, deo et non diis esse sacrificandum, et ea causa secundo accusatus est. Qui cum se excusaret, attulerunt ei duas imagines, unam Iovis marmoream, alteram Phoebi ligneam, dicentes: Iura per hos deos. Non iurabo, inquit, per hos deos, sed si vultis, iurabo per hoc marmor et hoc lignum. In cuius rei vindictam iterum potavit succum cicutae et periit.

V, 25. *Plectoria* vel *tectoria* i. d'xpnes et tegumenta. Tectoria, quod tegit, quod in corde est, vel plectoria.

VI, 71. Ut dicit Remigius *nepa* est quidam serpens, qui fetus suos devorat, cum famescit, inde *nepos* dicitur, quasi patrimonium consumens et devorans sive dissipans.

Attuli quaedam exempla, ubi ut in illo Barthiano tanquam Cornuti laudantur, quae nunc in eo non leguntur, quod iam de Cornuti in Iuvenalem commentario vidimus, nec mirabitur, qui consideraverit, quoties haec describerentur, pro lubitu fere addidisse aut omisisse quaedam librarios, unde factum est, ut hodieque in diversis codicibus non plane iidem exstent hi commentarii, sed hic illic quaedam vel omissa vel adiecta sint, et sermo aut ordo paullo immutatus sit. Sed ea omnia in tali scriptore parvi momenti sunt. Quae ex locupletiore Bonav. Vulcanii codice Cornuti protulit P. Merula (ad Ennii frgmm. p. 67) teste Fabricio (Bibl. Lat. II p. 165) non vidi, ceterum fides eorum penes auctorem esto, ceteroquin satis suspectum [1].

1 Cf. Hoch, de Ennianorum annalium fragmentis a P. Merula auctis. Bonn 1839. Ritter, in Zeitschr. f. Alterthswiss. a. 1840 p. 382 sq. a. 1841 p. 335. Prorsus simili, atque eo quod notavit Ritterus, artificio conficta sunt, quae Merula p. 308 affert, quibus nollem tam fidenter usum esse Munckium (de fabb. Atell. p. 98 sqq.)

Narrat autem I. B. Plautius quoque ad sat. V: *Nonnulla Cornuti operis fragmenta, quae prolixiori et magis luculenta oratione hoc opus interpretantur, se vidisse affirmat Simon de Paschalibus Iadertinus.* De quibus accuratius iudicari poterit, si quando edita fuerint; interim non nimiam de iis spem conceperim [1].

Cornuti scholia aut integra aut hic illic immutata in permultis codd. servata sunt, duplici fere modo. Nam aut ipsius poetae verbis adiecta sunt, ut partim inter lineas breviores explicationes singulis verbis superscriptae sint, partim margini adscripta exstent, quae prolixiore oratione poetae verba explicant. Ita factum est, ut cum alia passim varient, tum ordo potissimum scholiorum, quia is ex spatii ratione maxime pendebat. Quamquam enim saepe quidem signo quodam addito verbum designatur, ad quod annotatio pertinet, multum tamen abest, ut id semper factum sit, qua re facile explicatur, a librariis scholiorum ordinem varie mutatum et turbatum esse. Hoc modo scripta scholia exstant non addito quidem Cornuti nomine in codd. Paris. n. 8272. 8049 et Laurentiano plut. LII, 4, quos inspexi. Alterum genus codd. est, in quibus continua serie scriptus est commentarius, addito plerumque Cornuti nomine, ad quos pertinet cod. Bern. n. 223, codd. Monacc. n. 122. 156. 526. Huc pertinet etiam codex *Darmstad.* n. 190 Hartzh., membr. saec. XIV vel XV, qui scholia in Lucanum, Macrobium, Iuvenalem, et Persium continet (cf. Weber de intpp. Lucani p. XXXV), et in hunc quidem maximam partem cum Cornuto conspirantia. Ad idem genus referenda etiam scholia cod. *Bernensis* n. 665, membranacei, saec. XII nitide scripti, quae in sat. III v. 76 finiunt, cum Cornuti (cuius nomen postea adscriptum est) scholiis fere eadem, nisi quod breviora esse solent.

1 Fortasse codex Bon. Vulcanii in bibliothecam Leidensem pervenit, et fieri potest, ut idem sit, quem memorat Oudendorpius (ad Suet. p. 101) e libris Vulcanii emtum, in catal. p. 328 n. 78.

Quaedam tamen etiam propria habet, unde egregium mythologicae doctrinae specimen hoc affero dignum Trimalchione, qui habuit in scypho, quomodo Cassandra occidit filios suos, et capidem, ubi Daedalus Nioben in equum Troianum includit (Petron. 52):

I, 34. *Ysiphilis* uxor Bellerofontis, qui cum bello Thebano ab hostibus captus fuisset, illa se tradidit pro eo et sua morte redemit eum.

Neque invidebo poetae, quem primus quantum scio memorat, nomen:

I, 17. Hoc dicit, quod Tarsus poeta recitaturus carmen ad hoc ornatus et festivus incedebat, ut corporis habitu se audientibus commendaret.

Commemoravi codd., quos inspexi ipse, alios, qui innumeri exstant, enumerare non videtur necessarium. In omnibus autem idem ut ita dicam scholiorum corpus exstare statim apparet, quamquam singula in omnibus fere vel aucta vel in brevius contracta, vel sermone paullum immutato proferuntur, ita tamen ut ad summam rem ea nullius momenti sint.

Hic paucis dicendum est de glossis, quas Pithoeus primus edidit, post eum Schrevelius, Reizius, Orellius repetierunt. Eas a multis prae Cornuti commentario laudari video, inique, si ab eo prorsus diversas putant, recte, si optima fere ex Cornuti scholiis in iis selecta dicunt. Nam ita se rem habere, ut nihil in iis traditum sit, quod non apud Cornutum traditum sit, facile iam quisque videre potest. Pithoeus haec tantum de iis significavit: — *Non ignoro a plerisque non postremae notae scriptoribus Probo tribui commentaria non in Iuvenalem modo, sed et in A. Persii satyras illa, quorum hic quoque bonam partem emendatiorem damus, usi etiam in hac re consilio iudicioque amicorum, atque inprimis Ios. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quicquid praeterea dixero, minus erit.* Cum Pithoeus de nullo codice loquatur quem adhi-

buerit praeter antiquum suum, olim Budensem, sequi videtur, in eodem fuisse Persii verbis Cornuti scholia adscripta, ex quibus excerptae illae glossae sint, quamquam ne hoc quidem, selectas esse monet Pithoeus, et ex eius verbis efficere quis possit, fuisse eas ita scriptas in codice illo. Res autem quomodo se habeat, docet Ios. Scaliger, qui maiorem quandam in hac re laboris partem sibi vindicat, quam Pithoeus videtur innuere. Ita enim ad Casaubonum scribit vir eximius [1] (opp. p. 515 ed. Par. 1610 epp. II, 104 p. 279): *Laudo, quod glossas veteres ad Persium attexueris. Scito illas ita a nobis excerptas a Pithoeo editas fuisse. Chirographum earum meum una cum veteribus glossis Iuvenalis, quas itidem ex prisco exemplari Iuvenalis et ex editione Georgii Vallae collegeram in aedibus meis Aginni, invenies apud Puteanos fratres, si modo non periit. Patri enim eorum dedi, et fortasse Pithoeus quaedam aliter edidit, ac ego scripsi, quod tamen non puto. Ego illarum omnium glossarum eclogarius fui.* Quibuscum consentiunt Scaligerana (p. 184): *Le vieux commentaire sur Perse et Iuvenale a esté tiré par Monsieur de Lescalle, et ainsi rendu à Monsieur Pithou, mon Oncle de Savoye, et a esté trouvé escrit de la main de Monsieur de la Scala paruns les papiers de feu Monsieur de Puy.* Ex eodem codice

1 In eiusdem epistolae initio leguntur, quae supra iam afferre debebam: *Tandem exoptatissimus Persius tuus nudius tertius mihi redditus fuit, atque adeo totus sum in eo legendo. — Quanto in precio is auctor olim fuerit, Quintilianus et Martialis testes sunt. Ego tamen, quamvis serio illius lectioni olim operam dederim, nunquam caussam aut argumentum inde haurire potui, cur mihi persuaderem tanti faciendum, quanti fieri ab omnibus videbam. Tu luculenta illa expositione fecisti, ut mihi non solum magnus propter se, sed et melior propter te videatur. Atque ut fatear mihi non visum, qui ultra sensum grammaticum exponi mereretur, nunc tamen plus meruisse fateor, quia et te interpretem nactus est, et si te non habuisset, illustratorem sui alium habiturus non esset. — Quantus quantus tamen est ille, quoties commentarium tuum considero, pluris condimentum esse videtur, quam pulpamentum.*

ducta esse scholia Iuvenalis et Persii probat, quod Scaliger (de re nummar. p. 83) postquam attulit quaedam e vita Persii „a vetustissimo grammatico conscripta“ addit: *Sic eiusdem optimi grammatici glossae a nobis olim excerptae in sat. IIII de Crispino oratore*, quae ad Iuvenalis sat. IV pertinent. Videtur Pithoeus, cum in scholiis ad Persium minorem curam poneret, haec e schedis Scaligeri edidisse, id quod suadet obscura ratio, qua de iis loquitur, nam si rem accuratius perspectam habuisset, non dubito quin diligentius de ea exposuisset. Ceterum in edendo Iuvenalis scholiasta praeter schedas Scaligeranas codicem ipsum ab eo denuo adhibitum esse credo [1].

Cornuti commentarius primum editus est Venetiis forma magna a. 1499. Haec editio in titulo exhibet imaginem arte xylographica expressam, in qua media sedet PERSIVS laureatus in cathedra versus faciens, ad dextram ei sedet CORNVTVS volumini pluteo imposito commentarios inscribens, ad cuius latus armarium parieti affixum variis libris plenum conspicitur, ad sinistram Persii duo viri Cornuto similes scribendo sedentes operam dant, quibus superscripta nomina sunt: IO. BRI. BAR. FON. Infra legitur:

Persius cum tribus commentariis.
Cornuti phylosophi eius praeceptoris cometarii.
Ioannis Britannici Brixiani comentarii.
Bartolomei Foncii comentarii.

In fine voluminis haec leguntur: Impreſſum Venetiis ſumptu diligentiſſimi uiri Ioannis de Tridino. Anno a natali christiano | M. CCCC. XCIX. Die uero. IIII. Mēsis Nouēbris. Regnante inclyto ac foelicissimo | principe Augustino

1 Totam rem Scaligeri calumniam esse, non possum Cramero (ad schol. Iuv. p. 6) assentiri, ut olim iam dixi in epistola ad Orellium (Zeitschr. f. Alterthswiss. a. 1838 p. 1049 sq.).

Barbadico. Editor Io. Bonardus Sacerdos Veronensis in brevi epistola ad clar. dom. Angelum Marcellum magn. patricium Venetum pauca haec monet: — *Nullus dignior visus, cui iucundissimos hos labores meos id est Cornutum eruditissimum Persii vatis praeceptorem ac eiusdem interpretem fidissimum diu mancum lacerum et temporum incuria undecunque depravatissimum operosa industria mea in pristinum candorem, quantum licuit redactum dicarem; sub tuoque nomine diligentissimo viro Io. Tacuino imprimendum tradidi.* Codex, quo Bonardus usus est, ultra modum lacunis et mendis cuiusque generis turpatus fuit, nec eius magna in codd. versandis peritia fuisse videtur, nam tam lacerata in hac editione scholia comparent, ut multo plura omni sensu destituta sint, quam quae intelligi queant. Tamen haec editio multum mihi profuit, nam ipsae corruptelae magnam partem ita comparatae sunt, ut certam emendationis viam monstrent, et sana adhibita ratione saepe veras lectiones exhibeat, in aliis codd. et edd. oblitteratas. Itaque si editoris operosam industriam non eatenus, qua ille putavit, laudare possumus, tamen id grati agnoscimus, quod fideliter exhibuit, quae ex cod. suo expiscari potuit. Secutus est Elias Vinetus, qui ut supra iam vidimus, editionem principem non novit, cum Pictavis apud Enguilbertum Marnefium a. 1563 forma quadrata publici iuris fecit Lucii Annaei Cornuti grammatici antiquissimi Commentum in Auli Persii Flacci satyras, nunc primum formis editum. Is in praefatione de subsidiis suis haec habet: *Nostris exemplaribus scio nihil inveniri posse corruptius. Fuerunt autem haec tria, quorum unum nos et Guilielmus Martinus Voltanus, clarissimae civitatis Burdigalensis procurator, Aquis Augstis in vetusta libraria anno Christi MDXLV repereramus. Alterum Francisci Bernae Santonensis, tertium Ioannis Amaritonis Arverni fuit. Quae magis varia in conferendo deprehendimus, quam diversa*

loca sunt, unde fuerant conquisita. In iis ergo libris tale fuit, quale hic vides Annaei Cornuti commentarium. Nihil in describendo mutavi, nisi si quae voculae corruptae videbantur. Nihil detraxi, quod aliquando sum expertus, quam periculosum sit, ea statim contra vetusti codicis fidem auctoritatemque delere aut mutare, quae in alienis scriptis non probes. Optavissem quidem certe hoc commentarium in lucem dare purius emendatiusque, sed ad eam rem antiquis codicibus opus fuit: qui non suppetebant alii, quam quos dixi: neque habui, unde alios conquirerem. Et haec qualiacumque sint ita edere melius duxi, quam pati litterarum studiosos diutius huius commentarii desiderio se torquere. Quomodo autem codd. suis usus sit, non patet, nam cum eos valde diversos inter se fuisse dicat, nullum tamen variarum lectionum vestigium apparet. Sed hanc diversitatem non mirabitur, quicunque vel ipse Cornuti codd. versarit vel eorum meminerit, quae modo monui. Videtur igitur unum quendam descripsisse, ab eo, qui in ed. princ. expressus est, paullum diversum, e ceteris, si quid praeferendum videretur, correxisse, neque coniecturis prorsus se abstinuisse, ipse dicit. De secunda editione quam paraverit, et quae in eam collecta habuerit subsidia, ipsum iam audivimus narrantem, ea tamen nunquam prodiit. Tertium editum est L. Annaei Cornuti — commentum cum veteri codice manuscripto collatum et multis in locis auctum et emendatum ex bibliotheca C. V. Ioannis Roussati, Consil. Reg. Praefecti Calvimontii et Propraetoris Lingonensis, in editione Parisina, quae cum commentariis Marcilii et aliorum apud Cl. Morellum a. 1601 forma quadrata prodiit, unde repetitum est in altera editione commentariorum Marcilii Lutetiae apud Io. Orry a. 1613 eadem forma. In hac expressus est Vineti textus, raro tantum paullum immutatus, sed inserta sunt quaedam e cod. Roussati sumpta additamenta, uncis

quadratis inclusa, sicut uncis rotundis notata sunt, quae in hoc cod. absunt, praeterea in margine adscriptae variae lectiones eiusdem codicis partim bonae, unde textum emendare licuisset. Hae tres tantum exstant Cornuti editiones [1]. Quae postea elaborata est ab Andr. Rivino lucem non vidit. Narratur enim apud B. F. Hummelium (Neue Bibliothek von seltenen und sehr seltenen Büchern I p. 359 sqq. 364 sqq. 484 sqq.) exstare librum calamo exaratum satis amplum hoc titulo: Annaei Cornuti, philosophi et grammatici veteris egregii, in A. Persii Flacci equitis Romani VI satyras commentaria una cum vita eiusdem studio et opera D. Andr. Rivini P. P. post I. Ios. Scaligerum, P. Pithoeum, Is. Casaubonum, El. Vinetum, Theod. Marcilium, Io. Bonardum et Eilh. Lubinum pristinae dignitati restituta. Lips. 1644. Ibidem praefatio edita est, unde apparet, quod supra iam indicavi, Rivinum in ea opinione fuisse, Annaeum Cornutum, Persii praeceptorem, hunc commentarium scripsisse, Valerium Probum scholia in Iuvenalem, quae quia in codd. priorem locum occupare solerent, Probi nomen ad scholia in Persium transisse. Ceterum quid illo libro factum sit, nescio.

Restat, ut breviter indicem, quam ego in edendo hoc Cornuti commento [2] rationem secutus sim. Codicem Pari-

1 Video, a quibusdam laudari Pithoeanam Cornuti editionem, de qua nihil accuratius comperi. Nam is in celeberrima Iuvenalis et Persii editione (Lutet. 1585. Heidelb. 1590) nihil praeter excerpta illa edidit, aliam ab eo curatam nusquam commemoratam vidi. In editt. Pariss. Cornuti adiectae quidem sunt P. Pithoei I. C. variae lectt. et notae ad veteres glossas, eiusque nomen in titulo commemoratum, verum eae expressae sunt ad illam editionem, et de cura peculiari, quam Pithoeus in Cornuto posuerit, nihil relatum vidi.

2 Commentum vocavi, quia ita in codd. inscribitur, et hoc v. frequenter usi sunt seriores scriptores. Prisc. VI p. 698: *Servius in commento Virgilii.* XV p. 1004: *Donatus in commento Aeneidos.* Cassiodorus (divv. lectt. 6) commemorat Hi-

sinum n. 8272 cum editione Parisina a. 1613 contuli, et magnam partem descripsi, ceteros, quos supra memoravi maiore minoreve cura perlustravi, et memorabiles lectiones vel si quid additum inveni notatu dignum in chartas retuli. Praeterea tres, quas recensui, Cornuti editiones ad manum habui. His ita usus sum, ut si quid in aliqua editione expressum vel e codice notatum reperirem, quod melius esset, quam quod editio Parisiensis a. 1613, quam pro fundamento habui, praebuit, id in textum reciperem. Varias autem lectiones tum demum addidi, ubi disceptari posset de veritate lectionis, aut ubi memorabilis lectio occulti ulceris suspicionem praebere videretur. Nam in eiusmodi scriptore id summum mihi videtur, ut textus repraesentetur, quantum fieri potest emendatus et liber ab interpolationis arbitrariae suspicione, cum summa temporis et chartae parsimonia. Quamquam autem in editionibus antiquis haec scholia valde corrupta sunt, magna tamen pars vitiorum ita comparata est, ut adhibitis variis lectionibus certo emendari potuerint. Vel sic restant loci corrupti, quos, ubi non statim medela succurrit, intactos reliqui. De ea autem re persuasum sit lectori, si in tali loco nihil annotatum inveniet, me nihil variae lectionis reperisse, ut omnino non omisi afferre, quae alicuius usu esse possint, neque quidquam in hac editione legi, quod non codd. aut editt. antiq. fide nitatur. Nam id credo neminem esse improbaturum, quod vitia, qualia in describendo codice statim corrigimus, ut typothetarum errata inter legendum, tacitus emendavi. Quamvis enim cautum criticum esse deceat, superstitiosum fuisse in eiusmodi praesertim scriptore pudet et talia indicare non tam eius esse videtur, qui de nostris litteris modeste mereri studet, quam qui coniectandi

larii *commenta;* Lupus abbas (epp. CIII p. 98 b). Donati *commentum* in Terentium. *Commentum* Persii, quod olim in bibl. Sangall. erat, e cod. ant. memorat Orellius ep. crit. ad Madv. p. XIX.

laudem etiam lectorum taedio emere cupit [1]. Quibusdam locis uncis usus sum, ubi diversae explicationes permixtae videbantur. Raro in notis quaedam addidi e cod. maxime Parisino, poteram plura, sed chartae parcere malui; nam in meis certe codd. nihil inveni, quod poetae interpretationem aut antiquitatis cognitionem iuvaret. Glossas Pithoeanas, quo facilius a ceteris dignoscerentur, quia eae fere a VV. DD. laudantur, diductis litteris exprimendas et tam initio quam in fine asterisco notandas curavi. Attuli autem quasdam VV. DD. in eas emendationes, quas unde sumserim, indicandum est. C. Barthius in ea Adversariorum ineditorum parte, quae in bibliotheca Regia *Havniensi* asservatur [3], locos quosdam harum glossarum emendavit, lib. CLI cap. 21. 22. CLII, 2, unde eas descripsi. I. A. Fabricius exemplo editionis Schrevelianae a. 1648, quod in bibliotheca universitatis *Havniensis* servatur paucas correctiones adscripsit, quas suis locis commemoravi. In bibliotheca *Heidelbergensi* exstat exemplum editionis Pithoeanae a. 1590 quod olim fuit Danielis Eremitae, qui nomen suum inscripsit titulo (*D. Heremita Antverp. Aō cIↃ. IↃc.*). Hic in margine emendationes quorundam Iuvenalis locorum adscripsit, in Persio aliquot varias lectiones, aliunde iam notas, annotavit, praecipuam verò curam in scholiis posuit, quorum haud paucas emendationes adscripsit (cf. Cramer ad schol. Iuv. p. 621). Cum hisce correctionibus mire concordant eae, quas Fr. Lindenbrogius ad oram exempli eiusdem editionis notavit, quod tenet bibliotheca *Hamburgensis*, in qua eaedem annotationes bis praeterea exscriptae exstant, inter Lindenbrogii annott. mss. ad varios scriptores Latinos, et ad marginem edit. Paris. a. 1613. His igitur

1 Qualia intelligam haec exempla docebunt. In schol. ad I, 47 legebatur *dolore* pro *dolere;* ad I, 77 *verrucae populae* pro *papulae;* ad I, 115 *deus* pro *dens,* et quae his similia sunt.

2 Cf. quae de his disserui, Zeitschr. f. Alterthswiss. 1837 p. 623 sq.

prorsus inter se convenit, ita ut perpauca apud Lindenbrogium invenerim, quae non habeat Eremita, contra paullo plura apud hunc, quibus ille careat. Lindenbrogianas emendationes in exemplum suum transscripsit Christius, quod nunc in bibliotheca universitatis *Lipsiensis* est (Rupert. ad Iuven. t. I p. CXLIV), et utrasque accurate consentire docuit me Fr. Passovii exemplum, in quo ex Christiano notaverat, cuius usum mihi amice concessit W. A. Passovius filius. Christiano exemplo aperte usus est Reizius, qui haud paucas harum correctionum recepit. Quodsi quaeritur, a quonam profectae sint hae emendationes, ut D. Eremitam patrem earum habeamus, videtur suadere, quod Graevii manu in titulo post vv. *cum veteribus commentariis nunc primum editis* additum est: *et multis locis emendatis a D. Eremita* [1].

Haec scholia annotationibus nec ornare nec onerare aptum duxi, ergo si paucos locos excipias, ubi aliquid breviter notare e re visum est, praeter varias lectiones [2] subieci tantum locorum in scholiis laudatorum accuratam indicationem, et ut colligeretur quicquid ad hoc genus interpretationis referendum videretur, addidi e glossariis graeco-latinis ab Henrico Stephano editis et Papiae atque Ioannis a Ianua vocabulariis, quae ad Persium spectare videbantur, simul comparavi quas apud Isidorum maxime, Servium etiam aliosque grammaticos similes explicationes inveni. Quamquam me non latet, talia ab iis, qui in his studiis et scriptoribus magis versati sunt, plenius afferri posse, tamen vel sic ea, quae parata habui non invitos accepturos esse VV. DD. speravi, quasi quasdam symbolas ad historiam explicationis huius poetae.

1 Ab eodem Graevio multa adscripta sunt, quae ad interpretationem Iuvenalis spectant, haud magni momenti.

2 Editionem Venetam notavi *ed. pr.*; Parisinae non feci mentionem, nisi ubi a Vineto discedit, ergo ubi *Vin.* laudatur, idem est in *ed. Par.*

In recensenda vita Persii usus sum codd. Parisinis n. 8272 (*P.* 1), n. 8070 (*P.* 2), Monacensibus, sign. $\frac{F}{I}$ (*M.* 1), et sign. e. 3 (*M.* 2), codice Bernensi n. 223 (*B.*), Guelferbytano n. 79 Gud. (*W.*), de quibus statim dicetur [1]. Oudendorpius in editione Suetonii duos codd. adhibuit, unum antiquiorem e Vossianis, catal. p. 378 n. 18 (*V.*), qui non ultra v. *aequales* p. 235 procedit, alterum e libris Vulcanii emtum, catal. p. 328 n. 78 (*L.*). Praeter editores consulta est a me I. I. Breitingeri Tigurini exercitatio critica in vitam A. Persii Flacci (in Schelhorn, amoenitt. litter. t. X p. 1103 sqq.) et Bouhier, Remarques sur la dissert. crit. in vitam A. Persii Flacci (ibid. p. 1133 sqq.). Varias lectiones diligenter recensui, patet tamen hanc vitam in codd. iisdem corruptelis vitiatam esse, ita ut verba genuina saepe restitui nequeant, sensus ubique fere intelligi possit. Ceterum hic codd. consensus satis probat, praesertim si dissensum in Cornuti commentario consideres, hanc vitam, ut de Probi commentario sublata est, transscriptam esse ex alio in aliud exemplum et quamvis inscitia corruptam tamen non interpolatam esse.

Tandem aliquando ad quaestionem de codicibus pervenimus, qui Persii satiras nobis servarunt. Quorum cum innumera multitudo sit, et pleraeque bibliothecae paullo maiores tales custodiant, non id agam ut omnium quam plenissimum recensum faciam, sed de iis tantum disputabo, quorum mihi usus concessus est.

Inter eos primus commemorandus est codex *Montepessulanus* celeberrimus (*Mp.*), qui praeter Nonium etiam Persii satiras continet, teste Haenelio (Catal. Libb. Mss. p. 239 H. 212 cod. Buher. D. 44) membranaceus saeculo *Mp.*

1 *F* est cod. Laurent. pl. XXXVII, 20, qui post vitam interpolatam (p. 239 sq.) initium tantum nostrae vitae habet: *Vita Aulis Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata. Aules Persius Flaccus. Is natus est pridie non. decembris. Fabio. Persico. Lucio. Vitellio. Consulibus. decessit. VIIj Kall. Decembris. Rabio.* Reliqua desunt.

IX scriptus. Is enim in fine subscriptionem monstrat. Eam primus, quod sciam, retulit P. Relandus in fastt. cons. ad a. 1154 a. u. c. 402 p. Chr., ubi ait: „Ad finem cod. mst. Persii: *Flavii Iul. Trif. N. N. Sabini Vi. Protector domesticus temptavi emendare sine antigrapho et adnotavi Barcellonae Coss. DD. NN. Arcadio et Honorio quinquies.*“ Unde habuerit notitiam eius, quam parum accurate edidit, nescio, fortasse ex N. Heinsii schedis. Hic enim codicem tunc Buherii bibliothecam ornantem Divione tractavit, et subscriptionem in schedas retulit, unde edidit Burmannus (de vita N. Heinsii p. 20) ita: FLAVIVS IVL. TRE NN SABINI V. C. PROTECTOR DOMESTICVS TENTAVI EMENDARE SINE ANTIGRAPHO MEVS ET ADNOTAVI BARCELLONE CAES. D'O N'N ARCADIO ET HONORIO C'e. Nuper accuratius edita est in diario eruditorum (Iourn. d. Sav. a. 1842, I p. 40 sq.). Dübnerus, cuius amicitia accuratae, quam sibi confecit, huius cod. collationis usum mihi concessit, ita diligentissime eam depinxit [1]:

1 Praeter hanc altera adscripta fuit recentiore manu, quam magnam partem delevit bibliopegi incuria, ita ut haec tantum restent:

RXFO
'IN'
ECTOR
LEGI
D. NN
HONOR
'ES. CONS
TRO
EMA
EMDANS
UI. ANNO
XXX^{mo} ET MI
DARTO
TATE TOLOSA

Quae suppleri possent ex subscriptione Nonii apud Reland. l. l.: *Iun. Trifon. Sabin. Protector Dominic. Legi Q. cum DD. NN. Arcadio et Honorio quinquies coss. prout potui sine magistro emendans annotavi anno aetatis XXX et militiae quarto in civitate Tolosa,* si modo haec fidem plenam mereret. Nam et ipsa negligenter descripta esse videtur, ut nec in altera restituenda

R
FLAVII. IVL. TRE. NN. SABINI. UT POTECTOR DOMES
TICYS TEMPTAVI EMENDARe SINE ANTIGRAPHOME
V. ET ADNOTAVI BARCELLONE COSS. DO. N'N AR
CRADIO ET HONORIO. Q.

Exstat autem codex eadem subscriptione insignis Romae in tabulario basilicae Vaticanae, (*Rom.*) cuius memoriam renovavit Niebuhrius (ad Cic. oratt. frgmm. p. 20); commemoravit etiam Cancellierius (de secret. basil. Vat. II p. 922), et accuratius de eo egerat Arevalus (ad Sedul. prol. p. 88). Hic docuit, codicem bibliothecae Vaticanae a. 1620 scriptum (Alexandr. n. 1598), continere catalogum librorum bibliothecae s. archivii basilicae Vatic., ibique p. 16 afferri: *Persii Flacci satyrae ante* 1200 *annos scriptae et Barcellonae emendatae a Flavio Iulio Trebatio nominis Sabini anni Chr.* 416. Tum subscriptionem ex ipso codice descriptam talem exhibet: *Fl.ˢ Iul.ˢ Treˢ nnˢ Sabini ut protector domesticus temptavi emendare sine antigrapho meo et adnotavi Barcellonae. Coss. DD. NN. Arcadio et Honorio Qˢ.* Huius codicis usum dum Romae versor summo meo dolore non potui nancisci. Sed ecce mense Septembri anni praeteriti C. B. Heinrichius patris sui schedas, quae ad Persium spectant, ut a me edantur affert. Statim animum advertit codicis huius collatio, qua, cum Persii textum et commentarium iam typis mandassem, hic ad absolvendam de codicibus disputationem uti humanissime permisit Heinrichius. Ibi igitur hoc modo exaratam inveni subscriptionem: *Rom.*

ea uti voluerim. Num *Protector Dominic.* scriptum fuerit, dubito; *Q. cum* fuisse videtur *meum; sine magistro* depravatum fortasse ex *sine antigrapho.* Illud *prout potui* est etiam in Mavortii subscriptione Horatiana (H. Peerlk. p. XIX): *Vettius Agorius Basilius Mavortius V. C. et inl. excom. dom. excons. ord. legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice oratore urbis Romae*, unde fortasse quis etiam vv. *sine magistro* explicet.

F'L [1]
F'L. IU'L. TR'E N'N SABINI VI PROTECTOR DOMES
TICVS TĒPTaUI EMDaRE SINE aNTIGRaPHOME
Ú ET aDNOTaUI BaRCELLONE CSS. DD. N'N. aR
CHaDIO ET HONORIO. Q

Apparet utriusque codicis librarium archetypon quam accuratissime imitatum esse, quod in aliis quoque subscriptionibus factum esse videmus, cf. Niebuhr. l. l. In explicanda subscriptione prima verba negotium facessunt. F'L. IU'L vix errabimus si interpretabimur *Flavius Iulius* [2], sed in iis, quae sequuntur TR'E N'N SABINI VI haeret aqua et diversa tentari possunt. Nam signum' certam non habere significationem, sed indicare tantum, verbum vel syllabam non plene scriptum esse, patet. TR'E accipere pro nomine Trebatii cum scriptore cod. illius Vaticani, non satis placet; sed quid sit, obscurum est. Aliquando cogitavi legendum esse TRB i. e. *tribunus*, nam protectores domestici saepe ad tribunorum dignitatem ascendebant [3], verum iam quid sequentibus faciendum nescio. N'N solet esse *nostri* vel *nostrorum*, quod h. l. non aptum foret, fortasse potest idem significare, quod NAT., *natione* vel *natus*, et inde interpretandum SABINI, ut olim scriptus sit N. IN. SABINIS. At non placet Flavium Iulium primum se profiteri tribunum, tum natum in Sabinis, deinde

1 Librarius cum se spatio impeditum videret, iterum paulo inferius scribere coepit.

2 Flavius Iulius Gemellinus est ap. Grut. 545, 7. Fl. Iulius Maternus, Fl. Iulius Reginus ib. 546, 4 (cl. Lehne ges. Schr. II p. 212 n. 224, corrupte Murat. 814, 6); cf. 1023, 1.

3 Cf. quae affert Gothofr. ad Cod. Theod. VI, 24, 11 t. II p. 141. Amm. Marc. XXX, 7: Post dignitatem protectoris atque tribuni comes praefuit rei castrensi per Africam. Excc. de gestt. Constant. in Gronovii Marcellino: Constantius protector primum, exin tribunus, postea praeses Dalmatiarum fuit.

protectorem, quare aut illa litterarum TR'E, aut haec, aut utraque explicatio improbanda est. Iam quod sequitur UI aperte corruptum est, et equidem statim putavi, legendum esse V. I. i. e. *vir illustris*, verum quantum postea vidi protector domesticus non potuit vocari vir illustris [1]. Legendum igitur potius V. C. i. e. *vir clarissimus*, cl. inscr. Grut. 626, 8 L. VITALIVS. V. C. PROTECTOR. ET. NOTARIVS. Cogitavi deinde scriptum esse pro US et iungendum SABINIVS [2], et fateor, simplicissimum videri diversa Fl. Iulii nomina allata esse e. g. *Fl. Iulius Terentianus Sabinius*, sim. Sed patebit, quam incerta et obscura mihi ipsi haec videantur, quorum si quis proposuerit explicationem gratum faciet. Cetera facile intelligi possunt. Flavius Iulius erat *protector domesticus*, ex eorum numero, qui circa personam principis militabant, nec raro ab eo in provincias mittebantur ad publicas necessitates iuvandas [3]. Is igitur ita de opera sua praedicat: *Temptavi emendare sine antigrapho meum.* Nam *meum* sine dubio legendum est; ita in subscriptione inedita Boethii, quam in bibliotheca Bernensi descripsi [4]: MARTIVS NOVATVS RENATVS V. C. ET SP. RELEGI MEVM, et in codice Fuldensi harmoniae IV evang. *Legi meum* quod non recte intellexisse videtur, qui eam subscriptionem repetiit Massmannus (libell. aurar. p. 52). *Emendandi* verbo utuntur iure, qui diligentem curam adhibent, ut codex a mendis purgetur, quem vel ipsi descripserunt, vel describendum curarunt. Quam in rem cum codicem attente perlegerent, subscripserunt illud *Relegi*, vel *Legi* quod in

1 Gothofr. ad Cod. Theod. VI, 8 t. 2 p. 82.
2 Cf. Grut. 37, 14. 559, 5.
3 Gothofr. paratitl. ad Cod. Theodos. VI, 24 t. II p. 130 sq. Guther. de offic. dom. Aug. p. 347 sqq.
4 Constitueram de hisce subscriptionibus in excursu accurate disputare, nunc moles libri nimia me hanc disquisitionem differre cogit. Interim conferri possunt Vales. de crit. I, 34 ib. Burm. p. 180 sq. Fontanin. vind. dipl. ant. I, 3. Walch. de arte crit. vett. Rom. II, 26. H. Peerlkamp. ad Hor. p. XIX sqq. Schneidewin. ad Martial. p. CX.

Frontonis codice legitur (p. 86 ed. Rom.): *Caecilius s[ae]pe [r]ogatus legi emendavi;* ut in cod. Iuvenalis Laurentiano: LEGI EGO NICEVS AIUD. SERBIU' ROME. ET. EMDAVI h. e. apud Servium, ubi falso *Anid.* legit Bandin. cat. Laur. Latt. II p. 159. Solebant autem codicem modo descriptum cum libro probatae fidei conferre, ut vitia hoc modo detecta emendarent. In subscriptione Boethii modo memorata etiam hoc legitur: CONTRA CODICEM RENATI V. S. CORREXI QVI CONFECTVS AB EO EST THEODORO ANTIQARIO QVI NC PALATINVS *sc.* Id ad maiorem fidem a duobus fere instituebatur, ut alter corrigendum exemplum teneret, alter emendatum legeret. Qua de re Sidonius Apollinaris (epp. V, 15): *Librum igitur hic ipse deportat heptateuchi scriptum summa velocitate, summo nitore, quamquam et a nobis relectum et retractatum. Defert et volumen prophetarum, licet me absente decursum, sua tamen cura manuque de supervacuis sententiis eruderatum, nec semper illo contra legente, qui promiserat operam suam.* Idem in subscriptionibus annotatum, ut in hac Marciani Capellae (apud Grot. praef. Sirm. ad Ennod. epp. I, 19 p. 6 cl. Burm. ad Vales. de crit. p. 181): *Securus Melior Felix V. Sp. com. consist. rhetor R. ex mendosissimis exemplaribus emendabam contra legente Deuterio Scholastico discipulo meo Romae ad portam Capenam cos. Paulini V. C. sub D. Non. Martiarum Christo adiuvante.* Tali adiumento prorsus destitutus fuit Flavius Iulius et *sine antigrapho*, libro quem conferret, suum codicem emendare tentavit. Similiter legitur in subscriptione Vegetii, quam mecum communicavit amicissime Fr. Haasius, ut e codd. restituenda videtur: *Fl. Eutropius emendavi sine exemplario Constantinopolim consulatu Valentiniani Augusti VII et Abieni*[1]; et in ea, quae in Lucani codd. invenitur (Burm. de vita N. Heinsii p.

1 Cf. Cannegiet. ad Avian. p. 257 sq.

20. Weber de intpp. Luc. p. X): *Paulus Constantinopolitanus emendavi manu mea solus.* Virum qui non fuit grammaticus nec inferioris ordinis curam in emendando codice posuisse, nemo mirabitur, qui meminerit, quantum studium antiqui Romani in bonis et emendatis scriptorum exemplaribus collocaverint [1]. Comparent in subscriptionibus illustrissimorum virorum nomina, qui hunc laborem non turpem putarunt, ut Turcii Rufi Aproniani Asterii et Vettii Agorii Basilii Mavortii, cf. H. Peerlk. ad Hor. p. XXI. Insignis de hac re est Frontonis locus (epp. ad M. Caes. I, 6 p. 15 ed. Rom. II, 1 p. 46 Nieb.): *Contigisse quid tale M. Porcio, aut Q. Ennio, aut C. Graccho, aut Titio poetae? quid? Scipioni aut Numidico, quid? M. Tullio tale usu venit? Quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt . . Lampadione aut Staberio aut . . . . ui aut* [*Tirone*] *aut Aelio . . . . . aut Attico aut Nepote* [2]. *Mea oratio extabit M. Caesaris manu scripta.* Quae quamquam mutila [3] tamen facile possunt intelligi, et apparet inde, in ipso

1 Cf. quae congessit Walch. de arte critt. vett. Rom. II, 5.

2 Lampadionis grammatici (Suet. gr. 2) manu emendatum Ennii exemplar commemorat Gellius (XVIII, 5); Staberius (Suet. gr. 13. Plin. XXXV, 17, 58), et Aelius Stilo, ut etiam Heusdio (de L. Ael. Stil. p. 42 sq.) videtur, qui de huius cum Metello Numidico consuetudine admonet, celebres grammatici. Tiro, quantum studium adhibuerit, ut patroni sui libri emendate exstarent, notum est cum ex ipso Cicerone, tum ex Gellio, cf. Engelbronner, de M. Tullio Tirone p. 37 sqq. Atticum magnam curam gessisse, ut Ciceronis scripta ab eruditis librariis fideliter describerentur, satis constat, v. Hulleman. diatr. in T. Pomponium Atticum p. 173 sqq.; ipsum emendatricem manum adiecisse alibi traditum non est. Nam ad Ciceronis amicum h. l. potius referam, quam ad illum Atticum, cuius peritiam in describendis codd. laudat Lucianus, cf. Sauppe, ep. crit. p. 50. Corn. Nepotem Ciceroni amicum fuisse (Cic. ad Att. XVI, 5), ad eum epistolas dedisse (Lact. I. D. III, 15, 10), de eius vita scripsisse (Gell. XV, 28) aliunde notum fuit, scripta Ciceronis eum emendasse novum. Alia nomina haud dubie post Aelium commemorata erant, ubi lacuna est plus quam duorum versuum.

3 Ea ita restituit Kesslerus in programmate scholae Roslebensis a. 1828 p. 6: *Si sunt descripti a Lampadione, aut Staberio, aut*

describendo potissimum emendatoris operam versatam esse, eaque claros viros functos esse. Addit Flavius: *et adnotavi*. Tria erant officia eius, qui scriptorem edidit, emendandi, distinguendi, adnotandi, ut de Valerio Probo refert Suetonius (gr. 24). Eadem coniungit etiam Fronto (epp. ad am. II, 2): *Ciceronianos emendatos et distinctos habebis, adnotatos a me leges ipse, in volgus enim eos exire quare nolim, scribam ad te diligentius.* Distinctionis fortasse curam non habuit Fl. Iulius, certe non commemoravit, ut Turcius fecit in subscriptione Virgiliana. Cuius generis autem adnotatio illa fuerit, non potest diiudicari, et ne illud quidem pro certo affirmari potest, eum in numerum interpretum esse referendum. Nam adnotandi verbum etiam ita ponitur, ut significet notas quasdam iis locis apponere, qui vel vituperio digni vel aliam ob causam memorabiles videantur (Plin. epp. III, 5. VII, 17. IX, 26) [1]. Exstant quidem in cod. Montepessulano scholia, sed ea ita comparata esse affirmavit Duebnerus, ut nullo modo ad hoc aevum referri possint et vero a recentiora manu addita [2]. Ex more addidit denique loci et anni notitiam. Nempe *Barcellonae* (notanda haec forma prae antiquiorum *Barcinone*) atque *Arcadio et Honorio V conss.* i. e. a. p. Chr. 402 (v. Reland. fasti cons. p. 544) emendavit codicem suum. Huius igitur a Flavio Iulio emendati codicis imaginem exhibent codex Montepessulanus (*Mp.*) Haenelio auctore saec. IX, et Vaticanus (*Rom.*), ex Niebuhrii sententia saec. X, ex archivarii saec. XI scriptus [3].

Saevio (Suet. gramm. 5), *aut Tirone, aut Aelio, aut Statilio, aut Att.*

1 Cf. de hisce notis Senec. epp. VI, 4. Gell. XVII, 2. Wower de polym. c. 16. Reuvens collectt. litt. p. 107 sq.

2 A recentiore manu etiam aliquot locis codicis lectiones mutatae sunt.

3 Codex archivii basil. Vatic. notatus est n. 36 H; et ut ex insignibus apparet a Card. Giordani saec. XV donatus. Exaratus est scriptura fere continua, interdum punctum ponitur. Continet Boethii Arithmetica fol. 1 — 57, vacuum spatium fol. 57 complet initium tractatus theologici; Persii Flacci

Revera utrumque codicem ex eodem libro descriptum esse apertum est ex miro utriusque consensu, qui tantus est, quantum in duobus codd. exspectare possis. Contra non esse alterum ex altero descriptum diversitates quaedam monstrant, quibus probatur, diversis locis alterutrum librarium codicis archetypi ductus melius intellexisse. Ita enim res se habet. Quodsi hi codd., qui corruptis et insanis lectionibus scatent, fideliter illud exemplar a Fl. Iulio correctum repraesentarent, pessime illi viro emendandi operam cessisse putandum esset, verum accuratius re considerata, apparet, librarios imperitos et negligentes codicis illius ductus, haud optime ut videtur legendos, non esse assecutos, et vitiis contaminasse apographa sua, verum mendis eorum inter se comparatis, quid in codice scriptum fuerit, intelligi posse. Quam rem per singula tractare non est inutile visum. Moneo autem, in annotatione critica quaedam cod. *Mp.* lectiones praetermissas esse, ad crisin nihil facientes, quas ad hanc quaestionem utiles hic retuli, tum collatis cod. *Rom.* lectionibus me intellexisse, quaedam in Dübneri collatione a me non recte accepta fuisse, quae hic correxi.

Primum breviter annoto, utrumque semper habere accusativ. in *is* scriptum, non *es*. Ad antiquam scribendi rationem referendum, quod *Rom. cludere* (I, 93), *cluso* (V, 11), *temptare* (II, 21. III, 110.) ut in subscript. est, *negleget* (VI, 81), uterque *haut* et *set*, fortasse etiam

satyras fol. 58 — 63 r. Incipit a prima satira, quarta et quinta unam efficiunt, sexta inscribitur: *Ode quinta.* In fine notatur

Persi Flacci Satyrarum
Explicit feliciter. De vita eiusdē

Qua in re dolendum, quod de vita hac nihil accuratius traditum sit. Sequitur prologus et in fine eius subscriptio, tum iterum tractatus ille theologicus continuatur. Deinde Versus Prisciani eloquentissimi de Est et Non fol. 63 v., tractatus theologicus finitur fol. 64. Praecepta artis rhetoricae summatim collecta de multis ac syntomata Iulio Severiano fol. 65 — 69 v. Expleta praecepta artis rhetoricae breviter incipit collecta de dialecticis — fol. 72.

quod uterque *oro* (V, 106) pro *auro* habent. Praeterea in universum monuisse sufficiat, utrumque in vv. compositis abstinere assimilatione (*adsensere*, *adferre*, *inpello*, *inlita*, sim.), semper fere *e* habere pro *ae*, rarius etiam *ae* pro *e* praebere, saepe *ch* pro *h*, ut *michi*, *nichil*, sim., et multum variare in aspiratione vel ponenda vel omittenda. Cuius rei haec exempla sufficiant:

II, 6 Haud — aut *Rom.*
V, 171 haud — aut *Rom.*
V, 100 helleborum — elleb. *Rom.*
V, 148 exhalet — exalet *Mp. Rom.*

I, 42 os populi — hos p. *Rom.*
II, 36 aedes — hedis *Rom.*
III, 115 olus — holus *Rom.*
VI, 20 olus — holus *Mp. Rom.*
VI, 15 orti — horti *Mp. Rom.*
VI, 35 inodora — inhonora *Mp.* inhorora *Rom.*

In universum intelligi potest, codicem, e quo hi duo libri expressi sunt, exaratum fuisse continua scriptura, litteris minus rotundis, et longioribus quam latioribus, ut linearum verticalium arcte coniunctarum multitudo litterarum diversarum commutationem facillimam faceret [1]. Apparebit hoc, si litterarum quas inter se mutatas videmus exempla ordine disposuero:

1 Scriptura codicis archetypi aliquatenus diiudicari potest ex subscriptionibus, quibus eam repraesentare studebant librarii. Litteras autem subscriptionis cod. *Rom.* easdem esse affirmat Niebuhrius (l. l. p. 20), cum iis, quas ex inscriptionibus et codicibus patet inde a primo post Chr. n. saeculo usitatas fuisse, neque octavo usurpari desitas (Niebuhr. l. l. p. 19 sqq.). Simillimas autem eas ait fragmentis Livii et Sallustii Romanis et Ciceronis Mediolanensibus. Quodsi quis ea, quae ibi et aliis eiusdem libri locis monuit Niebuhrius, et quae de codd. palimpsestis tradidit Maius, adhibitis speciminibus aere expressis, consuluerit, quibus adiungi possunt, quae Massmannus congessit (libell. aurar. p. 37 sqq.), clarius loquentur, quae hic digessi exempla. Quae Niebuhrius monuit de litteris *H* et *F* facile commutandis probat iam subscriptio, nam in *Mp.* est ARCKADIO, in *Rom.* ARCHADIO. Ita compendia quoque scripturae in iis comparent, et orthographiae, qualis in cod. archetypo fuisse videtur, vestigia.

T — C. I, 87 ceves — teves *Rom.*
I, 114 meite — meice *Rom.*
I, 131 abaco — abbato *Rom.*
II, 50 deceptus — deteptus *Rom.*
III, 20 effluis — etfluis *Mp. Rom.* (nam *ecfluis* legebatur).
III, 39 iuvenci — iuventi *Rom.*
III, 57 callem — tollem *Rom.*
III, 68 metae — mecae *Rom.*
III, 93 loturo — locupo *Rom.*
III, 116 face — fate *Rom.*
IV, 138 detonsus — deconsus *Rom.*
V, 4 Parthi — Parchi *Rom.*
V, 13 stloppo — scloppo *Mp. Rom.*
V, 104 talo — callo *Mp.*
V, 131 scutica et — stutit et *Rom.*
V, 159 ac tamen — ectamen *Mp.* et tamen *Rom.*
V, 177 cicer — citer *Mp. Rom.*
V, 179 at cum — at tum *Mp. Rom.*
VI, 27 Bruttia — Brucia *Mp. Rom.*
VI, 66 Tadius — Cadius *Mp.*

T — E. V, 191 curto — cureo *Mp. Rom.*

E — C. I, 18 fractus — fraetus *Mp. Rom.*

T — R. V, 28 pura — puta *Mp. Rom.*
VI, 7 hibernat — hibetnat *Mp. Rom.*
VI, 59 ritu — tecum *Mp. Rom.*

T — I. I, 113 extra — exita *Rom.*
I, 127 Graiorum — Cratorum *Rom.*

I — E. I, 36 ille — illi *Rom.*
I, 84 tepidum — tipidum *Rom.*
V, 21 secreti — secrete *Mp.* secrete *Rom.*
V, 41 artificem — arteficem *Rom.*
VI, 41 haec — hic *Mp. Rom.*
VI, 62 ille — illi *Mp. Rom.*

I — L. VI, 6 lusisse — iussisse *Mp. Rom.*
VI, 50 connives — clues *Mp. Rom.*

L — B. I, 110 alba — abba *Rom.*

L — R. I, 31 saturi — satuli *Mp. Rom.*
I, 34 plorabile — prorabile *Rom.*
V, 135 lubrica — rubrica *Rom.*

R — S. II, 48 ferto — festo *Rom.*
III, 12. 14. queritur — querimus *Mp. Rom.*
III, 62 pes — *p Rom.*

R — S. III, 67 gignimur — gignimus *Mp. Rom.*
Huc referam II, 45 arcessis — accessis *Mp. Rom.*
V, 172 arcessat — accessor *Mp. Rom.*
S — T. I, 7 quaesiveris — quaesiverit *Mp.* (corr.) *Rom.*
I, 128 possis — possit *Rom.*
II, 41 poscis — poscit *Rom.*
II, 54 excutias — excutiat *Mp. Rom.*
II, 56 perducis — perducit *Rom.*
III, 93 rogavit — rogabis *Mp. Rom.*
III, 115 alges — alget *Mp. Rom.*
IV, 25 quaesieris — quaesierit *Mp. Rom.*
V, 70 prope te — prope se *Mp. Rom.*
S — P. III, 9 sulphureas — pulph. *Mp. Rom.*
S — I. I, 40 ait — ast *Rom.*
S — C. V, 26 his — hic *Mp.*
V, 146 transilias — tracilias *Mp. Rom.*
V, 148 sessilis — cessilis *Mp. Rom.*
C — G. V, 59 fregerit — fecerit *Mp. Rom.*
V, 59 fagi — faci *Mp. Rom.*
V, 191 licetur — ligetur *Mp. Rom.*
U — N. I, 88 moueat — moneat *Mp. Rom.*
VI, 29 Ionio — Ionio *Rom.*
VI, 73 uuluae — vulnae *Mp. Rom.*
VI, 80 inuentus — iuventus *Mp. Rom.*
U — A. IV, 41 vellant — vellunt *Mp. Rom.*
V, 115 politus — politas *Mp. Rom.*
A — TI. IV, adunca — tidunca *Rom.*
N — TI. II, 35 quatit — quant *Rom.*
U — L. VI, 47 locat — uocat *Mp. Rom.*
U — I. I, 5 praetulerint — praetulerunt *Mp. Rom.* corr.
III, 74 defensis — defensus *Rom.*
V, 31 succinctis — succinctus *Rom.*
V, 118 funem — finem *Mp. Rom.*
u
VI, 63 Bestius — Bestiis *Rom.*
I — A. II, 67 massae — missae *Rom.*
III, 37 moverit — moverat *Mp. Rom.*
III, 99 exhalante — exilante *Mp. Rom.*
IV, 26 desinis — desinas *Rom.*
IV, 34 tangat — tangit *Mp. Rom.*
V, 17 dicas — dicis *Mp. Rom.*
V, 93 erat — erit *Mp. Rom.*
V, 148 vapida laesum — vapidiles *Mp. Rom.*

A — E. I, 104 summa — summe *Mp. Rom.*
II, 11 crepet — crepat *Rom.*
II, 12 quem — quam *Rom.*
II, 45 da — de *Rom.*
IV, 26 oberret — oberrat *Mp.* errat *Rom.*
V, 9 coenanda (*cen.*) — cananda *Mp. Rom.*
V, 66 fiet — fiat *Mp. Rom.*
V, 159 ac tamen — ectamen *Mp.* et tamen *Rom.*
V, 175 quam — quem *Mp. Rom.*
VI, 49 egregie — egregia *Mp. Rom.*
VI, 69 coquatur — coquetur *Mp. Rom.*

E — U. I, 71 rus — res *Rom.*
II, 3 merum — murum *Rom.*
V, 121 ut — et *Mp. Rom.*

E — O. V, 115 nostrae — nostro *Mp. Rom.*
VI, 55 accedo — accede *Mp. Rom.*

O — A. I, 85 rasis — rosis *Rom.*
I, 118 callidus — collidus *Rom.*
III, 57 callem — collem *Mp.* tollem *Rom.*
III, 98 lavatur — lobatur *Rom.*
V, 150 sudare — sudore *Rom.*
V, 185 pericula — periculo *Mp. Rom.*
VI, 40 crasso — crassa *Mp. Rom.*
VI, 51 largior — largiar *Mp. Rom.*

P — T. VI, 74 popa — topa *Rom.*

P — B. IV, 43 subter — supter *Rom.*
V, 2 optare — obtare *Mp. Rom.*

P — R. III, 24 rure — rupe *Mp. Rom.*
IV, 93 loturo — locupo *Rom.*

D — T. I, 28 at — ad *Mp. Rom.*
II, 23 at — ad *Mp. Rom.*
III, 7 itane — idano *Rom.*
V, 163 abrodens — atrodens *Mp. Rom.* (nam videtur fuisse *adrodens.*)
VI, 16 ob id — obit *Mp. Rom.*

D — R. crudis — cruris *Rom.*

Horum exemplorum quaedam ad soni potius quam ad litterarum ductuum confusionem referenda sunt, quo haec certe pertinere videntur:

B — U. I, 99 bombis — bomuis *Rom.*
III, 62 vivis — bibis *Rom.*

B — U. III, 93 rogauit — rogabis *Mp. Rom.*
III, 98 lavatur — lobatur *Rom.*
V, 92 auias — reuello — abias — rebello *Mp. Rom.*
V, 97 uitiabit — uitiauit *Mp. Rom.*

S — X. I, 58 pinsit — pin. sit *Mp.* pincsit *Rom.*
III, 106 hesterni — externi *Mp. Rom.*
VI, 6 senes — senex *Mp. Rom.*

O — U. I, 23 perditus — perditus *Mp.* perditos *Rom.*
VI, 26 emole — emule *Mp. Rom.*

Accedunt litterarum transpositiones, e. g.

II, 34 expiat — expica *Rom.*
II, 42 pingues — pingens *Rom.*
III, 78 dicat — dicta *Rom.*
IV, 46 dicat — dicta *Mp. Rom.*

et errores in verbis et syllabis recte dispescendis, e. c.

I, 113 pinge duos angues — pinguedo sanguis *Rom.*
I, 114 meite discedo secuit Luc. — mei cedis sevit cedo Luc. *Rom.* (exemplum notabile ad formandam imaginem codicis archetypi).
V, 183 thynni tumet — thynnitū et *Rom.*
VI, 36 ceraso peccent — ceras apicent *Mp.* ceraso picent *Rom.*

Qui horum memor erit, etiam sequentes errores, qui partim monstra lectionum pepererunt, quomodo orti sint, intelliget:

III, 101 excutit — excidit *Mp. Rom.*
III, 33 discincti — districti *Mp. Rom.*
V, 102 peronatus — perocintus *Mp.* peroantus *Rom.*
V, 127 nugator — nuguteor *Mp.*
V, 127 seruitium — seruiuium *Mp. Rom.*
VI, 41 cinere — meride *Mp.*
VI, 68 impensius ungue — inperisius angue *Mp. Rom.*

E continua scriptura facile intelligitur, easdem litteras vel similes geminari, aut semel poni ubi bis ponenda erant:

I, 39 e tumulo — et tumulo *Rom.*
III, 48 iure etenim — iuret etenim *Rom.*
V, 47 aequali susp. — aequalis susp. *Mp.*
III, 16 at cur — a cur *Rom.*
IV, 33 at si — a si *Mp. Rom.*

Simili incuria eaedem vel similes syllabae prave repetuntur:

V, 64 Cleanthea — Cleteanthea *Mp.* Deteanthea *Rom.*
V, 71 vertentem — vertententem *Rom.*
V, 92 veteres av. — veteresse ab. *Mp. Rom.*

Deinde codex archetypus non omnia plene exscripta praebuit, sed quaedam notis indicavit, ut etiam in subscriptione videre licet. Inde quoque errores nati sunt. Ita lineola indicatur litteras *n m* esse supplendas, vel eandem litteram geminandam, quo factum, ut aut adderentur aut omitterentur eae litterae prave. V. haec exempla:

I, 101 lyncem — licet *Rom.*
I, 123 afflate — affiante *Mp. Rom.*
V, 61 relictam — relicta *Mp.*
V, 90 Masuri — Mansuri *Rom.*
V, 140 transilias — tracilias *Mp. Rom.*
I, 119 men — me *Rom.*
V, 15 teres — terens *Mp. Rom.*
V, 111 transcendere — transcedere *Mp. Rom.*
V, 168 censen — censem *Rom.*
VI, 11 pavone — pavonem *Rom.*
III, 80 figentes — fingentes *Rom.*
III, 8 nemon — nemo *Mp. Rom.*
I, 59 ritu — tecum *Mp. Rom.*
I, 22 tun — tunc *Rom.*
IV, 35 tu — tunc *Mp.*
V, 157 tu cum — tuum *Mp. Rom.*
III, 1 Nempe — Seppe *Rom.*
V, 178 possint — ponsint *Mp. Rom.*
VI, 36 peccent — picent *Mp. Rom.*
III, 48 ferret — feruet *Mp. Rom.*
I, 86 librat in — libratim *Rom.*
II, 13 expungam — expungas *Rom.* expugnas *Mp.*

Etiam *r* littera saepius errore simili vel omittitur vel additur:

II, 54 praetrepidum — praetepidum *Mp. Rom.*
V, 59 fregerit — fecerit *Mp. Rom.*
V, 141 vasta — vastra *Mp. Rom.*
V, 186 lusca — luscra *Mp. Rom.*
I, 54 lacernae — laconnae *Rom.*
III, 8 turgescit — tigescit *Mp. Rom.*
III, 24 paterno — patuno *Mp. Rom.*

Alii quoque errores ex eodem fonte derivandi esse videntur:

III, 23 es — est *Mp. Rom.*
IV, 13 es — est *Mp. Rom.*
IV, 46 potes — potest *Rom.*
IV, 51 es — e̅ *Mp.* est *Rom.*
VI, 61 es — est *Mp. Rom.*
VI, 64 deest — des *Mp. Rom.*
VI, 59 et — est *Mp.*
V, 67 diem — diest *Rom.*
V, 76 Dama est — Damasus *Mp. Rom.*
V, 172 ne — nec *Mp. Rom.*
VI, 76 ne — nec *Mp. Rom.*
V, 174 ne — nunc *Mp. Rom.*
V, 36 supposuisse — seposuisse *Mp. Rom.*
V, 108 notasti — notasse *Mp. Rom.*

Prae ceteris in terminationibus hoc usu venit (atque hac via alia quoque iam memorata explicari possunt):

I, 87 laudatur — laudatis *Mp. Rom.*
V, 11 raucus — rauca *Mp.*
V, 104 rebus — rebi *Rom.*
VI, 55 Manius — Manni *Mp. Rom.*
I, 99 torva — torvum *Rom.*
IV, 31 farrata — fariratum *Rom.*
IV, 48 summum — summo *Mp.*
IV, 84 nihilum — nihilo *Rom.*
I, 121 auriculas — auricula *Rom.*
V, 5 carminis — carminur *Rom.*
IV, 29 veterem — veteris *Mp. Rom.*
VI, 74 venter — vent' *Mp.* ventur *Rom.*
III, 100 triental — trientem *Mp. Rom.*

Et praecipue in pronomine relativo tales errores animadvertere licet:

I, 14 quod pulm. — quo pulm. *Mp. Rom.*
I, 24 quo did. — quod did. *Mp.* qū *Rom.*
II, 21 quo tu — quod tu *Mp. Rom.*
III, 60 quod dir. — quo dir. *Mp. Rom.*
I, 50 quid non — qui non *Mp.*
II, 2 qui tibi — quid tibi *Rom.*
V, 145 quam — quod *Mp. Rom.*
V, 106 ne qua — neq; *Rom.*
III, 13 quod — sed *Mp. Rom.*

Denique de omissionibus videndum est, quae frequentes in utroque cod. inveniuntur. Praeterquam quod III, 75 integrum omittit *Mp.*, in marg. habet *Rom.*, qui etiam V, 18 in marg. adscriptum habet, singulae voces ac syllabae haud raro omittuntur. Hoc primum ita fit, ut semel positum sit, quod bis scribendum fuit:

I, 87 bellum hoc! hoc bellum — bellum hoc bellum *Mp. Rom.*
I, 111 euge omnes omnes bene — euge omnes bene *Mp. Rom.*
II, 19 hunc cuinam? cuinam vis — hunc cuinam vis *Mp. Rom.*
II, 29 mercede deorum — mercedeorum *Rom.*

aut ubi similes litterae repetendae erant:

I, 47 enim mihi corn. — enim corn. *Mp. Rom.*
II, 9 lingua immurmur. — lingua murm. *Rom.*
II, 36 Licini — Lini *Mp. Rom.*
V, 167 dis depellent. — dis pell. *Mp. Rom.*
VI, 74 omento popa — omentopa *Mp. Rom.*

Interdum causa omissionis fuisse videtur, quod voces non plene exscriptae fuerunt:

II, 18 estne ut — est ut *Mp. Rom.*
III, 100 inter vina — in terra *Mp. Rom.*
IV, 39 palaestritae — palestri *Mp. Rom.*
V, 70 quamvis — qua *Mp. Rom.*

est ubi elisio eam procreavit:

I, 131 secto in pulv. — secto pulv. *Rom.*
III, 71 quantum elarg. — quantum larg. *Mp. Rom.*
V, 33 sparsisse ocul. — sparsis ocul. *Rom.*
VI, 43 o bone num — o bonum *Mp.* o benum *Rom.*
VI, 57 quaere ex — quae ex *Mp. Rom.*
VI, 66 dicta repone — dicta pone *Mp. Rom.*
prol. 4 Heliconiadasque pall. — Heliconiadas pall. *Mp. Rom.*
I, 15 pexusque tog. — pixus toga *Rom.*
II, 6 murmurque hum. — murmur hum. *Rom.*
II, 58 sitque illis — sit illis *Mp. Rom.*
VI, 47 ingentesque locat — ingentes locat *Rom.*

Quibusdam locis ea omissa sunt, quae integro sensu, quamquam non integro versu, abesse poterant:

I, 105 labris et in udo — labris in udo *Rom.*
II, 40 Iuppiter haec illi — Iuppiter illi *Mp. Rom.*
III, 94 bone tu palles — bone palles *Mp. Rom.*

IV, 26 milvus oberrat — milvus errat *Rom.*
V, 97 facere id quod — facere quod *Mp. Rom.*

aliis nihil restat, nisi ut sumamus, in codice archetypo ea vv. non potuisse legi, vel negligentissime versatum esse librarium:

II, 63 dis ex hac — dis hac *Mp. Rom.*
II, 73 possit magni Messalae — possit Messalae *Mp.* possit magna Messala *Rom.*
V, 7 nebulas Helicone legunto — nebulas legunto *Mp.*
V, 150 nutrieras pergant — pergant *Mp. Rom.* om. *nutrierant*, quod in *Rom.* adscr. a 2 man.
VI, 2 pectine chordae — pectine *Mp. Rom.* om. *chordae*, quod in *Mp.* adscr. a 2 man.
VI, 34 quod rem curt. — quod curt. *Mp. Rom.*
VI, 58 dicam tamen adde — dicam adde *Mp. Rom.*

Haec composui, putida ut aliis fortasse videbitur cura [1], ut inde qualis fuerit codicis archetypi ratio cognosci queat. Nam cum vitiorum in nostris codd. obviorum larga copia iam ordine disposita sit, apparebit primum, quod supra posui, codd. *Mp.* et *Rom.* ex eodem fonte manasse, et *Mp.* paulo quidem altero emendatius scriptum esse, nec alterum ex altero descriptum videri, tum codicem illum maximam partem verba Persii ita exhibuisse, ut per ceteros codices nobis servata sunt. Id enim praecipue assequi volui, ne quis vitia codd. *Mp. Rom.* singulare quid portendere putet.

Restant autem lectiones quaedam, quae cum hoc modo explicari nequeant, accuratius inspiciendae sunt, et videndum, an ex interpolatione ortae sint. Nam id semper quaerendum est, qui codicem emendavit, utrum diligenter ad fidem boni exempli correxerit, an proprio ingenio confisus

1 Conferri possunt, quae simili studio congessit Kritzius, prolegg. ad Vellei. Pat. c. III p. CXXVI sqq., ubi similes librariorum errores invenies. Verum quod hic ceterorum codd. ope facile demonstrari potuit, id in Velleio coniectura assequendum erat. Ceterum non nego, variarum lectionum originem partem aliter explicari, et de quarundam veritate disputari posse, verum ad summam rei, de qua hic agitur, hoc nihil facit.

mutarit, quae minus recte posita visa sint, et sic auctorem interpolatione corruperit. Qualis suspicio in Fl. Iulio eo facilior est, cum sine antigrapho se tentasse ait Persium emendare. Quare de iis locis videndum est, qui talem suspicionem alere videantur.

Eo igitur pertinet, quod prol. 3 post *memini* addit *me*, et v. 5 pro inusitato *lambunt* ponitur, quod interpretatio eius v. est, *ambiunt*. Sat. I, 31 vv. *quid dia poemata narrent* ita reficta sunt: *quis dia poemata narret*, quod factum videtur ob sequentem recitatoris descriptionem. I, 44 pro *quem ex adverso dicere feci* legunt *ex adv. dic. fas est*, quod facilius explicatu videbatur; eademque de causa I, 59 exhibent *imitata est* pro genuino *imitari*, quod repositum est ab eo, qui loci structuram non cepit. Usitatius verbum *praegrandis* substitutum est rariori *vegrandis* I, 97. Certo consilio mutatum videri potest, quod II, 13 pro *expungam Rom. expungas, Mp. expugnas* habet, ut ad deum referatur, qui ab avaro invocatur, et sequenti vs. pro dubiae explicationis verbo *ducitur* exhibent *conditur*. Quod legitur III, 29 *censoremque* potuit id ob insolentem repetitionem reponi pro *censoremve*, quamquam facili errore quoque procreari potuit. At eiusdem satirae v. 46 *et insano* lectio codd. *Mp. Rom.* orta est ex interpolatione, de qua v. ann. cr. Sat. IV, 34 *frigas*, quod est in *Mp. Rom.*, quamquam, ut exempla supra allata monstrant, et describentium errore facile poni potuit pro *figas*, est tamen fortasse ab eo correctum, qui dictionem *cutem in solo figere* non intellexit; idemque dicendum de vs. 35, ubi lectio codd. *Mp. Rom. hi mores*, cum a librariis prono errore pro *in mores* scripta esse possit, potuit tamen ab eo quoque consulto reponi, qui structuram *despuere in mores* ut audaciorem corrigere voluit. Interpolandi ratio patet in eiusdem satirae v. 51 in vv. *Respue quod non es*, ubi cum vulgari errore pro *es* scriptum fuerit *est*, mutatum est etiam v. *respue* in *respuat*, coniungen-

dum ut videtur cum v. *cerdo*. Vs. 52 autem voc. *ut*, quae explicandi gratia initio adscripta esse videtur, in verba scriptoris inculcata est. Quod V, 64 *Mp. Rom.* habent *puerique senesque* pro *iuvenesque senesque* id memoriae vel calami lapsus esse videtur; at vs. 78 *momento temporis* pro *m. turbinis* eius potius esse videtur, qui faciliorem lectionem difficiliori substituit. De vv. 123. 134 dictum est in annot. crit. Cur VI, 23 *scombros* scriptum sit pro *rhombos*, utrum consilio an calami errore, difficile dictu est, idemque fere valet de lectione *victis* pro *captis* (v. 46), quod Prisciani auctoritate munitur.

Quodsi haec attentius nullaque opinione occupati consideramus, putabimus, ut puto, Iulium Flavium exemplum suum non certo consilio interpolasse, sed pro virili correxisse. Qua in re si quando erravit, praesertim cum exemplo usus esse videatur a vitiis non immuni, longe id tamen remotum est ab eius audacia, qui scriptoris verba aut corrupta aut sibi non intellecta refingit ad ipsius captum. A qua culpa liberandus est. Nam praeterquam quod non omnes hae lectiones ad eum tanquam auctorem certo referuntur, sed librariorum negligentiae fortasse nonnullae debentur, exiguus etiam earum numerus est, et ipsae lectiones ita comparatae sunt, ut non tam certum quoddam interpolandi consilium demonstrent, quam errores, quales ab omnibus fere librariis commissos videmus, qui partim notiora reponebant pro insolentioribus, partim oscitantia quadam verba scriptoris immutabant. Ita eosdem fere errores e diversis codd. notatos reperies, qui cum hisce nullo modo coniuncti sunt. Ipsa autem Persii obscuritas et insolentissimum genus dicendi interpolandi consilium removere debebat, et inde potissimum factum censeo, quod eius satirae, quae tanto studio legebantur et describebantur, tamen incorruptae ad nos pervenerunt. Quamquam enim variarum et mendosarum lectionum larga copia prostat, earum tamen pleraeque sunt, quales per librariorum imperitiam et socor-

diam oriri solent, paucae, quae nasutum correctorem prodant; nulla causa est, de interpolatione cogitandi, neque ullus locus, qui non e codd. restitui queat [1]. Hoc quod paucis scriptoribus contigit, Persio ob ipsam eius obscuritatem contigisse puto.

Quodsi quaeritur, is codex, ex quo descripti sunt *Mp.* et *Rom.*, qui exemplum a Fl. Iulio correctum si non integrum at emendatius et purius expressit, num forte ceterorum Persii codd. fons et origo habendus sit, iure hoc negabimus. Nam iis locis, ubi eum corruptas lectiones habuisse apparet, in aliis codd. vera et genuina lectio servata est, hi igitur ex alio fonte derivandi sunt. Verum nullum omnino cod. inveni, qui praeter *Mp.* et *Rom.* ad idem archetypon referri possit; quamquam enim lectionum et bonarum et corruptarum, quas in hisce invenimus, plerasque etiam in aliis codd. reperimus, ita tamen mixtae sunt aliis lectionibus, quae ex hisce codd. duci non potuerunt, ut de communi origine non possit cogitari. Omnino Persii codd. ea ratio est, ut diversa genera et familiae, quo singuli codd. referantur, non possint constitui. Illud quidem per se quisque intelligit, diversos esse codd. aetate, et, quae hic cum aetate fere coniuncta est, auctoritate, alios aliis propius accedere bonitate, verum cum nullus codex tam integer sit, ut eo tamquam fundamento recensionis utaris, tum ne hoc quidem observare licet, certis locis quosdam codd. in genuinis aut corruptis lectionibus conspirare. Idem codex enim modo bonas modo pravas lectiones praebet, et ita quidem, ut diversis locis diversi

1 Uno loco IV, 48 e coni. *amorum* dedi pro codd. lectione *amarum*. Nollem factum; quamquam enim persuasum mihi est, a VV. DD. v. *amarum* perverse explicari, necdum aliam interpretationem inveni, praestat tamen intactum relinquere, cum in Persiano sermone inveniantur tam multa duriuscule dicta, et quorum certam explicationem vix nobis dare liceat. Ceterum non tacebo coniecturam, quam amice mecum communicavit Paldamus: *in penem quicquid tibi venerit acrem*, quicum comparavit Horatianum (sat. II, 7, 47 sq.): *Acris ubi me Natura intendit*, cett.

codices verum tueantur [1]. Omnibus tamen locis vera lectio ex compluribus melioris notae et non contemnendae antiquitatis codd. firmari potest. Firmatur hac quoque re, quod modo monui, Persii verba non interpolata ad nos pervenisse, sed iis tantum mendis inquinata, quae per longam saeculorum seriem librariorum negligentia et intemperantia procreavit, et a quibus nullus omnino codex liber est. Non potuerunt igitur quidam codices eligi, ad quorum normam verba scriptoris constituerentur, sed omnes semper respiciendi erant. Si dico omnes, non intelligo recentissimos quosque codd., quorum magnam, et ut verum fatear, nimiam copiam adhibui, sed eos qui aetate et fide commendantur. Ut tamen illorum quoque tot varias lectiones ad crisin paene inutiles afferrem, has habui caussas partim e re natas, partim ex meis rationibus ductas. Primum igitur non parcendum chartae statui, ut plene ab omnibus intelligi queat, quatenus talium codd. usus pateat, verendum enim erat, ne, si hic illic tantum memorabilem aliquam lectionem ex iis attulissem, alia in iis latere quis putaret, iniuria a me neglecta; nunc cum semel ingrato omnia digerendi et edendi officio functus sim, qui post me veniet securo abiiciet inutilia. Tum nec prorsus inutilem talem farraginem iis putavi, qui codd. ipsos non possunt versare, et in parvi ambitus scriptore haud contemnendam quasi quadam tabula propositam imaginem fatorum, quae per librarios passus sit scriptor, quare operam dedi, ut quantum fieri posset, ex ordine vv. ll. origo et progressus corruptionis perspiceretur. Denique mea causa hoc feci, quia, cum primum hoc opus criticum cum VV. DD. communicem, non ulla mea esse potest auctoritas, ut, si quid omiserim, id recte et iure factum esse habeatur, quare prae ceteris id propositum habui, ut quam diligentissime et accuratissime omnia proferrem, ut inde iudicari posset,

1 Cf. e. g. ann. cr. I, 59. 74. II, 14. III, 2. 9. 12. 14. 46. 89. V, 15. 25. 73. 118. 134. 150. 172 sqq. VI, 23. 51. 77.

num recte et cum iudicio egissem, et ubicunque peccassem, res in integrum restitui posset.

Codicum ratio, de qua modo exposui, molestias facit critico, quae cum in gravioribus, ubi omnia consideranda et ponderanda sunt, ut quid rectum sit inveniatur et firmetur, minus sentiantur, maxime in minoris momenti rebus usu veniunt, in quibus in utramque plerumque partem multa disputari possunt, nisi a codd. auctoritate ultimam rationem petere licet. Atque hic doleo, quod nunc demum cod. *Rom.* lectiones mihi innotuerunt. Nam cum cod. *Mp.* solas vv. ll. enotatas haberem, non potui mihi inde codicis, unde ductus erat, accuratam imaginem repraesentare, et in hac errorum copia dubius haesi, quid ad archetypum, quid ad describentis culpam referendum esset. De hac autem re iam certius potest iudicari, nec ullum dubium esse, quin codicis, ex quo descripti sunt, lectiones, quatenus per horum vitia cognosci et restitui possunt, maximae auctoritatis sint. Nam is, in quantum redintegrari a nobis potest, omnium est antiquissimus. Cum vero de eius corruptelis tantum adhuc sermo fuisset, hic sufficiat, pauca exempla afferre, ubi genuinam lectionem, in plerisque codd. magis minusve obscuratam, auctoritate sua firmavit. Prol. v. 14 *nectar* recte exhibet pro eo, quod plerosque codd. invasit *melos*, V, 25 cum paucis *tectoria*, et VI, 6 *egregius* habet, quae lectiones dubiae fere auctoritatis visae sunt, ut multos locos nunc taceam, quibus cum aliis codd. optimam lectionem servat [1]. In recensendis igitur poetae verbis huius cod. et si qui ad eum accedunt summa auctoritas esse videtur, eamque secutus nunc quaedam aliter constituerem. Ita I, 57 recipiendum est *protenso* e cod. *Mp. Rom.*, quod suadet non Hieronymus solum, sed et Priscianus, quamquam hic *protento* habet. *Protensus* an usitatum sit, nescio, *tensus* certe est. I, 111 praeferrem nunc *omnes omnes* loco *omnes etenim*. Dubius autem sum,

1 Cf. I, 24. 60. 74. III, 9. IV, 9. V, 73. 77. 105. 118. 124. cett.

num III, 12. 14 *querimur* restituendum sit, et V, 172. 174 *nec nunc*, quo ducunt etiam *Mp. Rom.*, sicut nunc magis eo inclino, ut V, 84 *ut libuit* legam.

Vat. Secundo loco commemorandum est codicis palimpsesti *Vaticani* fragmentum (*Vat.*). In celeberrimo illo codice rescripto olim Bobiensi, in quo ante saec. X concilium primum Chalcedoniense scriptum est, cuius pars altera in bibliotheca Ambrosiana, altera in Vaticana servatur, et e quo tot praeclaras scriptorum antiquorum reliquias A. Maius in lucem protraxit [1], in eo igitur unum quoque Persii folium inventum est, cuius varias lectiones edidit Maius (Class. auctt. e codd. Vatt. t. III p. XVIII sqq.), apographum diligenter factum promisit Hauthalius (cf. p. 363. 455 sq.). Leguntur in hoc folio sat. I, v. 57—103, neque tamen in tam antiquo codice incorrupti. Scribendi ratio eadem fere, quae in *Mp. Rom.*, *adferre* v. 69, *umero* v. 90, *etfundat* (ecf.) v. 65, *patris* v. 79 et *corbis* quoque v. 71. Etiam vitiorum quaedam ad corruptionis genus accedunt, quod in *Mp. Rom.* observatum est, ut *cruris* pro *crudis* v. 92, *potuisse* pro *posuisse* v. 86, *exitet* pro *exstet* v. 57, *graeci* pro *graece* v. 70, *tenens* pro *terens* v. 73, *laudatus* pro *laudatur* v. 87, *venulla* pro *vena ulla* v. 103, unde ea confirmantur, quae ibi de scriptura codicis archetypi monita sunt. Non tamen ex eodem cod. ductum esse Vaticanum vel in tam exiguo spatio certo diiudicari potest, vetat enim lectio *imitari mobilis* v. 59, quam servavit *Vat.*, cum *Mp. Rom.* habeant *imitata est*. Etiam v. 74 *Vat.* habet quidem *dictatorem*, sed pro *cum* legit *quem*.

Praeter hos maxime memorabiles, codicum quos adhibui, hic recensus est.

A. Cod. ms. bibliothecae acad. *Argentoratensis* C. II, 4. (*A.*), chartaceus, accurate scriptus, pictis initialibus.

1 Cf. Mai. praef. ad Front. p. VIIII ed. Rom. ad Cic. schol. Bob. p. 219 sq. ed. Or.

Continet Iuvenalem et Persium; in huius fine scriptum est: *Explicit ignotus per totum Persius orbem. Deo gratias* 1476. 9 *Februarii.* Contuli a. 1837 [1].

Codices bibliothecae Bernensis.

Cod. n. 257, olim Bongarsii (*B* 1.), membranaceus, saec. X. Egregie scriptus est, perpaucis scripturae compendiis, ut q. — *que*, $\overline{nra}$ — *nostra*, $\bar{a}$ — *am*, sim. Deest huic codici folium quartum, in quo scripti erant I, 96 — II, 48. Usus eo est iam Casaubonus, qui perantiquas clarissimi viri Iacobi Bongarsi membranas vocat (ad prol. 5 al.), et magni aestimat; etiam mihi summae auctoritatis fuit. Habet in primis tribus foliis scholia marginalia, quae cum Cornuti maximam partem consentiunt, nec quidquam novi afferunt, praeterea breves glossas interlineares et ipsas vulgaris doctrinae [2] a manu secunda additas, quae tamen saec. XI iunior esse non videtur, ideo commemorandae, quod in iis haud paucae vv. ll. servatae sunt. Harum haec exempla sunto: *B* 1.

prol. 3 *prodirem*, vel *prodierim*.
prol. 5 *relinquo, remitto, concedo*.
prol. 9 *conari*, vel *blandiri*.
prol. 13 *melos, dulcedinem musicam*, vel *nectar, dulcedinem*.
IV, 37 *tunc*, vel *tu*.
V, 26 *hic*, vel *his*.
V, 57 *hic*, vel *hi; indulget*, vel *gent*.
V, 58 *putris*, vel *putrit, fit enervis*.
V, 59 *fregerit*, vel *fecerit*.
V, 78 *temporis*, vel *turbinis*.
V, 84 *sim*, vel *sum*.
V, 139 *contemptus*, vel *contentus*.
V, 141 *ad navem*, vel *ad naves*.
V, 163 *arrodens*, aliter *abrodens*.

1 Ego codd. cum textu Casauboni contuli, ubi nihil de editione monitum est.

2 Exemplum hoc habe, ubi novi quid affert. VI, 28. *Bruttia saxa, in quibus Brutus superatus est.*

V, 172 *cum arcessat*, vel *cum accersor* i. *vocor*.
V, 173 *ne tunc*, vel *nc nc*.
V, 188 *gustaveris*, vel *gestaveris*.
VI, 8 *recepit*, vel *receptat*.
VI, 46 *captis*, al. *victis*.
VI, 65 *quid idem*, al. *quicquid id est*.

Apertum est, eum qui glossas addidit, ad manum habuisse alium codicem, ex quo glossas excerpsisse videtur, in quo si diversam lectionem deprehendit, cum glossis hanc quoque annotavit, et non solum apertis quibusdam erroribus genuinam lectionem apposuit, sed alias quoque memorabiles lectiones affert. Hae glossae autem, ut in omnibus fere scriptoribus, ita in Persio quoque, corrumpendi poetae occasionem dederunt. Nam cum unicuique fere verbo explicationis gratia aliud magis notum et vulgare superponeretur, vel adderetur verbum, quod sensum magis perspicuum faceret, haud raro factum est, ut hae glossae tanquam variae lectiones in textum reciperentur et genuina verba expellerent. Quod si factum est, duo accedere solent etiam peiora. Saepe enim, cum recepta glossa versus turbatus esset, longius progrediebatur corruptela et alia quoque immutabantur, ut versus recte procederet, quo emendandi ratio occulta vitii origine incerta et obscura reddatur necesse est. Tum alterum illud haud raro usu venit, ut depravata tantum lectio in codd. servaretur, genuina prorsus evanesceret. Utrumque de Persii codd. non valet, nam nec maior eum interpolatio invasit, et praeter corruptam etiam vera lectio ubique a codd. servata est; quamquam enim quibusdam locis genuina lectio codd. auctoritate vix satis munita videbatur, id aliter se habere nunc docebit ann. crit. Magnam autem partem variarum lectionum, quae in codd. Persii apparent, hinc ortam esse, partim iam exempla allata docent (prol. 5. 13. V, 78. VI, 46), partim alii loci, e. g.

I, 61 fas est — ius est.
I, 100 raptum — sectum.

II, 14 ducitur — conditur.
II, 42 grandes — pingues.
II, 69 sancto — sacro — templo.
III, 2 extendit — ostendit.
III, 9 dicas — credas.
III, 16 columbo — palumbo.
III, 46 non sano — insano.
III, 89 exsuperat — exuberat.
III, 100 triental — trientem.
IV, 29 veterem — veteris.
IV, 52 noris — ut noris.
V, 58 putris — putris est — putrit — putret.
V, 64 iuvenesque senesque — puerique sen.
V, 73 hac ut quisque — hac qua quisq. *cett.*
V, 118 relego — repeto.
V, 124 sentis — sumis.
VI, 9 cognoscite — cognoscere.
VI, 24 turdarum — turdorum.

Plerisque horum locorum origo vv. ll. vel inde cognosci potest, quod in quibusdam codd. altera alteri superscripta est. Antiquissimae autem hae glossae sunt, nam non modo Hauthalii cod. *Oxoniensis* saec. IX, e quo plerosque codd. ductos putat (p. 423) tales iam monstrat (IV, 37 p. 324. V, 58), sed in *Mp. Rom.* quoque lectiones comparent, quae aperte e glossa ortae sunt. Hic autem maxime appareret, quod de codd. indole supra monui, nam nullus est, qui ab hac labe immunis evaserit, et alii omnes aliis locis corruptas lectiones praebent, ita ut diversis locis antiqui et boni libri cum recentissimis et pessimis consentiant, et certi codd., quos sequaris, eligi nequeant. Ita unoquoque loco iudicio et rationibus decernendum est, quid a poeta profectum sit, quid e glossa natum, qua in re fieri nequit, quin singulis fere locis diversas sententias sequantur VV. DD., nec raro dubius sis, quid verum habeas. — Ad cod. B1 ut revertar, addo eum interdum antiquioris orthographiae vestigia servasse, e. g. I, 20. *ingentis*. VI, 34 *negleget*, al. Bis habet versus duos notis quibusdam distinctos, hoc modo, V, 60 sq.:

Tunc crassos transisse dies lucemq. palustrem

Et sibi iam.^{mi} seri uitam ingemuere relictam

et V, 138 sq.:

Uaro regustatum digito terebrare salinum

Contẽptus pages. si uiuere cum ioue tendis.

Similes quamquam non prorsus easdem notas in cod. Bernensi Virgilii reperit C. G. Müllerus (v. Anall. Bern. III tab. VI, spec. VI, c. p. 10), et musicas esse declaravit, similes et ipsum in multis bibliothecae Sangall. et Einsiedl. libris ecclesiasticis vidisse, et apud F. Wolfium (Ueber die Lais, Sequenzen und Leiche. Heid. 1841. tab. I. II) conspici. Denique non praetereundum, inter glossas huic cod. adscriptas quasdam Teutonicas legi, quas suo loco in ann. ad schol. exhibui, recensum autem in ind. scholl. dedi.

B 2 Cod. n. 542 (*B* 2.), membranaceus, saec. X forma octava scriptus. Ab initio mutilus est, et incipit II, 46. Collatum habui hunc codicem tantum usque ad sat. V, si quando eius lectiones per sat. V et VI afferuntur, factum id est Hauthalio auctore, qui eum subinde memorat.

B 3 Cod. n. 327 (*B* 3.), chartaceus, non, ut Sinnerus ait, membranaceus, saec. XI. Inter paucos hic est, qui post IV, 13 versum in scholiis laudatum in textum receperunt.

B 4 Cod. n. 648 (*B* 4), membranaceus, forma quadrata, cum scholiis marginalibus saec. XIII scriptus. Etiam hic usque ad sat. V tantum collatus est.

B 5 Cod. n. 398 (*B* 5), membranaceus, forma quadrata paullo minore, saec. X scriptus, olim F. Danielis, Aurel., qui nomen suum in fine adscripsit. Servat antiquae orthographiae vestigia, semper *set*, *haut* scribens, *efundat* (I, 65), *aflate* (I, 123), *detunsa* (III, 54). Hic cod. persaepe interpolatas lectiones exhibet, quibusdam locis solus, e. g. I, 108 *cave* pro *vide;* VI, 5 *modos* pro *iocos;* VI, 21

irrigans pro *irrorans*. Maioris interpolationis tentamen est II, 3 sq., ubi legit: *Funde merum genio, si tu prece poscis amici, Quae non seductis nequeas committere divis*, ita ut emendationem perficere non potuerit. Praeterea multas lectiones habet mire corruptas, monstris interdum similes (e. g. III, 58. 115. V, 54. 99. 184), ut appareat, descriptum esse cod. ex antiquiore difficili lectu, a librario negligenti aeque atque imperito. Ne sic quidem prorsus negligendus est.

Horum codd. Bernensium collationem ad editionem Weberi (Lips. 1826) sibi factam liberalissime mihi donavit Bernae versanti C. G. Müllerus.

Codices bibliothecae Berolinensis.

Cod. n. 39 (*Br.* 1), chartaceus, forma maxima foliis 13 scriptus, saec. XV, cum scholiis. Contuli a. 1834. *Br.* 1

Cod. n. 38 (*Br.* 2), chartaceus, forma maxima, pessime scriptus. Desinit in sat. V, 153. Adscripta habet scholia. Contuli a. 1835. *Br.* 2

Cod. n. 2 (*Br.* 3), membranaceus, forma quadrata, saec. XII vel XIII, praeter alia habet Persii satiras nitide scriptas, paucis iisque usitatis compendiis. Quod ad orthographiam attinet, semper scriptum est *e* pro *oe*, *ae*, *mi* pro *mihi*, *nichil* pro *nihil*. Aspirationem nunc omittit prave (*uccine*, *umor* cett.), nunc ponit (*horca*, *horestes* cett.); scribit *temptas*, *sompnus* sim., *recussas*, *millessime* sim. Glossae a diversis manibus adiectae sunt in margine atque inter lineas. *Br.* 3

Cod. n. 9 (*Br.* 4), chartaceus, forma quadrata, saec. XVI, negligentissime scriptus. Desinit in sat. VI, 20. *Br.* 4

Cod. n. 49 (*Br.* 5), chartaceus, forma maxima, eiusdem temporis, sed accuratius scriptus. *Br.* 5

Cod. n. 90 (*Br.* 6), chartaceus, forma maxima. In fine legitur: *Finit Persius exaratus ab Ambrosio Massin in Sorline oppido anno Dm* 1512. Diligenter scriptus est. *Br.* 6

Hos codd. accuratissime cum ed. Tauchnitziana contulit, et vv. ll. liberalissime mecum communicavit a. 1837 Fr. Breierus.

Bs. 1 Cod. bibliothecae universitatis *Basileensis*, sign. F III 22, (*Bs.* 1) membranaceus forma maiore, saec. XIV ut Rothio, XIII ut Orellio, XII ut Gerlachio videtur, scriptus Iuvenalem et Persium continet. Glossas habet nullius pretii. Vv. ll. eius habet etiam Orellius in Eclogis poett. latt. ed. sec.

Bs. 2 Cod. eiusdem bibliothecae, sign. F III 6 (*Bs.* 2), forma magna, chartaceus, saec. XV scriptus, continet Horatii, Iuvenalis et Persii satiras, huius tamen sexta deest. Adscriptae sunt glossae, in his Teutonicae. Huius quoque vv. ll. habet Orellius.

Utrumque codicem in usum meum contulit C. L. Roth cum editione Bipontina.

C. Cod. olim Fr. Creuzeri, qui eius mentionem fecit in censura quadam (Wien. Jahrbb. LXIX p. 100 sqq.), nunc in bibliotheca *Heidelbergensi* asservatus (*C.*), chartaceus, saec. XV, male scriptus. Collationem ad Passovii editionem a se factam mecum communicavit Schoenemannus.

D. Cod. bibliothecae *Dresdensis*, sign. D 155 (*D.*), membranaceus, nitide scriptus pictis initialibus, continet foll. 88 Iuvenalem et Persium, in cuius fine legitur vita, a me p. 240 edita. Extremo codice leguntur haec: *Explicit liber Persii satiri. Scriptus per me Gherardum, Ioannis del Ciriagio civem et notarium Florentinum de anno Domini MCCCCLII de mense Augusti.* Contuli a. 1834. Adhibuerat iam Passovius (cf. p. 155), et notavit, Cortium margini editionis Schrevelianae, quae in biblioth. Vimariensi servatur, eiusdem codicis, quem *Chemnicensem* vocat, vv. ll. adscripsisse. Eas edidit E. G. Weberus in editione sua (Lips. 1824).

E. Cod. bibliothecae monasterii *Einsiedlensis*, n. 328

(*E.*), forma quadrata, chartaceus, saec. XV. Contulit Orellius l. l. Est in eadem bibliotheca fragmentum parvulum codicis Persii saec. X, quod egregiam scripturam monstrat, qua codd. Sangallenses et Einsiedlenses, sibi simillimi, exarari solebant; cf. specimina ab Orellio edita in ind. lectt. Turic. 1835—36, ubi ei, quod t. II, 9 exhibitum est, maxime convenit huius fragmenti scriptura. Continet sat. V, v. 104—139, verum inde, cum a. 1838 conferrem, non eas lectionis erui, ut de pretio statui possit, quod integro codici tribuendum sit. Prudentissimo vero consilio vir doctissimus et humanissimus, qui bibliothecae ei praeest, P. Gallus Morel, diligentissime collegit quicquid antiquorum codd. superest, etiam lacera fragmina librorum involucris detrahens, ut serventur certe divitiarum deperditarum reliquiae. Ita praeter Persii fragmentum, Horatii quoque et Virgilii, Curtii et Terentii, atque huius quidem ni fallor circa L folia servavit.

Cod. bibliothecae universitatis *Erlangensis* (*Erl.*), *Erl.*
chartaceus, forma maxima, recentissimus, continet *Gamfredum*, *Persium*, *Ovidium*, *Virgilium*, *Terentium in excerptis*, *Ciceronem ad Herennium*. Desinit in sat. V, vs. 118. Cum editione Weberi Lips. conferendum mihi curavit Hartungii humanitas. Alius codex eiusdem bibliothecae est n. 255, membranaceus, forma quadrata, qui commentarium continet, quod supra p. CLXI monere oblitus sum.

Cod. bibliothecae *Laurentianae*, plut. LXVIII, 24, *F* 1.
cf. Bandini, cat. Bibl. Laur. Latt. II p. 850 (*F* 1.). Est membranaceus, forma minore saec. XI scriptus, continet *Aratoris* carmen, *Aviani* fabulas, librum *Homeri*, *Persium* cum glossis, *Bedam* de metris. Contuli a. 1839.

Cod. eiusdem bibliothecae, plut. XXXVII, 20, cf. *F* 2.
Bandini l. l. II p. 256 (*F* 2.), membranaceus, forma quadrata, saec. XIII, continet Persium cum glossis et prolixo commentario. Contuli a. 1839.

Cod. bibliothecae *Gothanae* n. 52, cf. Iacobsi et *G.*

Ukerti Beitr. z. ält. Litt. p. 254 n. 100 (*G.*). In membranis formae quadratae saec. XIV nitide scriptus est; altera manus vitia correxit et varias quasdam lectiones adscripsit. Contulerat Passovius (p. 155) cum editione Casauboni, unde descripsi concedente W. A. Passovio filio, a. 1835.

H. Cod. bibliothecae publicae *Hamburgensis*, n. IV B, 198 (*H.*), membranaceus, forma minore, saec. XII vel XIII nitide scriptus, pictis auro minioque initialibus. Contuli a. 1835. Alter eiusdem bibliothecae codex chartaceus, forma maxima, saec. XIV scriptus est. Eius vv. ll. edidit Runkelius in Seebodii N. Arch. a. 1829 n. 10, et ego habui descriptas ab Islero. Verum nescio quo errore putavi hunc eundem esse cum eo, quem ipse contuleram, itaque neglexi. Sed non est, quod de ea re magnopere doleam.

L. Cod. bibliothecae monasterii St. Michaelis *Lunaeburgensis* (*L.*), de quo v. A. Martini, Beitr. z. Kenntn. d. Biblioth. des Klosters St. Michaelis in Lüneburg. 1827. Membranaceus est, nitide scriptus, et praeter Persium etiam Iuvenalem continet. Varias lectiones proposuit I. F. Wagnerus, in versione Persii (Lüneb. 1811) p. 96 sqq.

Codices bibliothecae Monacensis.

Cod. membranaceus sign. $\frac{\text{Kr}}{89}$ a., forma minore, saec. XII, bis continet Persii satiras descriptas. Alter cod.

M 1. (*M* 1.) foliis 11 Persium continet nitide scriptum cum glos-

M 2. sis, alter et ipse nitidissime scriptus (*M* 2.) foliis 12 Persii satiras cum scholiis habet.

M 3. Cod. membranaceus n. 83 (*M* 3.), forma minore oblonga, saec. XII, foliis 9 scriptum Persium habet, sequuntur foll. 9 scholia ab eadem manu scripta.

M 4. Cod. membran. n. 330, forma quadrata maiore, saec. XI habet foll. 58 *Avitum*. Folio 58 verso scriptus est Persii prologus, et sat. I, vss. 7. Tunc ab altera manu

saec. XII totus Persius descriptus est (*M* 4.). Habuit huius cod. vv. ll. Passovius (v. p. VII sq.).

Cod. chartaceus n. 260 (*M* 5.), forma maxima, continet Iuvenalem et Persium, bene scriptos. In fine Iuvenalis scriptum est: 1470. *Laus deo. vigilia symonis et iudae. Paduae.* In fine Persii legitur: *Τελωσ* ♀♀. ♂. ♏. ♌ *Antonius. Ruedolff.* Collatum iam habuit Passovius. *M* 5.

Cod. n. 526 (*M* 6.), chartaceus, forma quadrata, continet Persium et scholia. In fine scriptum est: *Scripsi Hartmannus Schedel de Nuremberga ex veterrimo libro coenobii S. Udalrici Augustae. Anno* 1470 *die* 9 *Martii. Laus Deo.* Ita recte tradidit Passovius (p. VII), qui collatum eum habuit, et nescio, quid acciderit C. E. Krausio, qui in dissert. de A. Persii Flacci satiris (Gött. 1830 p. 20) contendit, errasse Passovium, et cod. descriptum esse ad exemplar Udalrici Venetiis editum. Hos codd. contuli a. 1834. *M* 6.

Cod. sign. $\frac{F}{I}$, in fol. 1 *lib̄ Sc̄i Emmerami* (*M* 7.), membran., forma quadrata, saec. XI. Hunc codicem eundem esse suspicor, de quo Krausius (l. l. p. 16 sqq.) haec affert: „Continet etiam Horatii carmina et sermones, fragmenta quaedam et libellum integrum de divisione unius sive assis sine dubio scriptoris veteris, quamquam proximi Martiano Capellae, ut stylus arguit. Hic liber litteram *h* non scribit, sed eius loco spiritum asperum antiquum (ⱶ) ponit v. c. ⱶ*abet* pro *habet*, ⱶ*ederae* pro *hederae*, utitur etiam notulis illis criticorum vett., quas Isidorus Hispalensis (Orig. I, 1) nobis conservavit. In margine glossae inveniuntur, et in schedulis nonnullis adiectis fragmenta illius commentarii, qui vulgo Cornuto, a nostro codice Valerio Probo grammatico tribuitur, ab alia manu scripta.“ Hac de re me nihil accuratius scire, doleo. *M* 7.

M 8. Cod. sign. **e.** 3. (*M* 8.), membranaceus, forma minore, saec. XII, continet *Invecciones Tullii in Catilinam, Prudentium, Lucanum, Persium.*

M 9. Cod. sign. *MSC. M* 67 (*M* 9.), chartaceus, forma maxima, saec. XV.

M 10. Cod. sign. *Cod. lat. Emmeram* ž. 16 (*M* 10.), chartaceus, forma maxima, saec. XV, continet: *Publij Ovidij Nasonis* de remedio amoris liber incipit; *Persius;* Carmen Mgri *Werdee* de philossophia intitulatum; Carmen M. *Io. Sa. de Werdea* de ludo foeliciter incipit; Poema elegiacum quod *Iacobus* illmatois Mgr. studij liptznsis.

M 11. Cod. sign. *Cod. lat.* 792, in interiore tegumento 184 *C* (*M* 11), chartaceus, olim *I. F. Rothii* Norimbergensis, qui eum descripsit in N. T. Mercur. a. 1807 p. 279 sqq. Habuit collatum etiam Passovius (p. 155 sq.).

Horum codd. varias lectiones a se excerptas concessit mihi Schweigerus. Collati sunt ad edit. Füllebornii a. 1794 *M* 7. 9. 11., ad edit. Achaintrii *M* 8. 10.

Codices bibliothecae Parisiensis.

P 1. Cod. Reg. 8048, prius 5618 (*P* 1.), forma magna, membranaceus, olim Claudii Puteani, cuius nomen fol. 1 recto et imo legitur. Continet I. A. Persii Flacci Satyras, ut numeravit librarius, quinque, quibus praemittuntur prolegomena vetera, inc. *Satyrae est proprium — Musisque consecratus* (cf. p. 241). In fine legitur vita mutilata, desinens in vv. *Sed Lucanus.* Compactoris culpa transposita et perturbata folia sunt, ita ut post secundum locata sint folia 7 et 8. Quae res quomodo fefellerit Achaintrium, eiusque auctoritate alios commoverit, ut de Casauboni fide dubitarent, monitum est ann. crit. ad III, 100. Nam hic codex idem est cum Puteani membranis, quas Casaubonus memorat. II. Ovidii lib. de remedio amoris cum scholiis margini adscriptis et glossa interlineari, fol.

16—32. III. Aesopi fabulas Latinis elegis ab Avieno redditas, cum scholl. marg. et glossa, fol. 34—46. IV. Chronologiam brevem Britonum, fol. 48 b. — 55 b. V. Q. Sereni Sammonici carmen heroicum de morborum curatione; praemittitur index capitum. Inc. fol. 56, desinit imperfecte in v. 460. fol. 62 b. VI. Vita S. Bernardi auct. anonymo. fol. 64—72 b. ibi pagina ima leguntur vss. hi: *Annus millenus centenus quominus uno Astabat quando cepit Cistercius ordo.* VII. Incerti auctoris carmen de computo, accedunt prolegg., scholl. ad marg. et glossa interl., fol. 73—82. VIII. Glossae de differentia verborum vss. hexametris, subiiciuntur interpretationes oratione soluta, fol. 83—86 b. Glossae interdum pluribus vss. constant, interdum binis, velut haec, f. 84: *Vultu continuo vir tristis dicitur esse, Dicitur ac mestus vir mente habituque molestus.* IX. Varia, cum astricta tum soluta oratione, ad bene vivendi disciplinam grammaticamque spectantia fol. 87 – 89 b. Illorum specimen hoc, f. 87: *Cum fueris locuples, corpus curare memento: Eger dives habet nummos, sed non habet ipsum.* X. Glossarium, incipiens f. 90: *Abactus, ab actu remotus:* desinit f. 115 b: *nihil vanius homine.* XI. M. Tullii Ciceronis Rhetoricorum ad Herennium lib. I fol. 116—123 b. imperfecte. In hoc cod., qui constat quaternionibus variae magnitudinis temereque consutis, Persius scriptus videtur saec. XI, reliqua saec. XIII, nonnulla saec. XIV.

Cod. Reg. 8246, olim Colbertinus n. 5255, forma quadrata, membranaceus (*P* 2.). Insunt I. P. Ovidii de remedio amoris cum glossa interlineari scholl. marg. II. Liber Tobiae a Matthaeo Vindocinensi Latinis vss. redditus, c. gloss. et scholl. III. Sententiae ac proverbia versibus expressa. IV. A. Persii Flacci Satyrae VI c. glossa et scholl. satis verbosis. V. Catonis disticha, adiectus est commentarius anon. VI. Gaufredi Angli poetria nova ad Innocentium III papam, c. scholl. et gloss. *P* 2.

VII. Carmen anonymi, cuius titulus: *Liber facetiae, sine quo nemo potest esse bene moriginatus.* VIII. Aemilii Macri poema de viribus herbarum, finis desideratur. Huius cod. pars prior, in qua sunt Persii Satyrae, saec. XIII, altera saec. XIV scripta esse videtur.

P 3. Cod. n. 8070 membranaceus (*P*3.), continet Iuvenalis satiras saec. XII, et ab alia manu Persii satiras forma maxima saec. XI, distincte sed non nitide scriptas. Interdum eadem manus vitia correxit.

P 4. Cod. n. 8049 (*P* 4.), membranaceus, forma maxima, nitide scriptus saec. XI. Praecedit vita, adscripta sunt scholia usque ad finem sat. III. In fine scriptum est: *Explicit intortus per totum Persius orbem.* Continet praeter Persium etiam Petronii excerpta et Senecae sententias.

P 5. Cod. n. 8272, olim Colb. 4067. Reg. 61567 (*P* 5.), membranaceus, forma quadrata, saec. XI bene scriptus. Praecedit vita, adscripta sunt scholia ad marginem et inter lineas.

P 6. Cod. Reg. 8050, prius $\overline{\text{CIↃCCCL}}$, deinde 1580 et 5622 (*P* 6.), forma magna, membranaceus, constans foliis 18. Continet Persii satiras cum scholiis brevibus et glossis. In fine scriptum est: *Explicit liber Persii Etrusci satiri* | *Iamiam libro expleto Filippo provideto.* | *Est filii olim clari, est patris iam clari.* | *Ut ab omni culpa expier ego scriptor, scito me scriptorem fuisse ob posse meum.* | *Sed quia non pauca dificultas me superabat, quampluries me pictorem fuisse manifesto.* | *Ut habui a quodam . tuus Andreas* | *Franceschinus de Albicis habet aliquem* | *Persium et ideo si ambigeres* | *ipsum pete ad corrigendum* | 1321 *mensis septimi ab imbre.*

P 7. Cod. 8055 (*P*7.), membranaceus, foll. 218 constans, saec. XI, continet Statii Thebaida, Persium et Senecae tragoedias.

Horum codd. *P* 3. 4. 5 ipse contuli, *P* 1. 2. 6 ad Königii editionem conferendos mihi curavit et accurate descripsit C. B. Hasius, qui paternum affectum, quo me Persiis degentem amplexus est, beneficiis in me collatis probare nunquam desiit. *P* 7. contulit cum Achaintrii editione Roesius, et vv. ll. edidit E. G. Weberus.

Cod. bibliothecae *Rehdigeranae* membranaceus (*R* 1), forma quadrata minore, saec. XIV bene scriptus, pictis initialibus. Continet Iuvenalem et Persium. *R* 1.

Cod. eiusdem bibliothecae chartaceus (*R* 2.), forma quadrata, non ante saec. XV finem scriptus. Continet Iuvenalem et Persium. *R* 2.

Utriusque cod. quasdam lectiones edidit Fülleborn ius, cui *R* 1 est II, at *R* 2 I. Accuratam ad Hauthalii editionem factam collationem donavit mihi Tzschirnerus.

Cod. bibl. monasterii *Sangallensis* n. 203 (*Sg* 1.), chartaceus saec. XV. *Sg* 1.

Cod. eiusdem bibliothecae n. 858 (*Sg* 2.), chartaceus saec. XV. *Sg* 2.

Utriusque cod. vv. ll. ad editionem Weberi enotatas debeo C. G. Müllero.

Codex *Turicensis* (*T.*), membranaceus, a librario Italo saec. XIII elegantissime scriptus. Contulit Orellius. Exstat in bibliotheca urbana Turicensi cod. (C, 58, 275) membranaceus, qui praeter alia multa excerpta quaedam Persii continet, in quibus lectiones memorabiles non inveni, nisi quod V, 90 *notavit* habet, sed *n* in *v* mutata. *T.*

Cod. bibliothecae *Trevirensis* (*Tr.*) membranaceus, forma quadrata, bene scriptus saec. IX vel X. Scholia adscripta habet. Contulit Loersius Luchtio, qui vv. ll. mecum humanissime communicavit. *Tr.*

Cod. (*V.*), cuius vv. ll. Cortius exemplo editionis Schrevelianae adscripsit, quod iam commemoratum est. Notavit eas Passovius (p. 156) ad marginem edit. Ca- *V.*

saubonianae, unde ego descripsi. Easdem edidit E. G. Weberus.

W 1. Cod. bibliothecae *Guelferbytanae*, Gudian. 79 (*W* 1), membranaceus, forma maxima, saec. XI scriptus.

W 2. Cod. eiusdem bibl., Aug. 29, 12 (*W* 2.), membranaceus, forma minore, saec. XIII. Habuit huius vv. ll. etiam Orellius, in meum usum utrumque ad edit. Passovii contulit Schoenemannus.

Horum codicum accurate collatorum integram proposui varietatem lectionis, ita ut, ubi nihil de ea monitum sit, consentire codd. cum recepta lectione intelligi velim. Id in antiquioribus et melioribus codd. ita interpretandum, ut ne levia quidem annotare omiserim, verum non tam ineptus fui, ut ex recentissimis quoque codd. omnem, orthographiae potissimum vitiorum sordem colligerem. Si quis autem apparatum criticum inspexerit, videbit, me non tam fuisse temerarium, sed multa attulisse, quibus carere possimus. Illud vero vix est, quod moneam, mihi, quamquam omnem curam atque diligentiam adhibui, verendum tamen esse, ne errores quidam in recensendis vv. ll. commissi sint. Quicunque enim talem operam ipse suscepit tenet profecto, quam difficile sit, nec in codice conferendo unquam falli, nec in adhibendis variis lectionibus. Accessit iam molestus labor tot codd. ad diversas editiones notatas vv. ll. conferendi et digerendi, in quo si quando lapsus sum, ignoscent, spero, aequi iudices. Equidem nec operae nec tempori peperci, ut hanc operam ita perficerem, ut ei fidem habere possent VV. DD.

Accedo iam ad eos codd. recensendos, de quibus ita tantum referre potui, ut lectiones apponerem, quas praebere eos traditum est, e quorum silentio nihil effici potest.

Codd. bibliothecae Regiae *Havniensis*, quos contulit Plumius.

α 1. Cod. n. 2028 (α 1.), membranaceus, forma quadrata,

saec. XI. Adiecta sunt scholia, nunc breviora, nunc pleniora iis, quae sub Cornuti nomine circumferuntur. In fine legitur: *Liber sancti panthaleonis in Colonia.* Codex rescriptus est, sed non potest dignosci, quid primo loco scriptum fuerit.

Cod. n. 2029 (α 2.), chartaceus, forma quadrata, saec. XV, continet Iuvenalem et Persium. α 2.

Cod. n. 430 (α 3.), chartaceus, forma maxima, habet Persium cum scholiis. In fine Persii legitur: . . . *persius Iste anno MCCCC3o In Octavo . . . . per me Iacobum Mathiam feliciter Fo2;* post scholia: *In Universitate Lipsiensi p Ia. Mathia . . . collectus.* α 3.

Cod. Iuvenalis et Persii membranaceus saec. XIII, negligenter exaratus (α 7.). α 7.

His accedunt paucis locis vv. ll. editionum Mediol. a. 1476 (α 4.), Venet. a. 1482 (α 5.), Venet. a. 1484 (α 6.), quas omittere satius fuit. Ubi omnes consentiunt, nota α usus sum. α 4. 5. 6.

Cod. *Bodleiani* (β) vv. ll. exstant inter Mss. Santeniana (n. 116) in bibliotheca Berolinensi. De eo ibi haec tradita sunt: „Codex Bodleianus cum glossis luculentis ante annos 500 ad minimum scriptus, exemplarique Boethii de consolatione philosophiae annexus, in cuius umbilico haec legebantur: *Hunc cod. dedit Leofricus episc. eccl. Beati Petri Apost. in Exonia ad utilitatem successorum suorum. Si quis illum illinc abstulerit, aeternae subiaceat maledictioni. Fiat! fiat! fiat!*“ Ad quam editionem collatus sit, non est notatum. Vv. ll. mihi transscribendas curavit prompta Ad. Trendelenburgii meis studiis rationibusque inserviendi voluntas. β.

Cod. *Galeanus* (γ), inter mstos Galeanos in bibl. S. Trinitatis collegii Cantabrigiensis, in catal. Mss. in Anglia et Hibernia n. 6124, 290 vol. II, p. 1, mira arte in pulcherrimis membranis scriptus; commemoravit eum aliquo- γ.

ties Bentleius. Variae lectiones editae sunt Classic. Iourn. IV p. 353 sq. cl. p. 120.

δ. Varias lectiones adscripsit P. Daniel exemplo editionis Foquelinianae, ab auctore secundis curis emendato et locupletato, quod in bibliotheca *Bernensi* (G. 37) servatur (cf. Orell. ecl. p. 192. Hauth. ad Pers. sat. 1 p. 23), e quibus quasdam excerptas dedi (*δ*).

ε. Cod. *Ebneriani* (*ε*) membranacei variae quaedam lectiones editae sunt in editione Persii, quam a G. F. Sebaldo curatam I. M. Schmidius Norimbergae 1765 aeri incisit, et inde translatae in editionem Norimbergensem a. 1803. Valde dolendum, huius cod. non exstare omnes vv. ll., admodum enim memorabilis est, et quantum ex paucis lectionibus intelligi potest, proxime accedit ad *Mp*. et *Rom*. Ita prol. 14 habet *nectar*. Praeterea cf. ad prol. 9. 12. I, 14. 18. II, 18. 21. III, 12. 13. 14. IV, 35. V, 84. 145. VI, 46.

π. Cod. *Pithoei*, quem ipse *L* notavit. Hic memorabilem habuit inscriptionem THEBAIDORVM PERSJ SATYRA, qua quid significetur, nec Pithoeus intellexit, nec ego divinare potui. Iam in catalogo codd. mss. bibliothecae monasterii Sangallensis, quem a. 1759 Kolbius confecit, haec leguntur II p. 398:

> Iidem libri Iuvenalis cum notis ferme perpetuis in codice D n. 304 antiquissimo et membranaceo seculo etiam X^mo^ circiter exarato;

et p. 430:

> D n. 304 Persii Flacci Auli Satyrae Thebaidorum cum optimis notis marginalibus et interlinearibus in 4to membr. seculi circiter decimi.

Hic codex sicut nunc in bibliotheca Sangallensi non exstat, ita ne tum quidem superstes fuisse putandus erit, cum Kolbius catalogum conscriberet. Nam eae bibliothecae ab eo inde tempore rationes fuerunt, ut nihil inde auferri potue-

rit, et vero codex a Kolbio antiquo tantum numero notatus est, neque novo, quo tunc omnes codd. insigniti sunt. Igitur Kolbius ut alios ita hunc cod. ex antiquiore catalogo in suum transtulit, quamvis in bibliotheca non reperiretur. Hunc autem codicem Pithoeano similem esse tam quam lac lacti, quod aiunt, apparet. Habemus Iuvenalem et Persium coniunctum, utrumque scholiis exornatum, et scholia in Iuvenalem eadem fuisse iis, quae nunc quoque in altero cod. Sang. exstant, verisimillimum est, habemus, quod rem conficit, eundem mirum Persii indicem. Quare me nondum coniecturae poenitet olim propositae (Zeitschr. f. A. W. 1838 p. 1050 sq.), Pithoeanum codicem eundem cum hoc Sangallensi, qui fraude inde abductus (quis nescit, quot codd. olim e bibliotheca Sangallensi furto ablati sint?) in bibliothecam Matth. Corvini, et deinde in Pithoeorum manus pervenerit. Ceterum cum in digerendo apparatu critico Pithoei editione non potuissem uti, sed excerptis tantum quibusdam, factum est, ut quaedam omitterentur, quae editionem illam nactus in Addendis proposui. Illud facile intelligitur, hunc cod. non esse eiusdem auctoritatis in Persio, quam in Iuvenali habet, sicut nec scholiorum in utroque poeta eadem ratio fuisse videtur. Quae res saepius observata est. Ceterum in cod. Sangall. saec. IX, qui catalogum bibliothecae eius continet (v. Orell. ep. crit. ad Madv. p. XIX) iam commemorantur *Persii; Persii commentum*.

Cod. bibliothecae *Regiae Londinensis* (ϱ), cuius quibusdam locis mentionem facit Bentleius. Collatio ab eo facta edita est Classic. Iourn. XVIII p. 62 sqq. ϱ.

Varias lectiones margini editionis Iuntinae in bibliotheca *Dresdensi* servatae adscripsit G. Fabricius, cf. supra p. CXVIII. Inde quaedam annotavi (φ). φ.

Potuerunt talia plura colligi, sed in scriptore, cuius tot codd. iam collati sint, non opus iis esse putavi. Ita

Achaintrium prorsus fere neglexi, cuius non magnam fidem nec prudens iudicium esse cognovi. Neque tamen omisi, ubi ex codd. nondum plene adhibitis eximia et notatu digna a VV. DD. allata videbam. In quibus praecipue nominandus est Hauthalius, qui quae ex antiquis codd. protulit, ea in usum meum converti. Egregiae sunt membranae Leidenses, quas Nic. Heinsius quibusdam locis memoravit, et doleo, mihi integram earum collationem ad manus non fuisse. Cf. ad I, 59. 74. V, 118. 148.

Praeter codices adhibui etiam alios scriptores, qui Persii locos attulerunt vel imitando expresserunt, et ita ad crisin exercendam aliquid conferre videbantur. Permagnum talium cuiusque aevi scriptorum numerum esse, supra iam monitum est, itaque summam diligentiam adhibui, ut omnes locos, ubi Persii verba laudata essent, colligerem et apte disponerem, ut facile intelligi posset, quid lucri inde ad historiam criticam satirarum Persii capi posset. In universum confirmatum est hac quoque opera, quod supra iam dixi, Persii verba gravibus interpolationibus non fuisse obnoxia, sed ita, ut nunc exstant, si summum spectes, semper lecta esse. Nam cum a scriptoribus diversae aetatis permulti Persii loci afferantur, tamen paucissimis tantum locis memorabilem lectionis varietatem apud eos invenimus, sed pleraque omnia ita, ut in melioribus codd. leguntur. Ne tamen ingrati videamur, monendum I, 57 *protenso*, quod in *Mp.* et *Rom.* tantum apparet, ab Hieronymo et Prisciano afferri; I, 97 *vegrandi*, quod in perpaucis codd. servatum est, auctoritate Servii et schol. Horatii muniri; V, 25 Augustini loco veram lectionem *tectoria* comprobari, et si quae similia fortasse inveniuntur. Illud addam, quod Io. Sarisberiensis (III, 12) et Petrus Blesensis (ep. LIX) sat. I, 121 afferant: *Auriculas asini Mida rex habet*, inde non posse concludi, eos hanc lectionem in antiquis exemplaribus invenisse, sed cum novissent Cornuti scholia, tunc maxime pervulgata, versum ita pro-

tulerunt, ut a Persio scriptum fuisse ibi legerant. Eodem modo explicandum censeo, quod mythographus Vaticanus (III, 12, 2) versus a Persio laudatos (I, 99 sqq.) ut Neronis laudat. Quod autem quibusdam locis grammatici memoria falsi ea attulerunt, quae nec ipsi in exemplis suis legere potuerunt (cf. ad I, 99. II, 52. V, 68. VI, 73), nemo mirabitur, qui consideraverit, quot locis similis negligentia iam observata sit.

Hisce rei criticae subsidiis denique adddidi VV. DD. coniecturas. Quamquam enim Persio, si cum multis aliis scriptoribus compares, pepercerunt grammatici, haud paucis tamen coniecturis cum editores, tum alii VV. DD. eum tentarunt. Has igitur, quoad fieri potuit, collegi et commemoravi, quamvis intelligam, multa huius generis conamina me haud dubie fugisse per latos nostrarum litterarum campos atque dumeta dispersa. Quid quod infelici quodam casu subtraxerunt se mihi apparatum criticum digerenti quaedam dudum notata, quae in addendis memoravi, ne quid deesse videretur. Nam mea quidem sententia omnibus carere possumus, et magna pars ne ita quidem comparata est, ut sensum acuat et alat, verum nolui rem negligere, in qua more tralatitio philologicae diligentiae quendam splendorem dicam an rubiginem multi requirunt.

Editionum varias lectiones omnino non addidi. Antiquis enim editionibus ibi tantum pretium statuendum videtur, ubi vel omnino pauci codd. supersunt, vel ex codd. ductae sunt editiones, qui postea deperditi sunt. Utrumque in Persio locum non habet, ut exemplo quodam docuit Hauthalius, qui cum varias lectiones ad satiram primam e XXX editionibus saec. XV mira diligentia collectas edidisset, planum fecit, nihil in hisce reperiri, quod non e codd. afferri posset. Quorum cum satis larga copia suppeteret, editionum curam omisi. Non ego negaverim, utile esse et iucundum, scire, quam quoque loco lectionem praetulerint viri doctrina et ingenio clari, verum hoc

alienum erat ab huius editionis consilio. In ea enim id propositum habui, ut instrumenta criticae factitandae certa et quam fieri potuit plenissima exhiberem ad usum parata et digesta. Ab hac parte si VV. DD. adiuvisse et nostra studia promovisse censebor, operae pretium me fecisse putabo.

AULI PERSII FLACCI

SATIRARUM LIBER.

AULI PERSII FLACCI
SATIRARUM.
LIBER.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.

Thebaidorum Persi satyra π. Persii lucillii Auli flacci poetae satirarum liber fel. inc. Sg 1. Bs 2. Prologum om. W 2.
v. 1 l. Schol. Stat. Theb. IV, 61. — *gab.* M 1. 3. — vs. 1. 2. om. H.
v. 2. *nec—memini* l. Schol. Stat. Theb. I, 63, ubi *parnaso*, ut codd. omnes praeter Br 3. 4. 5. 6. C. H. Mp. P 5. 7. R 2. Sg 2. W 1. 2. Hanc formam antiquiores codd. aliorum quoque poetarum Latinorum servant, v. Cort. ad Lucan. III, 173. V, 172. Sillig. ad Virg. Cul. 15. Wagn. ad Virg. Ecl. VI, 29. Apud Graecos in eadem codd. varietate magna inter VV. DD. contentio est, utra forma praeferenda sit, cf. O. Müller, Orchom. p. 479. Blomf. ad Aesch. Choeph. 555. Erfurdt. ad Soph. Antig. 1130, et, qui exempla similium nominum contulerunt, Osann. Syll. Inscrr. p. 66 sq. Ellendt. ad Arrian. VII, 27, 1. — *parnoso* A. P 5. — *neque* P 2, ut Reiz. cf. Wunderlich, obss. ad Tib. I, 1, 71. Wagner, quaestt. Virgil. XXXII.
v. 3. *memini me ut* A. B 1. 4. 5. Br 4. 5. Bs 1. 2. C. Erl. F 1. 2. G. L. M 2. 4. 6. 8. 9. 10. 11. Mp. P 3. 4. 5. 7. Sg 1. T. W 1. *β. α* 1. 5. 6. *δ.* Adhelm. de re gramm. et metr. in Mai Auctt. class. V p. 519. *me* a 2 manu del. M 7. R 1. *me memini* B 3. *Me* contra metrum explicationis gratia additum est. — *sic rep.* Br 6. Bs 1. D. Erl. M 9. 10. P 1. 3. 6. *sic* om M 4. — *prodierim* M 1. 3. ut voluit Hauthal. *poeta fierem* P 7.

Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces, ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε
Picasque docuit nostra verba conari:
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,

v. 4. *Eliconiadasque* B 1. 3. Bs 1. F 1. 2. L. *Eliconiadasque musas* p. B 4. *eliconiedasque* T. *eliconiadisque* Bs 1. *Heliconiadas pall.* Mp. M 4. *δ. Aeliconiadas et pall.* Bs 2. *heliconiadasque et pall.* P 1. W 1. *Heliconidasque* Br 2. M 5. 10. H. E. R 2. P 7. V. *eliconidas* p. R 1. Utramque formam iustam et Romanis usitatam esse probat Passov., cf. opp. p. 71, et Heringa in Misc. obss. nov. VIII, p. 930. Codd. optimorum lectio servari potest ita, ut *ia* in unam syllabam contrahantur, Schneider, gramm. I, 1 p. 286. — *Pyrenen* B 1. M 4. 6. 7. 8. P 1. *Pyrenem* B 4. H. M 2. 5. *Pirenem* B 5. D. P 2. Alia omitto.

v. 5. *remitto* Bs 1. D. M 1. 3. 4. 6. 8. 11. Mp. P 1. 2. 4. 5. Sg 2. V. W 1. 2. alii apud Hauth. *remitto* (suprascr. *relinquo*) Br 5. M 7. 9. — *labunt* P 1. *lambunt* (*a* supra *u* adscr.) M 2. *ambiunt* Mp.

v. 6. *secaces* coni. Dorleans ad Tac. Ann. I p. 87. — *at ipse* Br 4. C. Erl. M 10. *ipse ego* E. *ε.*

v. 7. *natum* T. — *offero* A. B 3. M 8. *α* 3. *δ. effero* P 6. — *meum* Erl.

v. 8. *chere* omnes fere codd. *kere* M 4. *χᾶερε* M 5. *cere supina* Mp. *χαιρε* L. *chiere* R. Post v. 8. Br 2. 4. C. Erl. F 2. M 10. P 2. *α* 1. Bremensis addunt: *Corvos quis olim concavum salutare* (Br 2. *caesarem sal.*).

v. 9. *picamque* M 4. Mp. P 3. *β. ε. picas quis* B 5. R 1. *picasque quis* Br 3. — *docuit* om. P 2. — *verba nostra* B 1. 3. Br 2. 5. L. M 5. 9. Mp. P 1. 3. V. W 2. *nostraque v.* R 2, ceteri *nostra verba.* — *sonare* Erl. Par. 6487 ap. Hauthal. et suprascr. Oxon. ap. eundem. *blandiri* ut v. l. suprascr. B 1. P 4. affert schol. *blatire* coni. Wagner cl. Non. I, 210 *blatis, et blateras, confingis aut incondite et inaniter loqueris.*

v. 10 sq. l. Serv. ad Virg. Georg. I, 146, ubi *ingeniique*, ut A. B 1. 4. 5. Br 3. 5. Bs 1. 2. D. E. Erl. F 1. 2. L. M 4. 5. 6. P 1. 4. 6. R 1. T. Tr. *ingenii* om. *que* M 8. R 2.

v. 11. *venter et neg.* D.

v. 12. *spes dol.* B 4. — *refulgeat* Br 3. Bs. 2. E. F 1 (in ras.). Mp. P 1. 2. 5. 7. *ε. ϱ. refulgeat* (suprascr. *vl. refulserit*) P 4. *fulgeat* P 6. n. 6487. *fulserit* F 2. L. Io. Sarisb. VII, 16: *Nullum grave periculum est, si spes dolosi nummi refulgeat.* Post v. 12 Sg 2 add. *Corrigit in prima laudantes molle poema*, qui vs. tanquam argumentum sat. I initio adscriptus in textum e margine irrepsit.

Corvos poetas et poetridas picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

v. 13. *poetidas* Br 1. 2. F 2. M 2. P 6. *poetricas* V. *poeticas* R 2. *poetrias* B 2. 3. M 11. P 2. W 2. ut voluit I. Scoppa collectt. I, 16, prob. Burm. ad Ovid. Her. XV, 183. Cum Graeci a substantivis masculinis in *της* feminina non solum in *τρια*, verum etiam in *τρις* exeuntia formare soleant, et haec forma Attica magis atque elegantior a grammaticis habita sit (cf. Bast ad Greg. Cor. p. 259 sq. Valck. opp. II p. 65), nolui *poetridas*, quod magno consensu codd. tuentur, reiicere, cum recte formatum videri debeat, quamquam *ποιητρίς* apud Graecos scriptores non legitur. *Poetidas* eodem errore natum est, quo in Graecis scriptoribus nomina in *τρις* et *τις* confunduntur, v. Lobeck. ad Phryn. p. 256. *pieridas* cod. Par. n. 8273 sec. XV. ap. Hauthal.

v. 14. *potare* adscripsit margini exemplaris sui Casaubonus teste Bentleio. — *cantare posse cred.* Br 2. — *cernas* coni. Scoppa collectt. I, 34. — *pegaseum* B 1. 3. 5. Bs 2. D. E. H. M 2. 5. 9. 11. Mp. P 3. 6. 7. R 1. Sg 1. *β. perpegaseum* A. Br 4. C. F 2. M 1. 3. 4. 6. 8. 10. P 4. 5. W 1. *π. pegaseum* suprascr. *per* c. nota: *valde pegaseum* T. *perpegaseum* (*per* del.) M 7. *perpegaseium* Erl. L. *per pegasium* V. *perpectascum* P 1. *pegaseumque* Bs 1. *pegaseum tunc* T. *pegasum m.* R 2. *cant. pegas. melos credas* Br 1. ut voluit Turneb. Advv. IV, 22. X, 13. prob. Santen. ad Terent. Maur. p. 2 sq. Guyet. — *melos* omnes codd. praeter B 4. M 4. Mp. *ε*, qui legunt *nectar. melos vl. nectar i. dulcedinem* (suprascr. *dulcedinem musicam*) B 1. *melos* c. gl. *in aliis est nectar* P 4. 5. Ut v. l. affert schol. *Melos*, quod contra metrum peccat, frustra defendere conati sunt I. Scoppa collectt. I, 34. Ob. Gifanius collect. Lucret. s. v. *vacillo*. Casaubonus ad n. l. N. Heinsius Advv. III, 11 p. 476 sq. Is. Vossius ad Catull. p. 117. P. Borremans. Varr. Lectt. c. 17 p. 207. Buchner ad Venant. Fortun. de resurr. dom. 30 p. 31. Niclas ad Geopon. prol. t. I p. 2 sq. Plum. ad n. l. Oblocuti sunt huic sententiae, qua primam in *melos* produci posse putarunt, disertis verbis Rutgers. Varr. Lectt. VI, 15, Dorvill. ad Charit. p. 515. Ruhnk. ep. crit. I p. 48. *Nectar* e suo et Pomponii Laeti cod. primus restituit Ang. Politianus misc. c. 44, cl. epp. XII, 1 p. 366., idque in multis antiquis codd. exstare testatur El. Vinetus. Defenderunt hanc lectionem C. Barthius Advv. XXIV, 17. ad Calp. Sic. ecl. IV, 151. Salmas. epp. 87 p. 196. Wakef. ad Lucr. I, 946. IV, 22. Brunck. Anall. II p. 26. I. G. Vossius autem Inst. orat. IV, 2, 2. Arist. II, 16 attulit etiam Martiani Capellae locum, qui nostrum imitatus esse videtur, et lectionem *nectar* firmat. Is vero ita se habet (IX p. 308 Grot.): *Post hos honoratior fontigenarum virginum chorus pegasaeae vocis nectare diffluebat.* Primus in textum *nectar* recepit Reizius. *Melos* autem ex Hauthalii sententia natum est ex glossa *dulcedo, mel* ad voc. *nectar* adscripta. Denique ne quid omissum videatur, affero locum Marii Victor. A. gr. IV p. 2593 P.: *Item ex Ionico ἀπὸ μείζονος et choriambo et ultimo iambo: Dic nunc age Clio mihi Pegaseum melos;* qui si cui forte h. l. *melos* legisse videatur, is consideret, grammatico *melos* iambum facere.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
„Quis leget haec?“ Min' tu istud ais? Nemo hercule.
„Nemo?“
Vel duo, vel nemo. „Turpe et miserabile.“ Quare?
Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Praetulerint? Nugae! Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.

Melos ita defendit Perreau in vers. Gallica (a. 1832) ut consilio a Persio iambum positum diceret, quo doceret, *famem etiam bestias recte canentes facere.*

v. 1 l. Lactant. I. D. II, 2. Petr. Bles. ep. XXIII. *O cur. hom.* l. Schol. luv. Havn. IV, 1 p. 590 Cr. *O curas! hom. o qu.* dist. A. de Rooy spicil. crit. c. 22 p. 162. — *o* ante *quantum* om. Erl. M 8. P 1. 3. 6. R 2. W 2. et meliores Lact. codd., ut voluit Schütz, opp. p. 322. *o* a 2 m. add. M 7. R 1. — *est* om. G. — *in* om. B 5. F 2. L. Sg 1. R 2. — *qu. in reb. inane est* Br 4. Erl.

v. 2 sq. ita laudat Henricus de Hervordia chron. ined. in Bruns Beitr. III p. 255: *Quis leget haec? num tu? nemo hercule, nemo, vel duo vel nemo.* — *nun tu* A. *non tu* B 4. — *illud* B 5. — *hercle* B 3. 5. *hercle* Br 1. 2. Sg 2.

v. 3. *mirabile* B 3. Primi versus diversis modis ab intpp. distinguuntur. Alii ita: Mon. *Quis—haec?* Pers. *Min — ais?* M. *Nemo herc.* P. *nemo?* M. *vel—mis.* P. *Quare?* cf. Meister, letzte Stud. p. 82 sqq.

v. 4. *nec* B 5. Br 3. Bs 1. 2. D. E. L. M 1 (adscr. *vl. ne*). 2. P 1. 6. 7. R 1 (corr. a 2 m.). T. Tr. W 1. *γ. non* B 4. H. — *polidamas* omnes fere codd. *pulidamas* Br 6. M 5, ut voluit N. Heins. ad Ovid. Met. XII, 547 cl. Prop. III (IV), 1, 29. Sil. Ital. XII, 212, ubi v. intpp., et ita scripsit Reiz. — *ac tr.* M 4. *nec tr.* Bs 2. G. — *troades* A. B 5. D. F 2. G. H. L. M 9. 11. R 1. 2. T. Alteram formam, quam metrum postulat, agnoscit Steph. Byz. s. v. *Τρῳάς*. cf. N. Heins. ad Ov. Her. V, 94.

v. 5. *praetulerunt* M 5. corr. in Mp. *prot.* Sg 2. — *num si* B 3. P 2. — *turba* M 5. — *turgida* Br 4.

v. 6. *examenque* B 3. 4. Br 1. 3. 4. 5. 6. C. Erl. F 1 (in ras.). G. M 2. 4. 9. 10. Mp. P 2. 3. 4. 5. 6. R 1. Sg 2. T. Tr. *α.* 1. 5. 6. *Que* et *ve* ubique fere permutantur, hic *que* scriptum esse videtur ob sequens *nec. examenne* E. *examen et* α 2. — *ipsa* P 2.

v. 7. *ne* Bs 2. P 2. — *quaesieris* Br 1. 3. Bs 1. G. M 5. 11. Sg 1. R 2. *quaesiverit* (corr.) Mp.

v. 8. *Roma* (corr. *ae* c. gloss. *adverb.*) Mp. — *est* om. B 5. Br 3. Bs 1. 2. Mp. P 6. R. 2. Sg 1. v. — *ac* A. B 1. 3. 4. 5. Br 2. 5 (corr. in *ah*). Bs 1. 2. C. D. E. F 1. 2. G. M 1. 2. 3. 7 (corr. in *ah*). 8. 9. 10. 11. P 1. 2. 3. 4. 5. 7. R 1. 2. Sg 1. 2. Tr. W 2. *δ. ρ.* — *at*

Nam Romae est quis non? ac — si fas dicere — sed fas
Tunc, cum ad canitiem, et nostrum istud vivere triste
Adspexi, ac nucibus facimus quaecunque relictis,
Cum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite — „Nolo.“
Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.
Scilicet haec populo, pexusque togaque recenti,
Et natalicia tandem cum sardonyche albus,

si Br 3. 4. 6. L. M 5. 6. T. W 2. prob. Hand, Tursell. I p. 435. *et si* Br 1. *ah si* Erl. H. M 4. Mp. Hic cod. Mp. omittit etiam *est*, quamobrem *ah* scriptum esse videtur. — *dic. si fas* B 4. *si fas est* M 4. P 6. *non fas* (in mg. *sed*) D.

v. 9. *cum* B 1 et antiquissimi quique codd., *quum, quoi* et similia habet cod. Vatic. n. 1654 sec. XV. *cum* om. M 3. — *nunc* W 2. *tum* Br 3. F 2. G. H. M 11. Mp. R 1. 2. Sg 1. *β*. — *caniciem* suprascr. *vl. Canidiam* B 3, qui Horatii non suo loco memor fuit. — *et — adspexi* l. Quintil. I. O. IX, 3, 9. — *et* om. W 2. — *turpe* adscr. *vl. triste* R 2.

v. 10. *adspexti* coni. Beier, animadvv. in I Persii sat. initium. Zviccav. 1809. 8. — *et nuc.* Br 1. C. Erl. M 6. P 6. *a nuc.* adscr. *post* Br 3. *in nuc.* Br 4. *ac* om. M 9. — *ac fac. nuc.* G. — *fecim.* R 2. — *musis* adscr. *vl. nucibus* B 3. — *quodcunque* B 5. *δ*.

v. 11. *nunc ign.* A. — *nolont* i. e. *nolunt* coni. Marcil.

v. 12. *ignoscere nolo, quae facimus* coni. Schütz. opp. p. 324. — *tunc, tunc — ignoscite, nolo, quid faciam? sed sum* etc. dist. K. F. H. Schulztg. 1833, II n. 40. — *nam sum* B 3. *si sum* coni. L. I. Scoppa collectt. II, 12. *sed—cach.* l. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 219. — *splene; cachinno,* ut *cachinno* verbum sit, amicus quidam apud Meisterum, letzte Studien p. 27, coniecit, Heindorfius sine dubio, qui id margini exemplaris sui, ut testatur Weber, adscripsit. Totum vero locum ita constitui vult Koenig: *Nam Romae quis non? — at qui fas dicere? — Qui fas? Tunc? cum ad can. — relictis? cum sap. patr.? — Et tunc ignoscere nolo. — Quid fac.? sed s. — cachinno.*

v. 13. *numero* B 5. *inclusus numeris* em. Markland ad Stat. Silv. IV, 5, 67. *incl. n. i., h. p. l.* dist. Gronov. diatr. Stat. I p. 276 sq. *inclusi n. illi, h. p. l.* emend. idem elench. antidiatr. II p. 267. *inclusi numeris* coni. Crucius antidiatr. II p. 86. *scr. inclusi numeros, illhic p. l.* em. Hand. ad Gron. diatr. I p. 276. *inclusus numeros* Passow.

v. 14. *quo* Erl. M 9. Mp. v. Bs 1 a 2 m. — *hanelat* B 3.

v. 15. *scil. ut p.* B 3. *hoc* A. Bs 1. 2. G. M 11. *hic* L. — *pexus tog.* D. G. W 2. — *roganti* M 5.

v. 16. *tand. nat.* M 1. 3. 4. 6. 8. P 2. — *sardonice* B 1. 3. 4. 5. Br 2. 3. 4. 5. Bs 1. 2. D. E. Erl. F 1. 2. G. H. L. M 1. 2. 3. 4. 6. 8. 9. 10.

Sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello,
Hic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus *ohe!*
„Quo didicisse, nisi hoc fermentum, et quae semel intus

11. P. 1. 2. 3. 4. 5. 6. R 1. 2. Sg 1. T. fictum a librariis, verae originis ignaris, ad analogiam vocabulorum Latinorum, ut *calix* sim. Quodsi in quibusdam codd. recentioribus *sardonyche* legitur, id non nisi solita litterarum *c* et *ch* confusione ortum est. — v. 16 sqq. *alb.* — *coll.* l. Schol. Hor. Sat. II, 2, 21.

v. 17. *leges* P 7. α 3, ut voluit Pithoeus, alii: ceteri codd. *legens*, ut β. δ. ε. Schol. Hor. l. l. — *psalmate* M 1.

v. 18. *collueris* B 1. Br 2. 5. Bs 1. F 2. L. M 1. 2. 4. 6. 8. 9. Mp. P 1. 3. Tr. W 2. α 1. 4. ε. ϱ. *colueris* B 3. P 6. Sg 2. *coluerit* Sg 1. V. *colluerit* codd. ceteri, etiam δ. et Schol. Hor. l. l. Ubique fere in codd. mutatae sunt secunda et tertia pers. sing.; hoc in Persio persaepe factum est, ubi librario allocutio parum decora videbatur, quod in cod. Mp. praesertim observari potest. cf. VV. LL. II, 15. 41. 56. III, 23. 93. IV. 25. — *patr. fr. oc.* l. Serv. et Philarg. ad Virg. Ecl. III, 8.

v. 19. *tunc* M 9. Sg 2. ε. *tunc nec* suprascr. *hic neque* B 5. — *nec voce* Br 3. 4. 5. 6. Bs. 1. 2. C. Erl. G. M 7. 9. 10. Mp. P 1. 2. 4. 5. 6. R 1. 2. T. ϱ. β. *ne voce* B 3. — *vox* L. — *sonora* γ.

v. 20. *ingentis* B 1. Mp. *ingenuos* Bs 1. — *Titos.* Huc respexit Io. Lyd. de mag. I, 9 καὶ Τίτους (ἐκάλεσαν) τοὺς ἐκ προγόνων εὐγενεῖς, ὡς φησι Ἡρόσιος ὁ Ῥωμαῖος. — *lumbos* Bs 2. Sg 1. 2.

v. 21. *trepido* P 1. — *scalpantur* Bs 1. P 4. *scalpunt* V. W 2. *scalpant* ϱ. — *ut int.* Br 5. C. Erl. *ubi* om. A. Br 5. M 11. — *inguina* adscr. Cort. margini edit. Schrev. in bibl. Vinar., I. A. Fabricius margini edit. eiusdem in bibl. univ. Havniensi.

v. 22 l. Prisc. III, 6 p. 613. Io. Sarisb. III, 4: *sordidus auriculis alienis colligit escas.* — *tum* A. Br 2. Bs 1. G (corr.). L. R 1. 2. codd. aliquot Prisc. *tū vet.* suprascr. *tunc o* B 3. *tu* V. — *vetulae* G. codd. aliquot Prisc. — *auricolis* M 2. 11. T. W 2. *articulis* quod in ed. Putsch. Prisciani legitur, tacite in *auriculis* mutavit Krehl. — *alienas* E.

v. 23. *perdita* B 5. δ. — *perditus? ohe* dist. Th. in Heidelb. Jbb. 1822 n. 51 p. 803. — *perdito sooe* Mp. — *oche* B 5. *ohhe* H. *oheu* Sg 2. *hohe* B 1. 4. Bs 1. *hoe* A. Br 3. F 1. 2. G. M 11. R 2. *hoc* L. *hec* P 3. *evoe* em. Murmell. *euohe* Marcil. *auriculis quibus? et d. c. p.: ohe, quo d.* dist. Wagner.

v. 24. *quo* Br 1. F 1. M 6. 8. P 3. Par. n. 6487 ap. Hauth. prob. N. Heins. ad Ov. A. A. I, 303, qui e cod. Puteano (P 1.) affert *quod*,

Innata est, rupto iecore exierit caprificus?“
En pallor, seniumque! o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
„At pulchrum est digito monstrari, et dicier: *hic est!*
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?“ Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

quod exstat in M 7. P 4. 5. *quod*, (h. e. *d* delendum est) Mp. *quod* suprascr. *ad quid* P 1. Ceteri codd. omnes etiam *α. β. ε. ϱ. quid*, quod ex usu linguae Latinae hic locum habere nondum demonstratum est. Cum pronominis relativi formae diversae semper et ubique confundantur in codd., ut vel noster commentarius singulis locis demonstrat, *quid* autem et *quo* saepissime inter se commutentur (cf. Cort. ad Luc. I, 681), non dubitavi id recipere, cuius legitimus usus esse videtur, cf. Heins. l. l. Bentl. ad Hor. epp. I, 5. 12. Perfecerunt interpolationem codd. M 9. 11. Sg 1. *quid didicisse iuvat nisi* etc., vel Sg 2. *quid didicisti nisi*. *qui* R 2, ut dedit Hauthal. — *fermentum*. adscr. Cort. Fabric. l. Plin. XV, 19. Gatak. advers. p. 351. — v. 24 sq. *et quae — caprificus* l. Prisc. VI, 10 p. 701. — *semel* in rasura P 5, qui habuisse videtur *simul*, quod est in R 1, ut voluit Casaub. et in cod. Hamb. Prisc. l. l. inveniri testatur Cort. ad Luc. VI, 756. $\bar{q}$ *scelus intus* M 9. — *inter* G. *int'er* (h. *intus est*) W 2.

v. 25. est om. Bs 2. — *rupto iec. ex. capr.* l. Sosip. Char. I p. 66.

v. 26. *Heu* em. Burton in notis vers. angl. subiectis. — *et moles* P 6. — v. 26 sq. *usque—alter* l. Quint. I. O. IX, 3, 42.

v. 27. Augustin. ep. 118 (56) t. II p. 249 Ben.: *Tunc, o Dioscure, nec Persium tuum respicis insultantem tibi contorto versiculo sed plane puerile caput, si sensus adsit, idoneo colapho contundentem atque coercentem: Scire — alter. — Sc. t. n. e.* l. Schol. Hor. epp. I, 17, 34. — *ni* L. *nisi* om. M 8.

v. 28 l. Prisc. XVIII, 4 p. 1130; 25 p. 1197, qui utrobique *sed* habet. *et ϱ. ad* Mp. — *est* om. B 5. cod. Lips. Prisc. — *bonum* omnes codd. Prisc. XVIII, 4, altero loco nulla varietas.

v. 29. *ditata* B 5. P 4. *dicata* P 5. v. 30. *pendes* R 1.

v. 31. *Remulidae* Br 1. — *satiri* P 6. *satyri* M 5. P 1. *satuli* Mp. — *quis — narret* Mp. — *narraet* B 1. *narrant* Br 4. M 11.

v. 32. sqq. Hieronymus ep. XLVII (X) t. IV, 2 p. 556 Ben. de femina loquens ita affert: *Hic aliqua — locuta, perstrepit ac ten. suppl. v. palato. — circa* A. Br 1. 3. 4. 6. Erl. F 1. 2. G. M 1. 3. 7. 11. Mp. P 1. 6. R 1. Sg 1. T. Tr. — *et ianthina* C. *iantina* M 10. *α* 3. 5. 6. *iacinthina* suprascr. *ianthina* Sg 1. *amethystina* coni. *δ*. — *lana* M 2. *lina* G. — *est* om. B 5. E. M 8. P 4.

v. 33. *randiculum* B 3. — *quoddam* Br 2. Bs 2. *quidtam* M 1. *quicquam* P 1. — *balua* (sic) *de nare loc.* l. Cassiodor. orthogr. p. 2304 P. — *de b. n.* M 6.

Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, ac tenero supplantat verba palato.
Assensere viri: nunc non cinis ille poetae
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae: nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violae? „Rides,“ ait, „et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse, et, cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec tus?“
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,

v. 34 sq. l. Prisc. VIII, 6 p. 800. Eutych. de disc. coni. II p. 2182 P.
v. 34. *perphylidas* A. *ysiphilas, isiphil., hisiph.* multi codd. — *vanum* Br 5 (suprascr. *vatum*). M 9. *π. votum α* 3. *varium α* 6. — *explorabile* M 8. *vat. probabile* Bs 1. *aut pl.* Eutych. l. l.
v. 35. *aliquid* P 4. — *a ten.* B 3. 5. *δ. at ten.* W 2. *et ten.* Br 1. 2. 4. 6. Bs 2. C. Erl. M 3. 5. P 1. et Schol. Hor. Sat. II, 3, 274. Epp. II, 1, 126. *ac ten.* ceteri codd. *β. ϱ.* Prisc. Eutych. l. l. — *subplanat* M 6. *supplantet* R 1. Sg 2. — v. 34 et 35 transp. Br 2.
v. 36. *adsens.* M 7. Mp. Tr. — *nun non* A. *non nunc* Bs 1. P 3. 7. *num nunc* B 3. 4. Br 4. Bs 2. Erl. *nunc nunc* Br 3. Mp a 2 m. P 4. 6. T. W 1. *β. nunc nonc* P 5. *nunc nun* H. P 2. *nō ōnc cinis cinis i. p.* B 5.
v. 37. *nun lev.* H. P 2. *num lev.* B 3. 4. 5. Br 3. 4. Bs 2. C. Erl. P 6. Sg 1. *γ. nunc lev.* T. *non l. nunc ϱ.* — *imprimet* M 3. P 6. Sg 1. *imprimat* M 4. 8. V. *comprimit* M 6. W 1.
v. 38 sq. l. Schol. Hor. Epp. I, 19, 6. *nunc non e man. ill. nase. viol.* l. Serv. ad Virg. Aen. III, 63 omisso vs. 39. — *laudabant* G. — *non nunc* P 3. *n̄ nunc* B 5. *num nunc* B 3. Bs 2. Sg 1. *nunc num* Br 3. *nunc nun* P 2. *nunc nunc* P 6. T. *num non* M 9.
v. 39. om. M 3. Serv. l. l. et spurium iudicat Roenig. — *non nunc* B 5. M 2. P 3. 6. *num non* M 9. *num nunc* B 3. Bs 2. Sg 1. *nunc nunc* Bs 1. R 2. T. — *de tum.* Br 3. — *defort.* D.
v. 40. *rides cur et* G. M 11. — *minus* (corr.) G. *m̄s* M 10.
v. 42. *et c. d. loc.* l. Isidor. Or. XVII, 7, 33. Serv. ad Virg. Aen. VII, 178, qui l. *locuti.*
v. 43. *n̄ sc.* B 5. — *tus* B 1. P 1. 3. 4. 5. Mp. *ϱ.* alii. *Thus* scribendi rationem improbat Sos. Charis. I p. 58, antiquiorem dicit Serv. ad Virg. Georg. I, 57. Aen. VI, 3, eamque in lapidibus praesertim antiquioribus inveniri testatur Marini, frat. Arv. I p. 337 sq. Apud Virgilium, ut hic, codd antiquissimi *tus* habent, cf. Wagner, orthogr. Verg. p. 476.
v. 44. *es* om. D. — *fas est* P 6. Mp. Tr. *δ. fas est vl. feci* P 4. *feci* (suprascr. *fas est*) P 7. W 1. *cepi* Sg 2.

Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando haec rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum, et *belle;* nam *belle* hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Atti
Ebria veratro? non si qua eligidia crudi
Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis

v. 45. *conscr.* P 1. — *extat* M 6.

v. 46 om. B 3. 5. F 1 (a 2 m. add. in marg.). P 6 (suprascr.). vs. 46 et 47 transp. Bs 2. M 1. 3. 11. Mp. R 1. ϱ. v. 46 spurium iudicat Sinner. — *quamquam* coni. Scoppa collectt. II, 12. — *hoc* Br 5. M 7. 9. ε. — *est* om. P 7.

v. 47. Augustin. ep. CCXXXI t. II p. 636 Ben. *neque enim mihi, ut ait quidam, cornea fibra est.* — *nec* B 3. Br 5. Bs 2. M 1. 2. 3. T. — *mihi* om. Mp. — *est* om. M 1. 2. 3. P 7. serius add. M 7.

v. 48. *set* B 5. — *fin. recti* P 2. — *extremum esse* Br 2. M 8.

v. 49 l. Prisc. XVIII, 30 p. 1210. vv. *euge t. et b.* l. Prisc. XVIII, 25 p. 1197. — *Suge* B 5. δ. — *et* om. A. B 3. Br 3. F 2. L. M 1. 2. 3. Prisc. p. 1210. — *et tuum belle* M 10. *et belle tuum* P 2. — *bellum* M 8. P 6.

v. 50. *qui* Mp. *quod* A. L. M 11. P 7. — *habent* F 2. V. — *n. est hic* A. Br 4. Bs 1. G. M 11. T. — *Atti* B 1. Erl. M 6. Mp. P 1. 3. 4. 5. V. W 1 (e corr.). 2. *Attii* ϱ. *Acti* D. F 2. P 6. *Accii* B 4. *Acii* B 5. P 2. *Acci* cett. codd. Eadem varietas ubique invenitur, et de recta scribendi ratione VV. DD. in diversas partes abierunt, cf. Weichert. de L. Vario p. 9. Apud antiquos utrumque nomen in usu fuisse *Attius* et *Accius* docent inscriptiones. Ita apud Oliverium (Marm. Pisaur. p. 56 sq.) exstant tituli eodem loco, Pisauri, reperti: C. ACCIVS. T. F. CAM (n. 130); T. ACCII PISAVR CINERES (n. 131); M. ATTIVS. REPENS. MAGISTER. VICI, et utriusque nominis exempla e lapidibus facile possunt cumulari. Ita habes P. ACCIO AGATHINO apud Marin. fr. Arv. p. 712. L. ACCIVS. TERENTVS apud Cardinal Iscr. ant. ined. n. 301, M. ACCIVS M. F. apud Romanell., ant. topografia istor. del regno di Napoli t. I p. 423. Nam *Attiorum* sane multo frequentior mentio est. Itaque quod docet Marius Victor. art. gr. I p. 2457, per duo *t* scribi *Attius, Vattius* et similia, non potest probare hanc unam et veram esse orthographiam, quod hic ipse significat. Quae cum ita sint, optimos codd. secutus sum. *Actius* autem e prava seriorum librariorum consuetudine ortum est. — *Quid numnam int. hab.? non hic est, si Il. A.* coni. Nasser.

v. 51. *veratro,* a 2 m corr. *vo* B 1. *vor.* P 3. *verrato* Br 1. M 1. — *eligidia* B 1. 3. 4. D. *elegida* Br 2. H. M 6. *eligiola* L.

v. 52. *ructarunt* coni. Lubin. prob. Guyet. — *quid quod* γ. *si quid* ε ut coni. Nasser.

Scribitur in citreis? — Calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et, *Verum*, inquis, *amo, verum mihi dicite de me.* — 55
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,

v. 53. *scribunt* H. — vs. 53 sq. *calid.* — *lac.* l. Schol. Hor. epp. I, 20, 38. Io. Sarisb. III, 7. vv. *cal. sc. p. sum.* l. Schol. Hor. epp. II, 3, 426.

vs. 54 l. Serv. ad Virg. Georg. III, 199. — *lucerna* M 3. — H. vs. Soler. de pileo c. 13 p. 274 ita affert: *Scis comitem byrrhi tetra donare lacerna,* quasi vulgata lectio sit.

v. 55. *vere mihi* B 3. — *dicito* B 3. 5. Br 2. 3. 4. 5. 6. F 2. H. M. 7. 9. 10. 11. R 2. Sg 1. 2. T., quod ab eo potuit rescribi, qui Persium solum colloqui cum isto nimis stricte reputavit.

v. 56 sq. l. Prisc. VI, 12 p. 708. Hieronym. adv. Iovin. II, t. IV, 1 p. 214 Ben. vs. 56 l. Prisc. XV, 2 p. 1009. Serv. ad Virg. Aen. X, 481. vv. *Qui pote v. dic. nug.* l. Diomed. I p. 381 P. — *quid* G. M 8. P 2. ϱ. — *potes* Bs 2. G.

v. 57 l. Petr. Bles. ep. 85. — *protenso* Mp., et ita legisse videtur Hieronymus, qui quod dixit (c. Iovian. II, t. IV, 2 p. 214 Ben.): *protensus est aqualiculus,* sine dubio ex nostro loco sumsit. *protento* Prisc. VI, 12 p. 708. Videtur hoc sane fortius quam *propensus,* quod in ceteris codd. legitur. — *exstat* A. B 3. Bs 1. 2. F 1. G. H. L. P 2. 6. R 1. β. Petr. Bles. l. l. Post *exstet* signum interrog. posuit Marcil.

v. 58 l. Eutych. de disc. coni. II p. 2184. Schol. Inv. Havn. IV, 1 p. 590 Cr. — *o* om. M 8. — *quoi* (i. e. *cui*) em. Corn. Val. a Vonck, syll. obss. critt. et etym. c. 3 in Actt. Acad. Theodoro - Palatinae I p. 169 sqq. — Diomed. I p. 370 P.: *Piso, pisas et est apud Persium ambiguum a tergo pisat an pisit legendum sit; sed apud veteres reperimus etiam n litteram additam pinso quod est tundo* etc. Ita legitur apud Putschium eodem fere modo, quo ex membr. vett. restituit Scioppius, Suspectt. lectt. I, 16, nisi quod is legit: *ambiguum a tergo pisat an pinsit leg.*, ut veterum, Ennii maxime, exemplo formam *pinsit* tueri putandus sit, cum *pisat* magis ex usu seriorum scriptum visum sit, quam formam etiam ex vett. glossis B. Germani: *pisat, πτίσσει* probat Scioppius (v. Gloss. H. Steph. p. 162). Neque tamen locus ita sanatus est, nam Diomedes eo loco exempla attulit verborum, *quae ex una positione diversos sortiuntur declinationum ordines et sensus*, non potuit igitur coniungere eadem ratione *piso* et *pinso*. Totum locum multo pleniorem ita affert Casaub. ad h. l.: *Pinso, pinsas, pinsare; pinso, pinsis, pinsere; vel piso, pisas, pisare; pisis, pisere: est apud Persium ambiguum, O Iane a tergo, quem nulla ciconia pinsit, pinsit an pinsat, vel pisat aut pisit legendum sit; sed apud vett.* etc. Haec vero misere interpolata esse videntur. Alia etiam apud Diomedem invenisse videtur Ob. Gifanius, coll. Lucr. s. v. *lavere*, cum dicat contendere grammaticum *pinsat* scriptum reliquisse Persium, quod et ipse pro-

Nec manus auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Apula, tantae!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae!
„Quis populi sermo est?“ Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno;
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.

bat. *Pinsit* disertis verbis agnoscunt Eutych. l. l.: *Viso, visis et pinso, is tertiae coniugationis sunt, ut Pers.*, Serv. ad Virg. I, 179: *Pinsere autem dici Persius probat,* et codd. consensus, quorum vulgari errore *pinxit* B 3. 4. 5. Br 5. Bs 1. D. G. L. M 9. P 1. 6. 7. R 1. 2. β. γ. Schol. Iuv. l. l., quod verum habuit Guyetus, ut dictum sit pro *punxit*, ut legit δ.

v. 59. *et man.* B 5. — *imitari* B 1. Vat. „optimae membranae Leidenses“ apud N. Heins. Advv. I, 3 p. 26 sq. epp. ad Graev. 357, t. IV p. 432, qui probavit, ut Graevius ib. ep. 358 p. 434 sq. G. Pinzger. Jen. Littztg. 1822 n. 198 p. 125. Ceteri codd. *imitata est.* — *nobilis* B 5. — *altas* W 1. ut dedit Reiz.

v. 60. *tantum s. c. A. quantum* B 3. 5. Br 4. M 1. 3. P 6. Sg 2. — *Apula* B 1. 3. 5. P 1. 5. et multi alii codd., ut ex auctoritate inscriptionum optimorumque codd. scribendum est, non *Appula.* Cf. H. Peerlkamp. ad Hor. c. III, 4, 10 p. 262. — *tantae* B 1. Br 1. 2. M 5. Mp. P 3. 4. W 1. 2. δ. ϱ. *tante* P 1. R 1. 2. *tante* (corr. in *um*) F 1. M 7. *tantae* (suprascr. *um*) P 5. *tantum* cett. codd. *tentae* coni. C. Barth. Advv. Mss. CLI, 22 (in bibl. regia Havn.).

v. 61 l. Iul. Rufin. p. 252. *Quos patr.* M 1. 2. 3. *ovos* p. Bs 1. P 7. — *ius est* B 1. 5. M 3. 6. 8. 9. P 5. W 2. *ius* suprascr. *fas* W 1. *ius* in mg. *fas* V. cf. Cort. ad Lucan. I, 360.

v. 63. *sermo pop.* B 3. — *est* om. H. M 1. — *quid enim* Erl. M 7. W 1. α 6. *quis est nisi* A. *quisnam* α 7.

vs. 64 sq. l. Schol. Hor. Sat. I, 5, 32. *fluere num.* E. *effluere* A. Br 5. C. Erl. F 2. H. L. M 2. P 6. α 5. 6. *lene* F 2. P 4. Sg 1. 2. Tr. φ. *severo* Vat.

v. 65. *efund.* B 5. *etfundat* Vat. i. e. *ecfundat,* cf. Schneider gr. lat. I p. 561. v. ad V, 136. — *scis* B 3. M 1. 3. *sic* M 4. — *versus* B 3. Sg 1. *vaesis* Vat.

v. 66. *dirimat* B 5. *derigat* Mp. *diregat* Marcil. — *s. atque o. r. dirigis u.* Guyet.

vs. 67 sq. *sive—dicere* l. Prisc. XVIII, 23 p. 1173. *et* B 1. 3. 4. Br 2. 6. E. Erl. M 3. 5. 6. 8. P 2. 5. *et* suprascr. *in* Bs 1. *an* C. ut coni. Passow. Ceteri *in,* etiam Vat. ε. φ. Prisc. l. l. *seu luxum et prand.* coni. Pinzger in Jahn, N. Jbb. VIII, 3 p. 297. Zeitschr. f. Alterthw. 1835 n. 32 p. 358 sq.

Post vs. 68. transponendos censet Achaintre vs. 61 sq.

Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia faeno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor,

v. 69. *heroos* α 1, ut coni. Casaub. et Passow. *heroum* Burton. — *adferre* Vat. — *docemus* A. B 1. Br 1. F 1. M 1. 2. 4. Sg 2.
v. 70. *graeci* Vat. *grate* P 6. — *lucus* Sg 2. *lucos* Br 2. C. α 2. 3. δ. *lucrum* M 4. P 6.
v. 71. *satirum* P 6. — *corbis* Vat.
v. 72. *fucus* B 1. — *pallia* B 5. *papilia* P 6. *parilia* Br 1. M 5. Hanc formam solam probant Probus ad Virg. Georg. III in. Mar. Victor. I p. 2470, et exhibent calendarium Maffaeanum et optimi codd. Ovid. Fast. IV, 721, cf. Merkel p. XLVII, item omnes, quos contuli codd. Censorini de die nat. 21, in iis vetustissimus Coloniensis olim, nunc Darmstadiensis. Cf. Drakenb. ad Liv. XL, 11, 1. Contra etiam formam *Palilia* apud antiquos in usu fuisse docet Charis. I p. 43 et Varro L. L. VI, 15 qui a Pale dea derivat, et vestigia eius in fastis Praenestinis animadvertisse sibi visus est Fogginius p. 56. Quare nihil mutavi, praesertim cum a perpetua litterarum *l* et *r* in enuntiando confusione, qua Itali hodierni gaudent, nec antiquos fuisse alienos, multa doceant. — *faeno* Vat.
v. 73. *tenens* Vat. — *Quinti* B 1. 3. 4. M 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7 et plerique alii, quos secutus sum, cum utrumque praebeant lapides et nummi, *Quinctius* et *Quintius*, et codd. ubique varient; cf. Drakenb. ad Liv. I, 30, 2. Schneider, gramm. lat. I p. 451. Alterum probat Niebuhr (Rhein. Mus. I, 3 p. 227.) *Quintus* B 5. F 1. φ.
v. 74 sq. l. Io. Sarisb. VI, 2. Codices hic duplicem monstrant lectionem. *Quem — dictaturam induit* A. B 4. Br 3. 4. 5. Bs 1. C. E. Erl. F 2. G. L. M 2. P 2. 7. T. W 1. α 4. 5. 6. 7. δ. eamque lectionem habet etiam Io. Sar. l. l. Corruptum inde est *quem—dictaram* Sg 2, et ex eadem ortum *quem — dictatura induit* Br 3. Bs 2. γ. leviterque corruptum *quem — dictura ind.* Bs 1. et *cui— dictaturam induit* P 1. Alteram lectionem praebent codd. numero quidem pauciores, sed antiquitate graviores. *Cum — dictatorem induit* B 1. M 4. 6. 7. Mp. Leidensis apud N. Heins. ad Ovid. Met. VI, 629, quod ita interpolatum: *cum — dictatorem te induit* M 5. Iam utraque lectio in aliis codd. dupliciter coniuncta atque confusa est. *Quem — dictatorem ind.* Vat. R 1. 2., idque probavit Σ in Heidelb. Jbb. 1814, 1 p. 485 sq., idem olim exstabat in P 3. 4, ubi postea in *dictaturam* immutatum est. Quod in P 2. legitur *quem— dictatoram* anceps est. Contra *cum — dictaturam ind.* Br 6. D. F 1. H. M 8. 9. 10. 11. P 5. Sg 1. Tr., unde corruptum est *cum — dicturam ind.* M 1. 3. P 6, et paullo mutatum *cum — dictatura* W 2. Considerandus autem locus Sidonii Apollinaris, qui aperta imitatione nostrum expressit, carm. VII, 382 sqq.:

Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta! 75
Est nunc, Brisaei quem venosus liber Atti,

Sic quondam ad patriae res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cum te induit uxor
Ante boves trabeam, dictatoremque salignae
Excepere fores etc.

Verum cum Persii audaciam detrectans immutaverit quaedam Sidonius, non tantae nobis est auctoritatis. Id certe perspicuum est, agnovisse eum insolitam structuram *induere aliquem aliquam rem*, quam in lectione *quem—dictaturam induit* quomodo corrigere studuerint librarii, iam vidimus, cuius tamen aliud exemplum frustra quaesivi. Ipse igitur pro humiliori, quod posuit, *trabeam*, videtur legisse *dictaturam*. At utrum *quem* an *cum* in Persii exemplo legerit, non potest definiri. Nam si *cum* invenit, potuit eodem modo, quo librarius codicis M 5, *te* pronomen ad maiorem perspicuitatem addere; sin scriptum fuit *quem*, potuit commode in locum pronominis reponere *cum te*. Quod si quis non nimis credulus sit, poterit negare ex loco Sidonio quicquam concludi posse ad tuendam lectionem *dictaturam*; nam cum *dictatorem induere* nihil aliud sit, nisi *vestem induere dictatoriam*, recte eum hanc ipsam trabeam posuisse, quo omnis Persianae audaciae nota deleretur. Utut est, mihi codd. optimorum auctoritas potior est quam ambigua imitatio, et cum N. Heins. l. l. proposuerit aut *quem — dictatore ind.* legendum, aut *cui — dictatorem ind.*, hoc posterius verum mihi esse videtur. Nam est sane pronomen relat. aptius quam part. *cum*, et potest causa intelligi, cur offenderint tamen eo librarii. Scilicet pronomen relat. et mox pron. poss. ad vocativum *Quinti* relatum inconcinnum iis videbatur (quod tamen exemplis aptis defendi potest, cf. Madvig. ad Cic. de finn. I, 12, 42), itaque diversis modis hoc correcturi partim praecedenti vs. *Quintus* scribebant, partim nostro pron. relativum, partim seq. vs. pron. poss. immutabant. Sed cum explicari tamen possit part. *cum*, ne sine necessitate coniecturae locum dedisse dicar, intactam reliqui.

v. 75. *et cum ar.* B 1. M 4. 8. W 1. *et cui* V. prob. Cort. ad Luc. VIII, 188. *et tui* D. *et sua* corr. F 1, in quo perfecta interpolatio: *Quintus, cum induit uxor, et sua aratra tulit lictor.* — vs. 73—75 spurios censet Guyet.

v. 76. *Brisei* B 1. Vat. et omnes fere codd. *Βρισαῖος* iusta forma est, cf. Etym. M. v. *Βρίσαι. Βρισαῖος.* Steph. Byz. *Βρίσα. Briseus*, ut est apud Macrob. Sat. I, 18, exstat in inscriptione Smyrnensi (apud Cuper. Harpocr. p. 286 sq. Murat. 559, 3): *ΤΟΝ. ΒΡΕΙΣΕΑ. ΔΙΟΝΥΣΟΝ. Bresaei* B 5, atque revera haec quoque forma in titulis Smyrnensibus invenitur (v. Boeckh. C. I. II p. 72), et a grammaticis affertur, cf. Etym. M. s. v. *Βρισαῖος.* Hesych. *Βρησσαῖος. Brysaei*, quod in paucis codd. legitur, ut R 1, ex solita litterarum *i* et *y* confusione ortum esse videtur, quamquam facili etymologia a. v. *βρύειν* deducendum multis VV. DD. se commendavit; apud Graecos auctores tamen non invenitur. *Briseis*, *quem et* coni. Scoppa collectt. I, 34, et id exhibet P 1, si modo collationi, quae ad Koenigii editionem facta tacet, fides habenda est; in W 1, de

Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter?*
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
Librat in antithetis; doctas posuisse figuras
Laudatur: *Bellum hoc!* Hoc bellum? an Romule ceves?

quo dubitavit Orellius, *brisei* scriptum esse, disertis verbis mihi enotatum est. Revera exstat *Briseis* in cod. Vatic. n. 5390, chartaceo, saec. XV vel XVI, hac nota addita: *Briseis leg. et non Brisei, ut malunt alii intpp.; manifesta est enim sententia poetae, qui Pacuvii Antiopen audientes taxat, sic etiam epos Q. Accii Briseidem, quod constat fuisse duro stilo, lege Gellium de iudicio Pacuvii ac Martial.* In eandem igitur coniecturam alius quoque V. D. incidit. Probarunt eam autem permulti, refutavit nuper Welcker. Griech. Tragoed. p. 1395, qui p. 1566 sq. mira Ad. Schoellii eam probantis commenta (Beitraege I p. 470) reiecit. — *quam* Mp. — *venenosus* A. Br1. *naevosus* coni. et ipse improb. Turneb. Advv. XXVIII, 26. *vinosus* coni. amicus quidam.

v. 77. *si quos* M8. — *Pacuius* Vat. *Pacuvius et* B1. 3. G. M4. 6. 8. R1. *que* eras. M7. *paucisque* P6. *varicosa* α7 — *morentur* B5. *moratur* Tr.

v. 78. *Antiope* Vat. — *victif.* M3.

v. 79 sq. *hos—vid.* l. Schol. Hor. Sat. I, 3, 25. v. 79 l. Serv. ad Virg. Aen. IV, 331. X, 689. — *mon. puer.* Br1. 4. C. M10. *h. m. patr. puer.* Br2. α3. — *pueri* P3. Serv. ad Virg. Aen. IV, 331. — *patris* Vat.

v. 80. *videras* M11. — *quaerisnec* P1. — *unum istud debeo* Bs2. *haec* om. T.

v. 81. *linguis* P4. — *lingas unum* B5. — *unde est ist.* P4. — *istuc* Vat. Tr. β. *istoc* P1. 3.

v. 82. *trosulus* A. B5. D. M11. *trosilus* B3. H. M9. — *exultet* F1 (in ras.). P7. γ. *exultam* P1. — *lenis* F2. L. M9. P6.

v. 84. *trepidum* B3. Br2. M2. W2. α2. 4. 6. ut voluit Cas. Koenig et dederat Murmell. *lepidum* vel *crebrum* coni. V. D. in Neue Allg. Deutsche Bibl. CIII, 2 p. 399.

v. 85. *ais* G. — *Pedio quid* B5. — *carmina* Br4. Erl. α2. 4. 6.

v. 86. *antidotis* M6. P6. — *doctus* coni. Scalig. Guyet. Monti. — v. 86. om. F1 (in mg. add. a2 m.) P5 (in mg. add. a1 m.).

v. 87. *laudatus* B1 (ab eadem m. in *r* mut.) Mp. Tr. — *bellum hoc bellum an* B1. Br3. Mp. Tr., quod docet scribendum esse *bellum*

Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
„Sed numeris decor est et iunctura addita crudis;
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis*,

hoc, hoc bellum, an, ut est in Br 5. F 1 M 5. 9. Librarii cum semel scriptum invenirent, quod bis ponendum erat, defectum emendare conati sunt addendo v. *est*, quod pro lubitu addunt et omittunt. Suprascriptum hoc est in W 1, verum *bellum hoc, bellum est an* A. B 3. 4. 5. Br 2. 4. Bs 1. 2. D. E. Erl. F 2. G. H. L. M 1. 2. 3. 4. 6. 11. R 1. 2. Sg 1. 2. α 1. 2. 3. 4. 5. 6. γ. ϱ. β. *bellum hoc hoc est* (alter. *hoc* del. et *bellum* suprascr.) M 10. Alii *bellum hoc* repetiverunt, itaque *bellum hoc, bellum hoc an* Br 1. 6. C. M 7. 8. P 2. 7. T. — vv. *an Rom. cev.* l. Val. Prob. cathol. p. 1484 P. Claud. Sacerd. a. gr. II, 121; et 146., ubi cod. *cevis*.

v. 88. *menus* P 1. prave intellecto apostrophi signo, quod etiam *us* significat. cf. v. 119. V, 146. — *moveatur* M 6. *moneat* Mp. P 1. *et si cant.* B 5. E. M 2. α 7. *ut cant.* P 6. *et* om. Br 2. *certe cant.* M 2. *cantat* Br 2. M 5. *cantorum* M 6. *si* om. C.

v. 89. *protulero* δ. *pculero* B 5. — *in* om. B 3. T.

v. 90. *umero* B 1. M 7. Vat. — *portaes* B 1 (i. e. *a* litt. del.). *portas* Br 2. M 9. P 6. ut coni. Wagner. — *ptum* (*p* lineola subtus transfixo) Bs 1. *patum* B 3. M 10. — vs. 90 et 91 transp. B 5. vs. 90 om. Br 4.

v. 91. *incurvare* T. — *querella* Vat. cf. Schneider gr. Lat. I p. 414.

v. 92. *numerus* H. — *abdita* Br 2. P 6. — *cruris* Vat. Comma quod vulgo post *est* ponebatur, delendum docuit Madvig. opp. p. 62. Meister, über Pers. I, 92 — 106 (Frcf. 1801. apud Beck. com. soc. phil. Lips. II p. 103 sqq.), ita dist.: *sed num. dec. est; et iunct., add. crud., cl. sic vers. did.*

v. 93. *did. vers.* A. Br 1. 4. 6. Erl. F 1. 2. G. H. L. M 4. 8. 11. P 2. 5. α. — *versus* D. — *atys* Br 4. C. H. M 5. Sg 2. W 1. 2. α 3. 4. *athys* Br 2. *atis* A. B 5. Br 3. D. F 2. M 1. 3. 11. Sg 1. T. *acis* E. *athis* Br 5. 6. Bs 1. 2. Erl. G. M 2. 8. 9. 10. P 2. α 2. 5. 6. *attis* B 4. F 1. M 4. 6. 7. Mp. P 1. 3. 4. 5. 7. R 1. Tr. V. Vat. β. *actis* R 2. *artis* P 6. *atthis* B 3. *attin* B 1. Br 1. L. Ex his formis, quarum plerasque ad Liv. I, 3, 8 Drakenborchius e codd. enotavit, tres tantum in censum venire possunt, *Atys, Attis, Attin*, cf. Salm. exerc. Plin. p. 51. Quarum prima hic in paucis iisque recentioribus codd. invenitur. *Attis, Attidis* autem aeque in usu fuisse atque *Attin, Attinis* docent inscriptiones, cf. Orelli Syll. n. 1900. 1901 et n. 1898. 1899. 1902 sqq., et testatur Serv. ad Virg. Georg. I, 162, qui tamen formam in *in* praefert. Prisciano VI, 5 p. 690, qui et ipse docet omnia in *in* desinentia etiam in *is* productam finiri, N. Heins. ad Ovid. Her. IV, 67 nostrum *Attis et Attin* pro *Aris et Arin* restituit. Quae cum ita sint, recepi quod plerique codd. suadent.

Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin,*
Sic: *costam longo subduximus Apennino.*" 95
Arma virum! nonne hoc spumosum, et cortice pingui,
Ut ramale vetus vegrandi subere coctum?
„Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
„*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,*
„*Et raptum vitulo caput ablatura superbo* 100
„*Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis*
„*Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.*"

v. 94. *ut* coni. Wagner. — *delphi* B 1. *delphim* M 7 (corr. in *in*) Sg 1. *delfim* P 6.

v. 95. *sic* om. Mp. *si* P 1. 3. R 1. ε. *sic os tam* cod. vet. Vindobon. teste Io. Vadiano in epist. ad R. Agricolam Pomponio Melae praemissa, 3 codd. teste eodem in nota ms. ad marg. edit. Ald. apud Breitinger. p. 405, qui coni.: *sic nos tam.* — *Appenn.* B 1. D. M 5. 8. Mp. P 1. 6. Fortasse ex fide inscriptionum scribendum *Apeninus,* cf. Schneider gramm. Lat. I p. 423.

v. 96. *numne* B 3. M 2. — *sp. hoc et* B 3. *nonne est sp. et c. p.* W 2. — *spinos.* D. *hoc non rugosum* coni. Koenig. *in cort.* H. *e cort.* Mp.

v. 97 l. Serv. ad Virg. Aen. XI, 552. Schol. Hor. Sat. I, 2, 129. vv. *ut ram. vet.* l. Serv. ad Virg. Georg. IV, 303. — *ranale* M 5. — *vegrandi* Br 4. 6. M 5. Sg 1. Serv. l. l., ut etiam ex corruptis quorundam codd. lectionibus apparere videtur, Schol. Hor. l. l. *pergrandi* M 9. *praegrandi* codd. cett. prob. Bentl. ad Hor. Sat. I, 2, 129. *de grandi* coni. König. — *tubere* coni. Meister. l. l. p. 109. — *tectum* P 2. — v. 97 spurium censet Guyet.

v. 98. *quid nunc* P 6. — *et* om. D. — *lapsa* B 5. G (e corr.). *lassa* E. R 1. δ. — *leg. est* A. F 2. G. H. L. Sg 1.

v. 99 l. Schol. ad Stat. Theb. IV, 669. Diomed. III p. 498 haec habet: „Teretes sunt (versus), qui volubilem et cohaerentem continuant dictionem, ut: *Torva Mimalloneis inflatur tibia bombis,*" ubi sine dubio n. vs. in animo habuit. — *Mimallonis* D. G (ex corr.). Mp. — *T. mimalloneos impl. c. bombos* l. Scalig. ad Catull. LXIII, 1. *t. m. inflarunt c. b.* coni. Passeratium refert Breiting., at ille ad Catull. LXIV, 263 p. 58 h. l. laudat ut vulgo legitur. *t. mimalloneos efflerunt c. bombos* coni. Hagenbuch apud Breiting. p. 409. — „*bombis al. bacchis*" Lindenbr.

v. 100. *sectum* C. Erl. Sg 1. V. α 2. 4. 5. 6. δ. prob. Breiting. l. l. p. 411. cf. Cort. ad Luc. II, 112. *sertum* Br 1. *raptim* em. Marcil. — *adlatura* coni. K. F. Heidelb. Jbb. 1814, II p. 1032 cl. Stat. Theb. XI, 320. — „*ut: rumptumque caput vitulo obl.* alius." δ.

v. 101. ut Neronis affert Mythogr. Vat. III, 12, 2. vv. *bass. et lync.* l. Schol. Hor. carm. I, 18, 11. v. *maenas* e Persio l. Claud. Sacerd. a. gr. II, 19. — *lynceis — corymbeis* Marcil.

v. 102. *euhion* F 1. G. M 1. 3. 4. 6. 7. P 5. Vat. β. prob. Wagner orthogr. Vergil. p. 435. *euchion* A. B 4. 5. D. H. M 8. P 4. *euthion* P 2. *eu-*

Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris; et in udo est Maenas, et Attis:
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.
„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Littera.“ — Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. Euge! omnes etenim bene mirae eritis res.
Hoc iuvat; *hic*, inquis, *veto quisquam faxit oletum!*
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra

chyon P 6. *heuion* P 3. *heyion* P 1. *heuchion* M 2. 9. Haec exempli causa annotavi, ut quasi quadam tabula monstrentur diversae scribendi rationes; cf. Lobeck. Aglaoph. p. 1043 sq. Illud addo, in W 1. voc. *euhion* suprascriptum esse *fili*, v. Schol. — *ingemino* coni. Marcil. — *resonabilis* φ.

v. 103. *venulla* Vat. Septimius Severus in epistola apud Spartian. Pesc. Nig. c. 3 hunc locum ita usurpavit: *Haec, si ulla vena paternae disciplinae in nobis viveret, fierent?*

v. 104. *vobis* M 11. — *summe* Mp. *summa et* V.

v. 105. *in* om. C. — *est* om. B 3. Bs 1. 2. — *Attis* v. ad v. 93. — *labris ieiuno; et M. et A. nec pl.* etc. em. Koenig, vel potius vs. 105 spurium iudicat.

v. 106 l. Quint. X, 3, 21. Schol. Hor. Sat. I, 10, 71. — *derosos* coni. N. Heins. Advv. p. 682.

v. 107. *set* B 5. M 7. — *tundere* (suprascr. *ra*) M 1. *rodere* Br 5. φ. — *versu* Bs 1. γ.

v. 108 sq. *vide—frig.* l. Schol. Hor. Sat. II, 3, 38. — *cave* (supr. *vide*) B 5. δ. *sis* om. Mp. *videas* em. Schrader. Emendd. p. 218. — *nec* C. Sg 1.

v. 109 sq. *son.* — *litt.* l. Append. ad Probi art. min. 27. — *haec* G. R 2.

v. 110. *per — alba* l. Serv. ad Virg. Aen. I, 576. — *quidem* C. P 4. — *sunt* M 3. P 2. 6.

v. 111. *omnes omnes bene* Br 1. H. M 3. 5. 6. 7. P 1. *euge omnes b.* Bs 2. — *etenim* in ras. M 4. — *mirae* om. M 3. — vs. 111 spurium habet Guyet.

v. 112. l. Prisc. IX, 10 p. 872. X, 1 p. 876. vs. 112 sq. *veto—locus* l. Schol. Maii in Virg. Aen. V, 95. *quicquam fuxat* cod. Paris. 8072, quod Perreau in edit. Lemair. antiquissimam formam eius, quod est *fuat*, neque improbandum censet.

v. 113 sq. *pinge — meiite* l. Prisc. X, 1 p. 875. XIV, 3 p. 990. Serv. ad Aen. V, 85. vv. *pinge d. ang.* l. Mythogr. Vat. III, 6, 19. vv. *pueri—loc.* l. Isid. XII, 4, 1, ubi in vett. codd. *lucus* legi testatur δ, unde emendari posse: *pueri lucus sacer extra* putat Hauthal. — *pueris loc. e. sac.* M 2. *sac. e. p. loc.* Br 1. 5. C. Sg 2.

Meiite! — Discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas? nec clam, nec cum scrobe? —
„Nusquam.“ —
Hic tamen infodiam: *Vidi, vidi ipse, libelle:*
Auriculas asini quis non habet? — Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. — Audaci quicunque afflate Cratino

v. 114. *meite* B 4. L. M 7. 8. 9. 10. 11. P 4. 5. 6. 7. *melte* B 3. *miete* P 3. *mete* P 1. *meiete* D. G. *meie te* W 1. *megite* M 1. 3. *meicte* W 2. *mingite* B 5. F 2. M 2. Secundum Reisigium, Vorles. § 153 p. 255, *mingere* recentior forma est; ex Doederleinii sententia (Lat. Syn. VI p. 220) *mingere* locum habet, ubi simpliciter de naturali urinam faciendi officio sermo est, *meiere* ubi obscoene quis vel cum risu loquitur, quod verum videtur. — vs. 114 sq. *sec.* — *illis* l. Schol. Iuv. I, 155. — *Lucillius* Br 2. M 8. R 2. Sg 2, ut Graeci fere scribunt *Λουκίλλιος*.

v. 115. *o muti* M 1. *mutti* W 2. *multi* D. *muci* Mp. P 1. 2; et hanc scribendi rationem ex inscriptionibus et nummis probarunt VV. DD. Cf. ad Hor. epp. II, 2, 89. — *genium et fr.* H. — *fregit Iulis* coni. Dousa, comment. Horat. c. 9.

v. 116 sq. l. Io. Sarisb. prol. p. 3. III, 14. Schol. Hor. Sat. I, 9, 55. vv. *omne—tang.* Schol. Hor. Sat. II, 6, 43.

v. 117. *admissis* L. *ammissus* V. *β. amissus* M 2. P 3.

v. 118. *calidus* A. — *exterso* leg. Erasm. Adag. Chil. I Cent. 8, 22.

v. 119. *menus* P 1. cf. v. 88. — *mutare* (supr. *i*) B 5. *metire* (supr. *u*) P 4. — *nec usquam* A. *nec c. scrobe mussem?* coni. Schütz. opp. p. 324 sq.

v. 120. *nusquam* initio vs. repetit L. — *vidi hic vid.* Bs 1. Erl. P 3. Sg 1. *β. ϱ. φ.*

v. 121. *Aur. as. Mida rex habet* l. I. Sarisb. III, 12. Pet. Bles. ep. LIX, quod a Persio ita scriptum et a Cornuto in *quis non habet?* mutatum esse in vita narratur, cui fidem habuerunt praeter alios Bentl. ad Hor. carm. II, 12, 13. Buttm. Mythol. I, p. 331. *Quis non habet* in omnibus codd. exstat, idque alii, ut Passow, ineptum et ex interpolatione ortum censent, alii, ut Pinzger, Jen. Littztg. 1823 n 77 p. 131 sq., Ritter. spec. annott. p. 77, vere a Persio profectum putant: anceps iudicii videtur Weichert., poett. Latt. rell. p. 417 sqq. Equidem verum esse puto, quod in vita narratur, verum recipiendum, quod in edito post Persii mortem libro legebant Romani.

v. 122. *vendam* B 4. M 4.

v. 123. *aflate* B 5. *affate* P 1. *afflante* Erl. H. Mp. *β.* — *Cartino* L. *Carino* M 8.

Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere: *lusce!*
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas:
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Calliroën do.

v. 124. *Eupoliden* B 5. M 11. Mp (a 2 m). Tr. V. *γ*. — *praegnanti* coni. Nasser.
v. 125. *ad haec* M 6. *β*. *hoc* A. Bs 1. 2. D. L. M 11. Sg 1. — *si f. et haec dec.* B 3. — *audes* V.
v. 126. *unde* Br 1. 2. Bs 1. 2. C. D. Erl. Sg 1. 2. *α* 3. 5. *γ*. prob. Wagner.
v. 127. *nec* M 11. — *increpitas* B 5. P 2. *intrepidas* P 6. R 1. *in* om. M 7. R 2. — *graecorum* P 2. *gallorum* cod. Achaintr.
v. 128. *et* om. P 1. — *poscit* Br 2. Sg 1. *poscit* supr. *possit* P 7. *possit qui* R 1.
v. 129. *aliquid* „alii" apud Murmell. — *italoque* B 3. — *sopimus* P 1.
v. 130. *Arreti* B 4. G. H. M 4. 5. P 5. Tr., quae scribendi ratio cum in codd. plerumque inveniatur, cf. Drakenb. ad Liv. X, 37, 4, tum in inscriptionibus invenitur, cf. praeter Gruterianas in lex. Forcell. allatas, Gori Inscr. Etr. t. II p. 62, 189, 211, 288, 300 sqq.
v. 131. *in ab.* P 2. *abaci* Br 2. G. H. P 7. *apici* M 11. — *sectasque in* Passow. coni. et improb. ipse. — *in* om. B 3. Br 2. Erl. F 1 (eras.). P 1. 3. 7. W 1. *α* 4. *β* 2. — *facto* Grotefend. in Erschii et Gruberi encycl. s. v. ABC, t. I p. 53. — *docto* e. cod. *δ*.
v. 132 om. P 2.
v. 133 l. Schol. Ms. Iuv. XI, 181 apud Orell. ep. crit. ad Madvig. p. LIX. — *non alia* F 1. P 5. — *vellet* B 5 (supr. *a*). M 10. W 2.
v. 134. *calliroen* B 4. 5. Bs 2. 4. 5. alii. *caliroem* P 2. *callirohen* A. D. F 2. L. P 3. *calioren* R 1. 2. T. *Call. do.* om. Mp.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra:
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides! — haec clare et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, et sub lingua immurmurat: *O si*
Ebulliat patruus, praeclarum funus! et: *O si*

Satyrarum II ad Macrinum de vitae honestate F 2. *De modo orandi deos satyra II ad Macrinum* G. *Ad Plotium Macrinum de bona mente* π.

vs. 1 sqq. Censor. de die nat. 2: „Itaque *hunc diem,* quod ait Persius, *numera meliore lapillo,* idque quam saepissime facias exopto, et quod idem subiungit, *funde merum genio.*“ — Post vs. 1 interp. Hauthal., et vs. 2 cum seq. arcte coniungit.

v. 2. *labentis* Mp. — *apponet* M 6. 7 (corr. in *it*). 8. 9. W 2. β. ε. *apponat* corr. G.

v. 3. *si tu prece po ... amici* B 5. *poscas* M 11. *tu* om. F 1. *amaci* P 1.

v. 4. *quin* P 6. *quae non sed.* B 5.

v. 5 l. Schol. Lucan. II, 518, ubi *litabit. libavit* Br 5. L. M 1. P 1. 2. 6. Sg 1. 2. *litaut* (h. e. *litauit* supr. *libabit*) M 8. *libabat tac.* Br 2. *libabit* defendit Madvigius egregia disputatione de usu perfecti Latini ad res significandas, quae fieri solent, in disp. 2 de formarum quarundam verbi Lat. nat. et usu (Havn. 1836) p. 26 sqq.

v. 6. *haut* B 5. M 1. P 2. *haud etiam cuiv.* D. — *proprium* α 1.

v. 8. *hoc* H. *haec* om. M 8. — *dare* A. P 1. *date* C. — *et* om. Br 5. H. M 8. P 4. *ut* om. B 5. *et ut* om. Br 2. *ut et* M 3.

v. 9. *et* om. G. — *immurmurat* B 3. Br 1. 4. 5. C. E. Erl. F 2. H. L. M 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. Mp. P 3. 7. Sg 1. 2. T. *murmurat* cett. codd. β. prob. Hauthal. — vs. 9 sq. *o si – funus* l. Serv. ad Aen. VI, 187.

v. 10. *ebulliat* Erl. L. M 11. R 1. 2. W 1. cod. Ob. Gifan. coll. Lucr. p. 465 (p. 265 Hav.). π (del. *a*). *ebuliat* Br 4. G. M 6. 7 (e corr.). 8. P 4. 5. *ebullat* B 5 (*i* eras.). Br 2. Bs 2. C. M 5. P 6. *ebulat* Sg 2. *ebullet* Br 6. Sg 1. 2 codd. N. Heinsii ad Ovid. Trist. III, 5, 39. Petron. 42 p. 257 Burm., improb. Voss. de vit. serm. I, 22. *ebullit* cett. codd. quae forma difficilis explicatu est. — *patruus* M 7 (2 m. em. *i*.). 8. P 2 3. 4. *patris* (supr. *um*) M 9. *patruis* β. *patrui* in ras. P 5. *patrui* codd. cett., quod ortum esse videtur, cum v. *ebullire* eo sensu explicatum est, quo per medium aevum in usu fuit, *cum copia et abundantia erumpere,* et cum v. *funus* potius quam *patruus* coniungendum videbatur.

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur uxor!
Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: — minimum est quod scire laboro —
De Iove quid sentis? estne, ut praeponere cures
Hunc? „Cuinam?“ Cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?
Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?

v. 11. *crepitet* P 2. *γ*. — *mihi* om. M 2. *γ*. *ser. mihi* B 5. — vs. 11 sqq. *dextro—imp.* l. Schol. Hor. Sat. II, 6, 13. vv. *dextro Herc.* l. Schol. Hor. Sat. II, 3, 38.

v. 12. *pupillumque* H.

v. 13. *expugam* H. R 1. *expugnam* Br 1. 2. 6. G. M 8. W 2. *expugnem* A. F 2. *expurgem* M 3. *expingam* Erl. P 6. *impungam* M 2. *expungas* P 1. *ϱ*. *expugnas* Mp. *impungant* Volscus. — *nam est* B 5. M 3. 4. R 1. W 2. *ε*. *nam et est* D. F 1. M 2. 5. 6. 8. Mp. P 1. 2. 4. 5. 7. V. W 1. *β*. cf. Cort. ad Lucan. V, 801. *nam est et* A. F 2. L. M 9. 11. P 6. *namque est* B 3. Br 1. 2. 3. 4. 6. Bs 1. C. E. G. H. M 1. P 3. R 2. Sg 1. 2. T. Tr. *namque et est* Br 5. Erl. M 7 (del. *et* a 2 m.). 10. *nam iam est* B 4. Bs 2.

v. 14. *Nereo i. t. d. u.* l. Serv. ad Virg. Georg. IV, 256. *Nereo* Br 5. M 2. 3. *Nero* Br 2. — *conditur* B 3. 5. Br 3. Bs 1. E. F 1. M 2. 4. 5. 9. 11. Mp. P 1. 2. 3. 6. 7. R 1. Tr. *β*. ex interpret. v. *ducitur*, ut habet Serv., prob. Heins. ad Ovid. Metam. XIV, 746. Fortasse etiam memor quis fuit Martial. X, 43: *Septima iam, Phileros, uxor tibi conditur agro.*

v. 15. *hoc* B 3. — *poscat-mergit-purgat* Mp. — vs. 15 sq. *Tib.* — *purg.* l. Schol. Hor. Epp. I, 1, 37. — *flumine* M 5. — *merges* Br 2. C. W 2. *mersas* (supr. *vl mergis*) W 1.

v. 16. *in flum. φ. gurgite γ.* — vv. *et n. fl. p.* l. Serv. ad Virg. Aen. VI, 69. Hieron. in Iesai. XVIII, 66, t. III p. 506 Ben.: *Quibus rectissime illud aptabitur: et noctem flumine purgant.*

v. 17. *nimium* B 5. F 2. M 4 (supr. *min.*). P 6. — *est* om. Br 1. C. — *qui* B 5. — *laboro* om. P 6. — vs. 16 et 17 transp. M 10.

v. 18. *est ut* B 5. Mp. W 2. *ε*. *est utne* M 2.

v. 19. *nunc* G. P 6. — *h. cuinam vis* Bs 1. D. F 1. M 6. Tr. *h. cuiquam cuin.* A. B 5. Br 1. 2. 3. 4. 6. Bs 2. F 2. H. L. M 1. 2. 3. 5. 10. R 2. T. *h. cuiquam vis* M 2. *cuique est cuin.* P 6. *cuinam* (corr. *quam*) M 7. — *vis an staio an* M 9 (alterum *an* del.). — *Scaio* T. *Stadio* B 3. E. P 6. *Stagio* B 4. D. M 4. 8. P 4. 5. *Statio* B 5. *Staiorum* nomen post alios ex inscriptionibus vindicavi specim. epigr. p. 79. — *an* om. R 1. *an non? sct* B 4. *ah scelus h.* H. — *haeres quis potior? vindex p.* coni. Stewech. in Apulei. p. 199.

v. 20. *puerisne* M 2. *ve* om. P 6. adscr. G.

Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: *proh Iuppiter! o bone,* clamet,
Iuppiter! At sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia cum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque iubente,
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone, et lactibus unctis?
Ecce avia aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita,
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

v. 21. *haec* D. — *quod* B 5. C. G. Mp. P 1. 4. R 1. W 1. ε. *quid* M 5. — *uirem* M 8. — *temptes* B 4.
v. 22. *Iuppiter* hic, ut ubique, plerique et optimi codd. cf. Wagner, orthogr. Vergil. p. 444. — *clamat* P 6. W 2.
v. 23. *adse* Br 1. *ad* Br 5. E. Erl. M 10 (supr. *at*). *et sese* A. *de sese* G. — *clamat* B 3. M 3. *clam. non I.* Br 1. 6. C. Erl. P 6. *non ipse I. cl.* M 4.
v. 24. *putes* Br 1. G. M 1. 3. *putes* (supr. *a*) B 4. — *qui* M 6. — *non ton.* C. — *altius* Bs 1.
v. 25. *fulgure* B 4. *fulmine* γ.
v. 26. *fabris* V. *febris* W 2. — *gennaque* M 3. *ergennoque* M 6. *ergennonaque* P 1. *argennaque* Br 2.
v. 27. *iacens* B 4. — *et vit.* (del. *et*) M 7.
v. 28. *mihi* M 2.
v. 29. *ut quidn.* (*vel ?*) Tr. — v. 29 sq. Lact. I. D. VI, 2, 11: „Merito ergo Persius huiuscemodi superstitiones suo more deridet. *Qua tu,* inquit, *mercede — unctis.*“ — *est* om. Bs 1. — *quia* Tr.
v. 30. vv. *pulm. et lact. unct.* tanquam Horatii affert Consent. p. 2030 P. — *lact. unde* B 5.
v. 31. *haud* γ. P 5 (*h* supr. *d* in ras.). *aut* om. M 8.
v. 32. *huda* P 4. 5. *nuda* G.
v. 33. *lustralibus* supr. *liberalibus* M 8.
v. 34. *excipiat* M 5. P 1. — *urentis* P 1. 3. — *parata* Br 2.
v. 35. *tum* T. *nunc* e corr. F 1. *hunc* E. — *spe macra* B 4. F 1. P 2. *spe macra et* P 7 (*et* a 2 m. add.). φ. *macra* W 2. *aeram* P 1. *mactam* coni. Wagner.
v. 36 l. Schol. Iuv. I, 109. — *tunc Lic.* ϱ. — *lini* Mp.

Hunc optet generum rex et regina! puellae
Hunc rapiant! quicquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota, negato,
Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
Esto, age: sed grandes patinae tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Iovemque morantur.
Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: *Da fortunare penates*
Da pecus, et gregibus fetum! Quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flamma iunicum omenta liquescant?

v. 37. *nunc* G. R 1. — *optet* B 4. 5. Bs. 1. 2. F 1. M 1. 3. 7. Mp. P 1. 3. 4. 5. R 1. T. Tr. W 1 (supr. *n*). 2. *β. optant* Br 2. M 2. 9 (corr. in *e*). *optent* cett. codd.
v. 38. *nunc* M 6. R 1. — *calc. ut rosa fiat* Br 1. 2. 6. C. — *fiet* A. P 6.
v. 39. *at* M 3. *haec ego n.* Br 1. — *mando haec vot. γ.*
v. 40. *hoc* B 5. L. *γ.* — *ablata* L. P 1. — *rogauit* (supr. *r*) A. B 5. *rogabit* M 7. Mp. *α* 1. *β. γ.*
v. 41. *poscit* B 3. 5. E. F 1. P 1. 3. 7. W 2. *α* 1. *ε.* — *nercuis* B 5. *nec uis* P 1. *verius* C.
v. 42. *grandes* B 3. 4. Br 1. 2. 4. 5. 6. Bs 1. 2. D. E. Erl. M 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. P 3. 4. 5. 6. Sg 1. 2. W 2. *grandes* (supr. *pingues*) W 1. *pingues* cett. etiam E. F 1 (in ras.). — *patenae* M 7. 8. P 3. — *tucceta* A. D. F 1. G. M 1. 2. 4. 7. 8. Mp. P 1. 3. W 2. ut ubique variatur. *tueta* (supr. *c*) P 5. *turreta* M 5.
v. 43. *ann. id sup.* M 2. — *morentur* M 2.
v. 44. *res* P 7. *rex* (supr. *m*) P 3. — vs. 44. sq. *Merc.—penat.* l. Prisc. VIII, 14 p. 828.
v. 45. *accersis* A. B 5. Br 1. 2. 3. 4. 5. 6. D. E. F 1. 2. G. H. L. M 1. 2. 3. 4. 8. 9. Mp. R 2. Tr. W 1. 2. *β. access.* (add. *r*) R 1. *arcess.* cett. De his verbis, quae in codd. semper permutantur, quantopere dissenserint grammatici tam antiqui quam recentiores, notum est. Cf. Cort. ad Sall. Cat. 40, 6. Lucan. I, 166. Döderlein Synon. t. III p. 281 sq. cl. t. VI p. 4. Wagner, orthogr. Vergil. p. 417. Stuerenburgii programma non vidi. Kalendar. Praenestin. Pr. Non. April. habet: MATER. MAGNA. EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. ARCESSITA, apud Varr. L. L. VI, 15, qui de eadem re eadem verba ponit, codd. quidam *accersita* praebent. Itaque tutius mihi visum, *arcessis* scribere, quamvis repugnent codd. plerique, in iisque antiqui.
v. 46. *facto* V.
v. 47. *cum flamma* G. M 1. 3 (eras.). prob. Hauth. *cum flammis* C. M 9. P 1. *cum in flammis* B 5. Br 1. 2. M 6. P 2. 3. *cum flammas* Br 4. 5. *cum in flammas* B 3. Br 2. 6. Bs 1. 2. E. Erl. F 2. H. L. M 10. 11. Mp. P 7. R 1. 2. T. Tr. W 2. *α* 5. 6. *ε.* Accusativus hic vix

Ac tamen hic extis, et opimo vincere ferto
Intendit: *Iam crescit ager, iam crescit ovile,*
Iam dabitur, iamiam! donec deceptus et exspes:
Nequicquam fundo, suspiret, *nummus in imo!*
Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore laevo
Excutias guttas, laetari praetrepidum cor:
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato

aptus est, et exemplum, quod attulit Weberus, non quadrat. Nam recte quidem dixit Cato R. R. 156: *brassicam in aquam macerare oportet,* sed brassica ita maceratur, ut macerata in aquam perveniat, contra hic omenta igni commissa in flamma vel flamma liquescunt. Voc. *in* utrum natum sit ex littera *m* in v. *cum*, an ob eandem omissum sit, difficile est diiudicatu. — *liquescunt* M 7.

v. 48. *et tam.* F 1. M 2. P 3. α. *attamen* cett. codd. β. V. ad V, 159. — *his ext.* A. B 5. φ. — *op. vivere voto* B 2. — *fereo* P 6. *festo* W 2. *farto* C. M 5. P 2. α 2. 3. 5. 6. *farcto* H.

v. 49. *intendis* C. G (corr.). — *crescet* P 3 (supr. *a*). V. — *iam* om. P 1. *olive* P 4.

vs. 50 sq. l. Petr. Bles. ep. XIV. — *expes* A. Br 2. D. F 1. 2. H. M 7. 8. P 1. 2. 4. 5. 6. *expers* B 5. G. Distinxi, ut suasit R. F. H. Schulztg. 1833. II n. 40.

v. 51 l. Serv. ad Virg. Georg. I, 408. Aen. II, 546. — *nec quidquam* P 6. *nequaquam* M 1. 5. W 2. — *supiret* P 2. *suspiraet* B 2. *suspirat* Petr. Bles. l. l. L.

vs. 52. Prisc. VI, 5, p. 689 ut nomin. *cratera* probet hunc vs. tanquam Persianum affert: *Crateram argenti sudabit praetrepidum cor,* quem fallaci memoriae nimium confisus ipse finxit: cf. ad V, 68 VI, 10. Vv. *si t. crat. arg.* l. Isid. XX, 5, 3. — *cratera* P 1. *creterras* Mp. cf. gloss. apud Dübner.: *creterra ὐδρία.* — *incussaque* A. B 4. 5. Br 2. Bs 1. 2. C. D. Erl. F 1. G. H. L. M 2. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. P 1. 2. 3. 6. 7. R 1. 2. Sg 2. Tr. α 1. 2. 4. 7., quod vix explicari potest, *inclusaque* coni. Salmas. ad Scriptt. hist. Aug. II p. 402.

v. 53. *sudas* F 1. Tr. γ. *sudaes* P 1. *sudas* supr. *e* ϱ. — *laeto* Pithoeus.

v. 54. *excutias* A. B 1. 4. Br 1. 2. 5. 6. C. D. F 2. G. H. M 1. 6. 8. 9. 11. P 3. 6. 7. R 2. Sg 1. T. Tr. W 1. 2. α. *excucias* B 5. Erl. M 7. *excuties* B 2. 3. Bs 1. 2. E. M 2. ϱ. *excucies* M 10. *excutiens* Br 3, ut coni. Hauthal. *excutiet* P 2. γ. prob. Bentl. ad Hor. carm. II, 7, 6. *excutiat* Br 4. F 1. L. M 3. 4. 5. Mp. P 1. 4. 5. R 1. Sg 2. — *laetare* Br 3. *laetatur* G (corr.). P 7. et Par. n. 3110 ap. Achaintr. *laetetur* α 5. *laetaris* coni. Hauthal. — *pertrepid.* D. H. M 6. 9. P 3. ϱ. *praetepidum* B 2. 5. auctore Hauthal., nam ego nihil notatum invenio, et Mp.

v. 55. *subit ex* H. α 4. *subiti* B 1 (scriptum fuit *subit* additumque superne alterum *i*, ut in B 4, a describente non suo loco positum

Perducis facies; nam fratres inter aenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Praecipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera,
Vestalesque urnas, et Tuscum fictile mutat.
O curvae in terris animae, et coelestium inanes!
Quid iuvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo:
Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Haec baccam conchae rasisse, et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur; at vos

est). *subito* (supr. *subiit*) P 7. prob. Weber. — *sacr. auro* A. L. M 11. P 7. *γ. ϱ.* — *sacrasque* B 3. — *onato* P 1. T.

v. 56. *perducit* Mp. — *facias* C. M 7.

v. 57 l. Prosod. ms. ap. C. Barth. Advv. XXXVII, 13. — *purgantissima* Tr. *π.* — *mittent β.*

v. 58. *sumpto* D. G. H. — *que* om. Mp.

v. 59. *auri* Mp. — *impul.* (supr. *ex*) M 2. *expul.* F 1 (in ras.). *α 7. γ.*

v. 60. Lactant. I. D. II, 2: „Iuvat ergo — illud Persianum exclamare: *O curvae in terras an. et coel. in.*“ — *in terras* Br 6. L. P 1. *δ.* quod multi probarunt, etiam Wakefield. ad Lucr. III, 453. Breitinger in Schelhorn. Amoen. litt. VII p. 35. *interius* W 2. *in terris* cett. codd., etiam *α. ε.* — *et* del. Schütz. opp. p. 322.

v. 62. *qui iuv.* B 5. — *hos* B 1. 2. 3. 4. 5. Br 2. 3. 4. 5. Bs 1. 2. C. Erl. F 1. L. M 9. 10. R 2. Sg 2. *hoc* (corr. in *s*) G. W 1. *hoc* (supr. *hos*) P 4. *hos* scriptum videtur ob *hac* in seq. versu; verum sufficit *nostros*. — *nostris* B 1 (suprasc. *nostros*). P 4, quod ab iis inventum, qui *hos* legebant, idque parum commode cum *nostros* iungi posse putabant.

v. 63. *ex* om. Mp. — *dicere* M 6. 8. *ε*, ut coni. Markl. ad Stat. Silv. III, 1, 82. — *puppa* B 5.

v. 64. *nec* corr. G. — *sibi* om. B 5.

v. 65. *et calabr.* F 1. H. M 1. 2. 4. 5. 6. P 3. 5. 6. Tr.

v. 66. *bacam* M 3. 7. 8. Mp. P 3. 4. 5., ut apud Virgilium codd. Med. Rom. Vat. cf. Wagner orth. Verg. p. 418., *bacca* agnoscunt codd. permulti et antiqui et Priscian. II, 1 p. 568, cf. Schneider. gr. Lat. I p. 401. — *baccae concham* coni. Guyet. *cca erasisse* M 7, ut coni. Hauthal. — vs. 66 om. F 1. add. a 2 m. in mg. — vs. 67. 68. 69. 66 ita transp. G.

v. 67. *pondere* coni. K. F. in Heidelb. Jbb. 1814, II p. 1032 cl. Lucan. VI, 403. — vs. 67. 69. 68 transp. B 5.

v. 68. *hic* A. L. — *utimur* B 5.

Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatae a virgine pupae.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallae lippa propago:
Compositum ius fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto,
Haec cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA III.

Nempe haec assidue? Iam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.

v. 69. Lamprid. Alex. Sev. 44: *susurrans versum Persii: in sanctis quid facit aurum. sco* B 5. M 8. Mp. P 3. 4. α 1. 2. 5. ϱ. *sacro* B 2. 4. Br 3. M 7. P 2. 6. Sg 1. W 1. 2. *templo* A. Bs 2. F 2. L. M 2. 11. γ. *sancto* cett. codd. — *faciat* P 6. R 1.

v. 70. *id quod* P 2. *hoc* om. C. — *a* om. B 3. M 2. W 2. ε. — *pupae* B 1. 3. 5. D. F 2. G (corr.). M 2. P 1. 2. quod probat Schneid. gr. Lat. I p. 427. *popae* B 2. 4. M 1. 3. *puppae* rel.

v. 71 sq. l. Prisc. IX, 6 p. 862. — *demus* Bs 2.

v. 72. *magni* om. Mp. — *Messalla* recte scribitur, cf. Wiese, de M. Val. Messallae Corv. vita et stud. p. 5 sq. Hic tamen plerique codd. simplex *l* habent.

v. 73 sq. l. Lact. I. D. II, 4. Schol. Stat. Theb. II, 247. Io. Sarisb. V, 16. — *animo* B 4. Br 1. 2. 3. 4. Erl. F 1. M 5. 6. 8. Mp. P 4. 5. 6. R 1. 2. ε. *animo* (corr. in *i*) M 7. *animos* M 3. *animi* cett. codd., β, Lact., Schol. Stat., Io. Sar. l. l. — *compositi i. f. animi* coni. Guyet. — *scosque* B 5. *sacrosque* B 2. 4.

v. 74. *generosum* Br 3. 4. Lact., Schol., G (corr.).

v. 75 l. Adhelm. de arte gramm. in Maii Auctt. class. Vat. V p. 555. *hoc* A. C. M 11. — *ut* om. D. F 2. H. L. — *ut moveam* B 4. M 4. P 4 (supr. *a*). 5. 6. α 1. ε. *ut voveam* B 5. *ut moveas* P 7. *ut admoveas* E. *ut moveant* M 9. *ut admoveant* Br 5. π. *admoneam* R 1. *obmoveam* coni. Wagner cl. Cat. R. R. c. 180. — *et* om. Br 2. — *farra* Tr. — *libato* Br 6. P 7. — v. 75 del. Guyet.

Sat. III.

v. 1. *N. hoc ass.* l. Prisc. XV, 5 p. 1020. *hoc* B 4. Br 2. 3. 4. 5. C. Erl. G. L. M 10. 11. Mp. P 2. 6. R 1. 2. Sg 1. 2. Tr. W 1. — *nam* C. Erl.

v. 2. *ostendit* A. B 1. 2. C. E. F 1 (in ras.). G. L. M 8. 11. P 2. Sg 1 (supr. *extendit*). T. V. α 5. β. solita confusione, cf. v. 105. V, 38. *extendis* B 5. — *limine* G. *lumina* L.

Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est:
Unus ait comitum. — „Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! Nemon'?“ — Turgescit vitrea bilis:
„Findor“ — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
Iam liber, et positis bicolor membrana capillis,
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,

v. 3. *depumare* P 1. *destumamare* M 11. *espumare* F 1. *resp.* Br 1.
v. 4. *lin. dum* P 6.
v. 5. *ais* E. T. — *menas* (*n* in *s* corr. *e* supr.) B 5.
v. 6. *omne* om. P 1. — *est* om. B 2. 5. C. P 4. 5. T.
v. 8. *hic* B 5. — *nemo* Bs 1. L. P 1. *nemovi* P 6. *nemotigessit* Mp. — vv. *vitr. bil.* l. Schol. Hor. Sat. II, 3, 141.
v. 9 l. Serv. ad Virg. Georg. III, 328. 374. Aen. VIII, 348. Schol. Stat. Theb. IV. 44. Eutych. de disc. coni. II p. 2173, qui omnes habent *findor ut*, et sic B 1. 2. 3. 4. Br 2. 3. 5. Bs 2. D. E. Erl. F 2. G. H. M 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. Mp. P 1. 3. 4. 5. 6. 7. R 1. Sg 1. Tr. W 1. 2. *findar ut* B 5. *findor et* P 2. T. *findor in* R 2. *finditur* Br 1. 4. 6. Bs 1. C. F 1 (in ras.). L. Sg 2. *funditur* Bs 2. *effinditur* M 10. *Finditur*, quod multi receperunt, non nisi ex interpolatione ortum esse videtur. Ego non ausus sum lectionem deserere tot tantisque auctoribus firmatam, quae quamquam potest explicari, quibus incommodis laboret, non me fugit. Ingeniosa et eadem facillima Hauthalii coni. *findimur* est, quam si probamus, haec comes ille dicere putandus est. — *credas* B 2. Br 1. 2. C. Erl. F 2. H. M 2. 5. 6. 10. Sg 2. Tr. Eutych. l. l. Schol. Stat. l. l. *dicas* cett. codd. *β*. Serv. II. II. et fortasse praesidii aliquid huic lectioni peti potest etiam ex loco Ausonii, epigr. LXXVI, 3 sq.: *asinos quoque rudere dicas, cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus*. Certe h. l. Ausonio obversatum esse alia imitationis vestigia suadent. —
v. 10 l. Isidor. Orig. VI, 11, 14. — *liber est pos.* Hauthal. — *pos. bic.* B 1. 2. 3. Br 2. 5. 6. Bs 2. C. D. Erl. H. L. M 1. 2. 5. 7. P 2. 6. 7. R 1. Sg 1. 2. T. Tr. *β. γ. ϱ.* Isid. l. l. *bic. pos.* cett.
v. 11 l. Isid. Or. I, 36, 7.
v. 12. *nunc ϱ.* ut coni. Guyet. — *querimur* B 1. Br 5. M 1. 11. P 4. 5. 7 (supr. *queritur*). *β. querimus* Mp. *ε*. Et hic et v. 14 pluralis *querimur*, quem quidam, et in iis sane antiquiores codd. praebent, inde ortus videtur, quod librarii v. 16 *venimus* scriptum videbant, et laboranti concinnitati succurrendum putabant. At ibi rectissime se habet, hic minus. Nam pluralis numeri tunc usus est, ubi indignabundus comes desidiosum iuvenem alloquitur, non item ubi narrat de poeta. Iam vero vix potest negari, comitis orationem incipere vs. 16 *o miser* cett., quam ipsis querelis indignatus effundit; quas

Nigra quod infusa vanescat sepia lympha,
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. —
O miser! inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? At cur non potius, teneroque columbo
Et similis regum pueris, papare minutum
Poscis, et iratus mammae lallare recusas?
„An tali studeam calamo?“ — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnere: sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc, nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno

a poeta simpliciter narrari aptius videtur. Accedit, quod haudquaquam iidem codd., qui h. l., etiam vs. 14 *querimur* exhibent.

v. 13. *nigra sed* Mp. P 7. *ε. π. sed* (supr. *quod*) M 2. *nigraque inf.* Br 4. *quidem inf.* B 5. — *vanescit* B 2. C. *π.*

v. 14. *querimur* M 1. 3 (ex corr.). 4 (ex corr.). 5. 6. 11. P 4. 5. (supr. *queritur*). *querimus* Mp. Tr. *ε.* — *geminat* Br 2.

v. 15. *hucine* Mp. *hunccine* B 2. P 4. W 2. *huccine* (supr. *n*) P 3. *hoccine* V.

v. 16. *ut cur* F 1. *aut c.* P 7. *γ.* ut coni. Guyet. *an c.* W 1. *cur ut* B 5. *at quur* M 7. — vs. 16 sq. *ten.* — *pueris* l. Serv. ad Aen. V, 213. — *tenerove* R 1. — *columbo* A. B 1. 2. Bs 1. D. E. M 1. 2. 5. 6. 7. 8. P 1. 2. 3. *palumbo* codd. cett. *β. γ. ϱ.* prob. Bentl. ad Hor. carm. I, 2, 10. *palumbes* W 2.

v. 17. *papare* plerique codd. iique antiquissimi. Ita apud Iuven. VI, 633 optimi codd. *papas*, et nom. propr. PAPA ex inscr. ap. Donat. VII, 32 affert Forcell. Vulgo *pappare*.

v. 18. *lalare* A. Bs 1. D. G. — *recuses* H. M 7.

v. 19. *en ϱ.* — v. 19 sq. *cui v.* — *amb.* l. Eutych. de disc. coni. II p. 2180.

v. 20. *et fluis* (i. e. *ecfluis* cf. I, 65) Mp. *et effl.* Br 2. *et filius* P 4. Cf. ad v. 23.

v. 21. *sonant* (sub litt. *n* punctum) P 6. *sonet* G. — *vitium et perc.* coni. Nasser. — *percussa maligne, respondet, vir.* etc. dist. Pinzger in Jahn, N. Jbb. VIII, 3 p. 303.

v. 22. *nec splendet* coni. K. F. Heidel. Jbb. 1814, II p. 1033 cl. intpp. Virg. Aen. VII, 23. Drakenb. ad Sil. Ital. II, 663. XII, 9. XIV, 73. Grut. ad Cic. de fin. II, 8. — *percussa fid.* Erl. — *fictilia* H.

v. 23 sq. l. Io. Sarisb. VII, 19 et post v. *rota* addit vs. 20 sqq. *tibi lud.* — *limo.* Vv. *udum* — *rota* l. Petr. Bles. ep. LXXIV. — *est* Bs 2. M 9. Mp. *π. ϱ.* — *lutum nunc es prop.* Br 3. *iam nunc pr.* Io. Sar. l. l. *δ.* Utrumque hic ortum, quia vox *nunc* bis ponenda semel tantum scripta erat, cf. ad I, 87.

v. 24. *set* B 5. *si* M 6. — *rup. patuno* Mp. — v. 24 om. W 2.

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
— Quid metuas? — cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa, nescit, quid perdat, et alto
Demersus, summa rursum non bullit in unda.
Magne pater divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido

v. 25. *et pur.* γ.
v. 26. *metues* W 2. *metuis* G. — *patella est* B 5. Br 5. C. E. F 2. M 1. 2. 3. 4. 9. 10. P 4. 7. R 2. Sg 1. W 2. — vs. 26 suspectus Guyetio.
v. 27. *haec* Br 1. D. — *irrumpere* G. — *venis* B 1. *vento* φ.
vs. 28 sq. l. Serv. ad Virg. Aen. IX, 641. — *quid* Br 5. — *tusco* om. P 1. — *dulcis* P 1.
vs. 29 l. Prisc. XVII, 27 p. 1116. XVIII, 1 p. 1118. Serv. Aen. III, 382. *censoremve* A. B 1. 5. Br 1. 5. Bs 2. D. E. F 2. H. L. M 4. 5. 6. 7. 8. 9. P 3. 4. 5. Sg 1. Serv. et Prisc. (ubi Krehl. ex editt. vett. *censoremne* dedit) prob. Niebuhr. Rhein. Mus. I p. 356. Welcker. append. ad syll. epigr. graec. p. 52 sq. *censoremven* P 1. *censoremne* P 6. ut voluit Casaub. *censoremque* cett. codd. — *cens. t. cum tu tr.* Bs 2. Sg 1. — *salutes* Bs 2.
vs. 30 l. Hieron. apol. adv. Rufin. II, t. IV, 1 p. 407 Ben. cf. eundem ep. XLIX (XIII) t. IV, 2 p. 566: *Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum. Ego te, inquit, intus et in cute novi. — fal.* B 5. F 1. 2. et codd. rec. quod prob. Buttmann. Lexilog. II p. 147. — *ratus* L. — *nosco* (supr. *novi*) G.
v. 31. *pudor* M 2. — *amorem* B 5. *in mor.* P 7. — *discinctae* M 1 (supr. *i*). 11. *discinto* P 1. *distincti* B 3. Bs 1. 2. H. *districti* Mp. — *Natae* B 3. 4. 5. Bs 1. 2. E. R 1. Tr. α 1. *nateae* W 2. *nactae* Br 1. 2. 4. 5. 6. D. F 2. G. H. L. M 4. 10. P 2. 6. Sg 1. T. α 2. 3. 4. 5. 6. prob. Turneb. advv. XXIII, 23. Ortum est ex pravo medii aevi scribendi more, cf. ad I, 50. *nautae* M 2. *Cottae* M 6.
v. 32. *set* B 5. M 7. *si* D. — *vitium* D. G. — *necrevit* B 5.
v. 33. *pinge* B 5. M 1 (supr. *u*). 2. *pinguet* P 1. — *quod* P 5. — *alte* B 1.
v. 34. *dimersus* A. F 2. L. M 8. P 6. Tr. *dimissus* W 2. — *rursum* ex B 1. Bs 1. M 3. 4. 5. 6. 8. P 1. 4. 5. β. recepi ob praecedens *demersus*, cf. Reisig. Vorles. § 135, 5. — *undam* B 5.
v. 35. *scevos* T. *magnos* φ.
v. 36. *haut* B 4. 5. M 3. 8. 10. P 2. 3. *aut* Br 4. *alia* om. B 5. — *libido*, in mg. *vl. voluptas* M 3. *cupido* (supr. *libido*) M 8. W 1.

Moverit ingenium, ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *Imus*,
Imus praecipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, non sano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet, angustae collo non fallier orcae,
Neu quis callidior buxum torquere flagello.

v. 37. *moverat* Mp. — Augustin. Civ. D. II, 7: *Libido ferventi, ut ait Persius, tincta veneno.* — *torta* γ.
v. 38. *virtutum* P 1. *virt. ut vid.* Br 1. 2. 4. 6. α 3. 6. *ut* supr. W 1. *invid.*, corr. ut vid. G.
v. 40. *at mag.* P 2. *aut mag.* L. P 7. *an mag.* B 3. *nec mag.* B 2.
v. 42. *qua si* P 1. 6. W 2. *quam qui* e corr. G.
v. 43. *ardeat* coni. K. F. Heidelb. Jbb. 1814, II p. 1033 cl. Ovid. Her. IV, 19 sq. Fast. III, 489. — Post v. 43 aliquid deesse putavit Guyet.
v. 44. *tingebam* Br 1. 2. 6. G. R 1 (in mg.). *tangebam* ex optimis codd. (α 1. 2. 4. 5. 6.) prob. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 740. *figebam* α 3.
v. 45. *gaudia* (supr. *r*) M 2.
v. 46. *dicere* B 4. M 7 (*s* a m 2. supr.) 8. P 3. 4 (ut ego notavi). Tr. ε. *discere* cett. codd. α. β. — *non sano* B 1. 4. E. M. 5. 7. Tr. Inde (*n̄sano*) ortum est *insano* F 1. M 6. P 7., quod cum metro repugnaret varie interpolatum est. *disc. ins.*, supr. *ab* M 3. *ab insano* A. Br 1. 2. 4. 6. Bs 1. C. F 2. G. H. L. M 1. R 2. Sg 2. T. W 1. *ab ins.* ex corr. M 4. *et insano* B 2. 3. 5. Br 3. 5. Bs 2. D. Erl. M 2. 8. 9. 10. 11. Mp. P 1. 2. 3. 4. 5. 6. R 1. Sg 1. α 1. 2. 4. 5. 6. 7. β. prob. Burmann. ad Ovid. A. A. I, 662. *nec sano* φ. *incano* coni. I. B. Pius annott. post. c. 113, et ipse reiecit.
v. 48 l. Prisc. de fig. num. 7 p. 1355. — *id* om. G. T. — *summo* B 4. Br 5. Bs 1. E. F 1. H. M 2. Mp. P 1. 3. 7. α 5. *summa* M 11. — *quod d.* R 1. *quo d.* W 2. — *feruet* Mp.
v. 49. *invito* B 5. — *quantus* B 5.
v. 50. *redderet* W 2. — *august.* P 6. — *faller* P 2.
v. 51. *heu* A. *ne* B 5. — *calid.* M 5. 8.

Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens bracatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta;
Et tibi quae Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum,
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis? —
Helleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo,

v. 52. *haut* B 5. — *inexp. est* Br 1. 2. 3. 4. 6. α 3. — *cervos* L. *crudos* M 1. — *deprehendere* E. G. M 7. T. *reprehendere* Bs 2. *depellere* Br 2.

v. 53. *bracatis* B 1. 2. 3. M 1. 3. 4. 7. 8. P 1. 3. 4. 7. al. quod praeferendum videtur; certe in edicto Stratonicensi (apud Haubold. Monn. legal. p. 15) est *bracario*. — *inlita* F 1. M 7. P 5. 7. *inclita* B 5. P 4 (*e* eraso).

v. 54. *quibus est* Bs 1. *et* om. C. — *detunsa* B 5. Bs 1. *quib. indetonsa* Br 1. 3. 4. 6. M 5. 6. Sg 1. 2. T. α 2. 3. 5. 6. *quib. et indetonsa* Br 2. Bs 1. *dentosa* H. *lentosa* R 1.

v. 55. *parta* P 3. *pasca* H.

vs. 56 sq. l. Isid. Or. I. 3, 7. — *qua Samius* P 7. — *deduxit* A. B 1. 2. 3. 4. 5. Br 2. Bs 1. 2. E. M 7. 8. Mp. P 1. R 1. 2. Sg 1. 2. T. Tr. W 2. α 2. Isid. l. l. *deducit* M 2. *deduxit* (supr. *c*) D. M 1. *did.* e corr. G. W 1. *diducit* F 1. *diduxit* cett. codd. prob. Nic. Heins. ad Ovid. Met. IV, 375. In hac perpetua confusione scribendum est quod sensus postulat etiam renitentibus libris, cf. Lachm. ad Propert. p. 175. — *Et tu, cui S. d. l. r., s. d. praemonstrans l. c., st.* em. Guyet.

v. 57. *collem* Mp. W 2.

v. 58. *tertius adh.* B 5. — *lassumque* D. G. *luxumque* B 5.

v. 60 sq. Io. Sarisb. V, 6.: „Est aliquid quo tendit et in quo dirigit arcum iustus nec passim sequitur corvos testaque lutoque.“ — *estne* Br 2. 4. — *in quo* β. codd. omnes praeter Br 3. 4. 5. 6. L. M 4. 6. P 6. Sg 2. Tr., in quibus, si accurate collati sunt, exstat *in quod*, ut probarunt inter alios Turneb. Advv. XXIII, 23. Oudend. ad Suet. Tib. 50. Et sane hoc, quod grammatica postulat, etiam invitis codd. mutatione revera nulla reducendum foret. *et quo* C. *et en! quo* em. Hauthal.

v. 61. *tervos* B 5. — *textaq.* Br 2. Erl. *tectaque* B 5.

v. 62. *tumebat* Br 2. Bs 1. 2. E. T. W 2.

v. 63. *poscentis* H. Tr. v. 64. *occurrere* M 11.

Et quid opus Cratero magnos promittere montes? 65
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
Quis datus, aut metae qua mollis flexus, et unde;
Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
Utile nummus habet; patriae carisque propinquis 70
Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re;
Disce: neque invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernae, Marsi monumenta clientis, 75
Maenaque quod prima nondum defecerit orca. —

v. 65 l. Schol. Cruq. Hor. Sat. II, 3, 61, *quid opus est m.* — *ecquid* G. ut Orell. — *opus est* D. M 5. — *crat. op.* B 5. — *magno* (corr.) *cratheros* (corr.) G.

vs. 66—72 l. Augustin. de civ. Dei II, 6. Io. Sarisb. III, 2. — *discite ō mis.* P 1. *disciteque o mis.* C. Erl. *discite et o mis.* Br 4. 6. R 2. W 2. *discite at o mis.* F 2. H. L. *discite o mis.* cett. codd. *π. ϱ.* prob. Cuningam. animm. ad Hor. c. 12 p. 192. *discite io mis.* C. Barth Advv. XLII, 5. Reiz. Lachm. ad Prop. p. 289. *vos miseri* coni. Guyet. — *et* om. Br 2. M 10. T. — *cognoscere* D.

v. 67. *aut quidn.* B 4. 5. Br 2. 3. 5. Bs 1. 2. E. H. M 9. 10. 11. P 5. 6. T. Tr. *β.* August. l. l. Io. Sar. l. l. *aut quid vict.* A. D. M 1. 2. 3. 5. 6. *aut* scriptum esse videtur ob *aut* in vs. sq., hic *et* rectius est. Nam haec duo ita coniunguntur, ut unum efficiant, neque ullo modo aut divelli aut opponi possunt; in vs. sq. imagine a certaminibus desumta quaedam affert, ad quae attendendum est, inter se diversa neque simili modo necessario coniuncta. — *gignimus* Mp.

v. 68. *datur* P 6. 8. — *datus est vitae* M 1. 3. *ac met.* Br 2. — *qua* B 4. M 11. Mp. P 3. V. *γ. ϱ. quam* cett. codd. natum ex repetita littera *m.* Melius autem cum ceteris *quis* et *quid* congruere videtur *qua*, et part. *quam* severitatem harum admonitionum, ut ita dicam, turbat. Vult enim disci, quo modo mollis sit flexus, non quantopere. — *undae* Vives ad Augustin. l. l. *α* 2. 3. 5.

v. 69. *quid est fas* P 1. — vs. 69 et 70 transp. M 11.

v. 70. *minus* B 2. — *pueris car.* Io. Sar. l. l.

v. 71. *largiri* B 3. Br 2. 3. 5. F 1. Mp.

v. 72. *iuxit* B 5. — vs. 72 et 73 transp. M 2.

v. 73. *disceque* B 5. — *nec* B 3. Br 2. Bs 1. F 1. G. M 1. 2. 3. Mp. P 6. 7. W 2. *ϱ.* — *qui* M 8. — *fictilia* H. — *putes* B 3. *putat* Br 2.

vs. 74 l. Serv. ad Virg. Aen. I, 703. — *peno* V. — *defensus* Mp. — *rumbris* B 3.

v. 75 vv. *et pip. et pern.* l. Prisc. VI, 3 p. 682. — *monim.* B 3. 4. Bs 1. 2. D. E. M 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. P 3. 4. 6. T. cf. Wagner, orthogr. Vergil. p. 455. — vs. 75 om. Mp.

v. 76. *quod* om. A. — *pruna* L. — *defecerat* B 3. C. M 2. 5.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: „Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia: *gigni*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?“
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes!

v. 77. *gente* om. B 5.
v. 78. *dic. et quod* B 5. — *quod sapio satis est mihi* A. Br 2. F 1. G. M 6. *quod satis est! sap. m.* dist. Hauthal.
v. 79. *Arcesilas* optimi et plerique codd. ut apud Ciceronem aliosque. *Archisilaus* M 1. 3. — *Salones* codd. plerique omnes, et aptum hoc putavit Hauthal. in ore centurionis, qui ne nomina quidem philosophorum, quos contemnit, recte pronuntiare possit.
v. 80. *obstipiti* M 8. — *figentis* M 11. *β. fingentes* B 5. D. F 2. M 1. 3. 8. — *lumina terrae ϱ.* ex corr. M 9. *lumina β.*
v. 81. *rapiosa* M 11. *rapidosa* M 8. *rabidosa* M 5. *labiosa δ.* — *reddunt* M 1. 3. *radunt* corr. G. *produnt π.*
v. 83. *ventris* L. non improb. K. F. H. in Schulztg. 1833, II n. 40. *veteri* M 2. — *meditantis* B 3. P 3.
vs. 84 l. Isid. Orig. I, 35, 17, ubi *ex nihilo.* — *nihilo nihilum* Mp. et alii pauci codd. — vs. 84 om. R 2.
v. 85 l. Io. Sarisb. VII, 19. — *cur pall.* B 3. Br 2. 4. 6. Bs 1. Erl. M 10. *α* 3. 4. 5. Io. Sar. l. l. *cum p.* Sg 2. — *non* om. C.
v. 86. *hic* B 1. auctore Hauthal. *hos δ. hoc* coni. Guyet.
v. 87. *nas. trem.* P 3.
v. 88. *qui* P 1. W 2. — *trepidos φ.* — *et imis* ex corr. Br 3.
v. 89. *exuberat* B 1. 2. 4. 5. Br 1. 3. 5. 6 (supr. *exsudat*). Bs 1. 2. C. E. Erl. F 1. 2. G. M 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. P 1. 5. 6. 7. Sg 1. 2. V. W 1. 2. *α.* quod def. *Σ* in Heidelb. Jbb. 1814 p. 482, allato loco Val. Fl. III, 234: *sanguis exuberat ulna.* Verum hoc respuit metrum, cum *exuberat* litt. *u* producat. Corrupta inde sunt *exhuberat* M 8. *exulerat* Br 4. et fortasse *excubat* B 3, quanquam hoc potest inepta interpolatio librarii esse, qui meminerat Horatiani (epod. XII, 5), *an gravis hirsutis cubet hircus in alis. exuperat* Br 2. D. M 11. P 3. R 1. Tr. *exsuperat* H. L. M 6. 7. Mp. P 2. R 2. T. prob. Turneb. Advv. XXIII, 23, atque hoc certe explicari posse censeo. Confunduntur autem in codd. *exuberare* et *exsuperare* saepissime, v. Intpp. ad Sil. Ital. I, 57. *exsudat* coni. I. Badius. *exundat* coni.

Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo, modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
„Heus bone, tu palles.“ *Nihil est.* „Videas tamen istud,
Quicquid id est, surgit tacite tibi lutea pellis.“
At tu deterius palles: ne sis mihi tutor,
Iam pridem hunc sepeli: tu restas. „Perge, tacebo.“
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites;
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental

idem et K. F. in Heidelb. Jbb. 1814, II p. 1034, cl. Sil. Ital. VI, 455. Burm. ad Val. Fl. IV, 595. 660. Heins. ad Sil. Ital. VII, 355. *exspirat* em. Marcil. Guyet. *exsultat* coni. Hauthal.

v. 90. *uisus* B 5. *iussus est* D. *quid d. medicus* ϱ.

v. 92. *modicum* quidam ap. Marcil. Guyet. — *laguena* M 7. P 4. cf. de similibus Cort. ad Luc. III, 238. Wagner, orthogr. Verg. p. 478. VI, 17. 20. 37. Spec. epigr. p. 62.

v. 93. *levia* M 2. P 6. prob. Santen. ad Ter. Maur. p. 239. — *lauturo* M 2. 4. 7. 8. P 4. 5. W 2. cf. Schneider gr. lat. I p. 58 sqq. Ilgen ad Virg. Cop. p. 18 sq. *laturo* B 2 (supr. *o*). 3. P 1. — *tibi—rogabis* (supr. *sibi — rogabit*) P 7. R 1. *rogabis* Mp. Scilicet ob sequentem dialogum secunda persona magis apta visa est. cf. I, 18. *rogabit* B 3. Br 3. 5. Bs 1. H. M. 4. 9. P 6. R 2. Tr. *β. rogarit* Br 6. Bs 2. G (supr. *vit*). M 1 (supr. *vit*).

v. 94. *haut bone* M 5. — *cur palles* B 5. *δ. tu* om. Mp.

v. 95. *qu. hic est* Mp. R 1. — *tac. surg.* Br 2. H. T. — *puellis* P 7.

v. 96. *deterior* Br 1. — *et ne sis* B 5.

v. 97. *sepelii* B 1. 3. P 3. R 2. ϱ. *sepelivi* B 4. — *tu* om. B 4. — *vade* M 3.

v. 98 l. Schol. Hor. Sat. II, 2, 15. Epp. I, 6, 61. — *at albo* P 6. — *lavator* B 5. *bobatur* Mp.

v. 99. *gugt.* B 5. M 11. — *sulphur.* B 2. 3. 4. 5. Erl. M 10. 11. P 1. 3. 4. 5. 6. cf. Wagner, orthogr. Verg. p. 474. *pulph.* Mp. — *exalante* A. B 1. 2. 3. 4. Br 5. G. L. M 8. 11. P 1. 2. 3. 4. 6. R 1. 2. *exalente* B 5. Br 4. D. M 2. 10. *exilante* Mp. cf. Wagner ad Virg. Georg. II, 217. — *mefites* B 1. 2. 3. 4. 5. M 7. 8. P 3. 4. 5. 6. Tr. *memph.* H.

v. 100. *set* B 5. — *callid.* B 5. P 6. — *triental* M 7. P 1 (ut recte notavit Casaubonus; nam quod affirmat Achaintre, deesse haec in cod., neglexit non deesse folium, sed alieno loco insertum). ϱ. *triental* a 2 m. ad marg. V. *trientem* F 1. cum glossa: *triental vero est calix, qui tertiam partem sextarii continet et heminas tres.* Ergo hoc quoque iure suo dixit Casaubonus, scholia hanc lectionem agnoscere. *trientem* cett. codd. *β.* quod facile potuit substitui ut magis notum.

Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae: tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites. —
„Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram.“
Nil calet hic. „Summosque pedes attinge manusque.“
Non frigent. „Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina,
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas:

v. 101. *excidit* Mp. unde coniicias hic quoque *triental* lectum fuisse. — *e* om. P 6. — *retecti* (supr. *recepti*) P 6.
v. 102. *unde* M 5. *cuncta* M 8. — *labr.* — *lax.* A. L. M 11.
v. 103 sq. *hinc* — *lecto* l. Serv. ad Virg. Aen. XI, 192. et, qui eum exscripsit, Schol. Lucan. VIII, 734. VV. *hinc tub. cand.* l. Serv. ad Virg. Aen. V, 138. Schol. Stat. Theb. VI, 121. — *hic* B 5. Br 2. *hunc* M 8. — *callede* B 5.
v. 104. *litatus* Erl. M 3. P 1. *α* 2. 5. 6. 7. *luctatus* A. F 2. P 2.
v. 105. *porta* B 2. Br 3. R 2. *portas* Mp. G (ex corr.). — *rigidas* A. B 1. Br 1. 2. D. F 1. 2. G. H. M 4. 5. 6. 7. 8. Mp. P 5. W 1. 2. cf. Schneider., gramm. Lat. II p. 115. *rigidus β.* — *ostendit* B 3. Br 3. Bs 1. cf. III, 2. — *calices* B 4. *calles* Mp.
v. 106. *esterni* B 4. F 1. P 4. *externi* A. B 1. 5. D. F 2. G. M 11. Mp. R 1. 2. *externum* M 2. — *inducto* Bs 1. M 2. P 2. *ϱ. induti* F 2. *obducti* Br 2. 4. Erl. M 10. *α* 2. 4. 5. 6. *obnuto* cod. Schegk. praemess. c. 10. — *subire* B 3. Erl. P 1. *subigere* F 1. *φ.*
v. 107. *pone inpone dextr.* B 5.
v. 108. Post *hic* et vs. sq. post *non frigent* sign. interrog. ponunt Wagner et Hauthal. — *attende* B 1. 5. M 4. P 2. W 1.
v. 109. *num fr.* W 2. — *friget* P 2. 6.
v. 110. *viscini* B 5. — *forte puella φ.*
v. 111. *camino* Reiz. König.
v. 112. *purum ϱ.* — *d. olim* B 5. — *cribo* B 5. M 1 (supr. *r*). — *discussa* Br 2. 4. 6. C. Erl. M 10. P 2. G 1. *α* 6.
v. 113. *hore* B 5.
v. 114. *haut* B 5. M 10. P 3. *aud* B 2.
v. 115. *mages* B 5. *alget* R 1. — *excussis* B 5. — *trimor* V. *tumor φ.* — *alus* B 5.

Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.“

SATIRA IV.

„Rem populi tractas?“ — barbatum haec crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —
„Quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia turbae
Maiestate manus. Quid deinde loquere? *Quirites,*
Hoc, puta, non iustum est: illud male: rectius illud.

v. 116. *tunc* P 1. W 2. — *fervescat* B 1. Erl.
v. 117. *discisq.* Mp.
v. 118 l. Hieron. c. Iovin. I t. IV, 2 p. 144. Ben. Adam. Brem. IV, 27. — *insani* Br 1. *n. sani est hom.* Mp. *β.*
Sat. IV.
v. 1. *hoc* B 2. 4. 5. 6. Bs l. C. D. E. Erl. G. M 5. 10. 11. R 2. Sg 2. T. *α* 2. 3. 4. 5. 6. *hic* B 3. *haec* om. Br 3. H. P 2. 6. Sg 1. *haec* cett. codd. v. *ϱ.*
v. 2 l. Isidor. Orig. XVII, 9, 71. — *quem toll.* B 2. 3. Br 2. P 2. *α* 7. *quem toll. quem* B 5. *rapuit quem α* 6. — *dura* B 1. M 1. Mp. P 3.
v. 3. *fremitus* B 1. — *et dic* Br 2. *mi dic magni* Br 3. *hec* B 5. *o magni* B 1. 3. Br 3. Bs 1. M 2. 9. P 6. Sg 2. *o* in ras. F 1. G. L. P 3. *α* 3. — *magi* B 5. — *pericli* i. e. periculi Rigalt. ad Artemid. t. II p. 95 Reiff. mira cum explicatione.
v. 4. 5. 13. coniunctos l. Io. Sarisb. VI, 18. *Sc. ing.* — *tac. callet et potis est nigr.* — *theta.* — *rerum et α* 7.
v. 5. *tacendave* Br 5. M 1. 3. *γ.*
v. 7 sq. *scis calid. fec.*—*manus* l. Schol. Lucan. I, 298. — *callid.* B 5. Br 2.
v. 9. Prisc. XV, 2 p. 1007: „*A* igitur terminantia vel primitiva sunt, ut *ita*, quod solum *a* correptum habuit, quamvis quidam *puta* quoque adverbium esse accipiant, ideoque Persium id corripuisse, ut: *Hoc puta non i. e. i. m. r. illud.*“ Cf. Serv. ad Virg. Aen. II, 651: „Praepositiones vel adverbia in *a* exeuntia modo producunt ultimam litteram excepto *puta* [et *ita* quia] apud Ennium et Pacuvium brevia sunt.“ — *puta* B 1. 4. Erl. L. M 8. 10. P 1. 6. R 1. Sg 1. Tr. W 1.

Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio praefigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas.
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole?
Exspecta: haud aliud respondeat haec anus. I nunc,
Dinomaches ego sum! suffla, *sum candidus!* Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocima vernae.“

puta in ras. G. M 7. P 5. *puto* ex corr. Mp. P 3. α 1. 6. 7. *puto* (supr. *a*) M 4. — *est* om. Br 4. D. Erl. M 10. P 4. R 1. 2. — *reet. istud* A. Br 3. 4. 5. 6. G. M 3. 4. 7. 11. P 1. 2. 3 (e corr.). 6. R 1. α 2. 5. 6. 7. *illud* cett. codd. γ. Prisc. l. l.

v. 10. *etiam* B 3. *enim* G.

v. 11. *decernis* G (corr.). M 2. β.

v. 12. *vero* (supr. *a*) B 2. *varro* A. F 2. V. — *crura subit* coni. Guyet.

v. 13 l. Isid. Or. I, 23, 1. — *potis e nigr.* P 1. *es* in ras. P 5. *est* Isid. l. l. — *preterfig.* (*ter* del.) B 5. — Post v. 3. B 3. Sg 1. inserunt hunc vs. e schol. desumtum: *O multum ante alias infelix littera theta.*

v. 14. *quin tu* in ras. P 5 (fuit *quantum*). *quid* corr. G. — *tu* om. B 3. — Post vs. 14 desiderat quaedam Guyet.

v. 17. *quid* P 2. *quo* Br 2. — *summi boni* M 7. *bona* B 3. — *iuncta* B 5. M 2. 5.

v. 19. *en specta* coni. Marcil. — *haut* B 5. M 10. P 3. — *aliter* P 1. — *anus*? dist. Meister. comm. p. 26. — *ii nunc* M 10. Sg 1. *in hunc* B 1. 2. M 8. P 4. R 2. W 2. *in cum* M 2. *et nunc* A. *i* om. M 11. V. *inquit* pro *i nunc* Br 3. *inquis* F 1. — vs. 17 et 18 transp. B 3.

v. 20—22 l. Io. Sarisb. VI, 4. Distinxi vs. 19 et 20 Fülleborn. secutus. Vulgo: *I nunc! D. e. s. Suffla. S. c.*

v. 21. *dum non* B 3. 5. Bs 1 (supr. *ne*). M 9. Io. Sar. l. l. *me* corr. G. — vv. *pann. Bauc.* l. Donat. ad Ter. Andr. IV, 4, 31. Schol. Hor. Epp. I, 3, 14 auctar. Cruq. p. 693. *panucia* D. φ. *pannutia* B 1. M 8. P 3. W 1. *pannuctia* M 4. *pannuncia* M 7. *panunchia* B 4. *pannucea* B 2. 3. 5. Br 1. 2. 3. F 1. L. P 1. 6. 7. W 2. *pannuchea* E. P 4. 5. Sg 1. *parnucea* R 1. — *barcis* R 1.

v. 22. *dum* B 2. *dum non* α 7. — *distincto* B 3. 5. H. *male praecincto* coni. Guyet. — *cunctav.* P 3. *cantaret* Br 6. — *ozima* A. B. 1. 2. 4. 5. Br 2. 6. Bs. 1. 2. D. Erl. G. H. L. M 1. 3. 6. 7. 8. 9. 10. 11. P 1. 2. 4. 5. T. V. *ozina* R 1. *ozyma* M 3. *osima* Br 4. *ocima* Br 3. 5. C.

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed praecedenti spectatur mantica tergo!
Quaesieris: Nostin' Vettidi praedia? „Cuius?“
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.
„Hunc ais? hunc dis iratis, genioque sinistro,
Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolae veterem metuens deradere limum,
Ingemit: *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
Caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam faecem morientis sorbet aceti.“ —

E. Mp. P 7. W 1. 2. *ocyma* B 3. Br 1. F 1. 2. M 4. 5. P 3. 6. R 2. Sg 1. 2. Tr. *otia* coni. I. Scoppa collectt. II, 11.

v. 23 sq. l. Petr. Bles. ep. XLV. — *at* α 7. — *temptant* B 5. *tentet* B 3. F 1. H. *tenta* M 5. *se teneat* G.

v. 24 l. Schol. Cruq. Hor. Sat. II, 3, 299. — *sic* ϱ. — *praecedentis* M 2. 4. — *dorso* φ.

v. 25. *quaesierit* Mp. cf. I, 18. — *nosti* P 6. — *Vetidi* A. B 1. 2. Bs 1. 2. D. F 2. M 7. 8. 9. 11. R 2. V. *vetidii* Br 2. P 7. *vetidis* B 4. E. P. 1. 4. 5. *vettidis* π. *vesidis* Br 3. *vetidi* (supr. *c*) M 1. 3. *vectidi* B 3. 5. Br 1. 4. 5. 6. C. H. L. M 2. 4. 5. 10. Sg 1. 2. T. W 1. *voctidii* Erl. G. Mp. *vectidis* F 1. M 6. P 3. W 2. *ventidi* L. R 1. cod. Vatic. 1709. ut voluit Meister, comm. p. 34 sq. Cum *Vectidii* nomen in inscriptionibus, quantum equidem reperire potui, nusquam legatur, videtur in codd. haec forma ex prava medii aevi consuetudine orta esse, qua *ct* pro *t* ponebant, cf. Drakenb. ad Liv. IV, 28. 3. Cort. ad Lucan. IV, 9. Praetuli igitur *Vettidi*, quod nomen saepissime invenitur. *Ventidii* nomen commendaret locus Iuvenalis (XI, 22), cuius iam meminit Casaub., si coniecturam facere liceret, positum fuisse Ventidii nomen in exemplum hominis ditissimi.

v. 26. *erat* F 1. M 7. P 3. R 1. — *oberrat* A. B 3. 4 (e corr.). 5. Br 1. 5. Bs 2. E. F 1. 2. G. H. M 1. 2. 3. 5. 8. 9. 10. 11. Mp. P 1. 2. 5. R 1. 2. T. V. *s.* ϱ. *abherret* M 6. *milvus erret* Tr. *Oberret* quod in antiquissimis codd. est, et h. l. aptissimum, servavi, cum praesertim indicativum reponere ament librarii pro coniunctivo.

v. 27. *agis* M 7.

v. 28. *qui* om. M 2. — *qūque* Br 3. 5. *quodcumque* P 6. — *pertonsa* A. F 2.

v. 29. *veteris* B 2. Br 3. 6. Bs 1. C, D. E. Erl. F 1. H. M 5. 10. Mp. R 1. Sg 1. T. W 1. β. *veterem* cett. φ. prob. G. Canter Nov. lectt. VI, 14. — *met. vet.* T. — *eradere* E. *detrudere* D. *de carcere* G.

v. 30. *sale incidens* P 6.

v. 31. *farrata—olla* M 10. Mp. Tr. *farreatam—offam*, illud e coni., hoc e codd. leg. Gifan. conl. Lucret. s. v. *ferrata*. — *blandentibus* M 10. Sg. 2.

v. 32. *pannosamque* G. M 10. 11. R 2. V. — *sordet* B 3. — *faciem* R 2.

At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores, penemque, arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
„Tu, cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe aduncа,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.“ —
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis:
Vivitur hoc pacto: sic novimus. Ilia subter
Caecum vulnus habes; sed lato balteus auro

v. 33. *ac* B 5. Br 2. L. T. — *cessas* Br 3. 5. C. M 9. P 6. R 2. Sg 2. — *figas* in ras. F 1. *frigas* P 4. 5 (*r* eras.). *frigas* (*c.* supr.) Mp. *fricas* B 1. Br 3. D. M 4. 6. P 3. R 1. 2. *β*.
v. 34. *te* om. D. P 6. *ε*. — *tangit* B 3. Br 2. Mp. R 2.
v. 35. *despuit* Br 3. R 2. Sg 1. *despumat* Br 6. *disputat β*. — *hi mores* B 3. F 1 (in ras.). M 9. Mp. P 3. 6. Tr. W 1. *ε*. *hos mores* B 5.
v. 36. *et pop.* P 2. V. *populi* E.
v. 37. *tum cum* A. F 2. M 11. R 1. *tunc cum* B 1. 3. 5. Br 4. 5. Bs 1. 2. E. M 9. Mp. P 3. R 2. *β. ε. π. ϱ. tē cum* Br 3. *te cum* B 4. *tunc cum* W 1. *tun cum* M 7. et ita scriptum fuisse censeo (cf. ad V, 146. VI, 37). Verum cum nullum afferre possim exemplum, ubi *tune* ita positum sit, ut altera interrogandi particula sequatur, nolui id recipere. Quamquam hoc vulgari sermoni, in quo frequentissimum est illud *tun*, praesertim concitato et indignabundo, egregie, ut mihi quidem videtur, conveniret. Quod vero docet Priscianus (XVI, 2 p. 1032), *ne* particulam interdum nec interrogativam, nec dubitativam, sed confirmativam esse, huc non pertinet. *an cum* Sg 1. — *cum in max.* Br 3. 4. 5. C. M 10. P 5. Sg 2. *mmaximis* P 4. — *bal. gaus. pectes* l. Prisc. VII, 11 p. 759. — *pectis* Br 3. Bs 1. M 1. 3. *pectus* H. *pexas* M 8.
v. 38. *gurgulio* magno consensu codd. *curculio* G. *curgulio* T. *gurgulus* Br 2. — *extet γ*.
v. 39. *palestinae* W 2. — *plantarea* B 5. — *vallant* M 2.
v. 40. *elisasq.* Br 1. 6. — *el. atque nat.* M 9. — *labefactant* B 3. Br 2. C. — *forpice* H. F 1. M 8. 10.
v. 41. *nec t.* D. — *filex* B 2. F 2. M 9. W 1 (supr. *ix*). *felix* B 5. M 1 (supr. *i*). — *ullo* om. C. — *mansuescet* P 2.
v. 42. *credimus* B 5. — *vices φ*. — *praebentes* Br 4. C. Erl. M 10. *a* 2. 6.
v. 43 vv. *viv. h. pacto* l. Diomed. I p. 393. — *vivimus* G. — *et sic* D. — *sic vovimus* em. Guyet.
v. 44. *habet* (supr. *s*) P 4. — *si* Br 2. — *late* G. — *alta. eus* Mp.

Praetegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. „Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?“ Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis, in penem quicquid tibi venit amorum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo;
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

v. 45. *protegit* A. B 3. Br 1. D. Erl. G. L. M 4. 9. 10. 11. R 1. Sg 1. T. V. α 7. *protegis* B 4. *protegis et* α 2. 6. — *maius* Br 1. 4. *manus* A.
v. 46. *petes* B 5. *potest* Br 1. — *si me* P 2. — *dicta* Mp.
v. 47. Io. Sarisb. III, 5: „Tu quoque praeviso si palles i. n. si f. i. p. q. tibi ven. amorum licet te tota vicinia modestum dicat ac pudicum, minime vel iurantibus credas.“ — *nun cr.* P 2. *num cr.* B 3. *ne cred.* Bs 1. Sg 1.
v. 48. *tibi reycit am.* Br 2. — *amurum* B 1. *amorum* Io. Sarisb. l. l. idque verum puto. Nam *penem amarum* h. l. haud apte explicari a VV. DD. certum est, nec video, quo modo recte intelligi possit. Nam eo sensu dici non potest *amarus,* quo *πικρὸς ἔρως*, amor amarus dicitur, ut ad dolores, quos amor secum ferat referatur, quod quidam voluerunt, cum hoc neque ad penem ullo modo pertineat, nec h. l. aptum sit, ubi de intemperantissima libidine agitur. Nec Turnebi (Advv. XV, 3. XXX, 8) ratio probanda videtur, qui *amarum penem* impulsu voluptatis, dolore scilicet, qui libidinosos urat nec quiescere sinat, molestum interpretatur. Denique a vero aberrarunt, qui *amarum penem* interpretati sunt morosum, fastidiosum, nam hoc totius loci sententia et vv. *quicquid venit* satis refutant. Quod apud Io. Sarisb. legitur *amorum,* quamquam vix maiorem auctoritatem habet, quam coniecturae, perbene, si quid video, potest explicari, et facillime potuit corrumpi, quod docet etiam cod. B 1. lectio. — *in peni q. t. v. amatum* coni. Guyet.
v. 49. *putea* M 11. *pueal* G. *putal* coni. Meister. comm. p. 85. — *caut. multa* B 2. 5. Br 3. Bs 1. 2. D. H. M 4. 6. 7. 8. P 2. 5. 6. T. *captus* B 5. — *fibice* M 1. 3.
v. 50. *nequaquam* W 2.
v. 51. *respuat* Mp. *respice* H. — *non* om. M 8. — *est* Bs ?. P 6. *ē* Mp. — *praemia q.* — *credo* B 5. M 3. R 1.
v. 52 l. Petr. Bles. ep. CVII. — *ut noris* B 1. 3. 5. Br 3. 5. 6. Bs 2. E. M 2. 9. Mp. P 7. R 1. α 1. β. *aut noris* Br 4. C. Erl. α 5. *et noris* A. Br 1. 2. D. F 2. H. M 1. 3. 4. 5. 10. 11. Petr. Bl. l. l.

SATIRA V.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
„Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

v. 1. *tibi* T. — *ponere* F 2. — *linguas* R 1.
v. 2. *et voces* R 1. — *obtare* Mp. — *in carmine* B 5. Br 5. C. Erl. M 7. 9. 10. 11. P 7. α 7. γ. ϱ. *carminis* Sg 2.
v. 3. *hiando* P 4. *hyando* G. V.
v. 4. *parchi* B 4. *parti* P 4. 5. *patri* M 2. — *unguine* Br 2.
v. 5. *hoc* B 5. — *octas* B 5. — vs. 5 post vs. 2 ponit D.
v. 6. *ingerit* B 5. *eggeris* coni. Th. in Heidelb. Jbb. 1822 n. 51 p. 804 sq. — *et par* M 5. — *gurgite* φ.
v. 7. *helic.* om. Mp. — *legunto elic.* P 7.
v. 8. *Procnes* B 2. 4. Br 4. 6. C. M 9. Mp. P 3. W 1. 2. Utraque forma inscriptionum et codd. auctoritate munita est, cf. Heins. ad Ovid. Met. VI, 428. Schneider gramm. lat. I p. 238.
v. 9. *fervebat* M 11. — *inviso* c. gl. *deformi* π. — *conanda* G. *cananda* (*cantanda?*) Mp. *scenanda* B 5.
v. 10 l. Schol. Hor Sat. I, 4, 19. — *nec* L. — *cum* M 5.
v. 11. *premes* M 2. — *ne clauso* P 1. — *cluso* W 2. *claso* Mp. — *raucos* M 2. *raucis* Mp.
v. 12 l. Prisc. VIII, 14 p. 828. — *grave tec.* V. — *cornicarnis* P 1.
v. 13. *stlopo* B 3. Bs 1. M 9. α 1. *stolpo* P 4. 5. *stlopho* Sg 1. *stoplo* α 4. *stloplo* B 5. *stopo* P 3. *stropo* Br 3. *stropplo* H. *tropho* Bs 1. *scloppo* A. Br 1. 2. 6. D. E. F 1. 2. M 1. 5. 6. 10. 11. Mp (c. gloss. *ΑΝΑΓΑΡΓΑΡΙCΜΑΤΕΙ*). α 2. 5. 6. *sclopo* T. cod. Gifanii conl. Lucr. s. v. *bombis*. α 3. *schloppo* Br 5. *scolppo* Br 4. *scloppio* R 2. *scopho* R 1. Scribendi rationem cum *stl* praeter analogiam defendit etiam Prisc. I, 10 p. 565. Ibi ex Krehlii restitutione ita legitur: „Tres autem consonantes non aliter possunt iungi in principio syllabae, nisi sit prima *s* vel *c* vel *p*; secunda quidem post *s*, *c* vel *p* vel *t*, tertia *l* vel *r*, ut *Asclepiodotus, scriba, stloppus, splendidus,*

Verba togae sequeris, iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quae dicas: mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.“ —
Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo;
Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camena
Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat. Pulsa, dignoscere cautus

spretus, stratus.“ Quae restitutio num probanda sit, nunc non disputo, cum, utut se habet, certum sit, Priscianum v. *stloppus* tamquam exemplo uti vocabuli a *stl* incipientis. Ceterum apparet, v. *stratus* non suo loco posuisse Krehlium, quod rectius in antiquis editt. post v. *stloppus* sequitur. Utrum simplex an duplex *p* ponendum sit, anceps est iudicium. Pet. Danielis haec est annotatio, cuius partem edidit Hauthal: „*stroplo* vet. *stloppo* al., *scloplo* al. Vide autem, num ad hoc referri possit illud Plauti in Cas. II, 8, 59 *sculponeas*, quamquam is locus videtur mendosus esse et leg. *hysculponeae* a Gr. ὕσκλος i. ligula et πούς, cf. Isid. Or. XIX, 31. Fulg. expos. serm. ant. Tu perpende, num hoc loco rectius *colpo* i. *colapho* legi possit, quae dictio est in legibus Alemannorum tit. 96 de eo qui ingenuum colpo percusserit.“

v. 14. *sequere* coni. Pinzger in Jen. Littztg. 1822 n. 199 p. 131.

v. 15. *teres* B 1. 3. 5. Br 1 (?). M 5. P 7. Sg 1. Tr. *teres* (supr. *i*) Oxon. antiq. ap. Hauthal. *terens* Mp. *tenes* (supr. *teris*) M 1. *tenens* M 3. *teris* cett. codd. *α. terris β.* — *pallentis* G. P 3. Tr. — *rodere* Br 3. V. Fabr.

v. 16. *ingenio* B 5. F 1. G. M 5. 6. 8. P 3. 6. R 1. W 2. *ingenio* supr. *uo* M 1. 2. 3. 10.

v. 17. *dicis* B 1. M 6. 8. Mp. P 2. W 1 (corr. in *a*). *dices* M 7. P 7. W 2. *dices* (supr. *a.*) P 3. — *mensamque* edd. mult.

v. 18. *plebeaq.* P 2. — *que* om. V.

v. 19. *nonne quidem — populatis* Adhelm. in Maii Auctt. class. Vatt. t. V p. 528. — *quidem* L. — *haec* P 1. *hic* T. *hoc* om. V. *α* 1. *γ*. — *bullatis* B 3. Br 1. 2. 3. 4. 6. Bs 2. E. G. M 4. 7. 9. 10. 11. P. n. 7984 ap. Hauthal. n. 3110. 8282 ap. Achaintr. Sg 1. T. W 2. *α* 3. 5. *bullatis* supr. *pullatis* F 2. *pullatis* cett. codd. *β.* et numero plures et antiquitate graviores. Vereor autem, ut *bullatus* omnino sensum habeat, qualem voluerunt intpp., *pueriliter inanis* aut *levis ut bulla.* — *bullatas — nugas* leg. Ios. Scaliger apud Pith.

v. 21. *secrete* L. Mp. V.

v. 22. *quantoque* B 3.

v. 23. *pars tibi s.* Br 1. 2. C. M. 8. *α* 2. 3. 5. 6. *β*.

Quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra. —
Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit,
Cum blandi comites, totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,
Cumque iter ambiguum est, et vitae nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos

v. 25. *stolidum* P 5. — *fictae* coni. Graev. epp. ad Heins. CCXXXIII t. IV p. 298. — *tectoria* Br 1. 2. 4. 5. 6. Bs 2. C. Erl. H. M 2. 4. 5. 10. Mp. P 3. 6. 7. R 1. Sg 1. 2. T. W 1. Oxon. antiq. apud Hauthal. *ling. tectoria pict.* B 3. Br 3. *tectoria* in ras. F 1. *tentoria* ϱ. *plectoria* (supr. *tectoria*) F 2. *plectoria* A. B 1. Bs 1. D. E. G. L. M 1. 3. 6. 7. 8. 9. 11. P 1. 2. 4. 5. R 2. Tr. V. W 1. *plēctoria* cod. Leid. ap. Burm. ad Anthol. Lat. II p. 419. *pictoria* B 5. Paris. 8072 ap. Achaintr. *decertoria* P 6. *tinctoria* coni. Burm. l. l. *plancloria* coni. Hauthal. *Tectoria* hic legisse Augustinum docet locus eius, Epp. 132 t. II p. 300 Ben.: „Sincera enim et solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum nec ullo linguae tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat.“

v. 26. *hic* Br 1. 3. 4. 5. 6. Bs 1. C. Erl. M 1. 6. 7. 8. 11. Mp. P 4. 5. 6. R 2. T. V. W 2. *hinc* B 5. Sg 2. *hinc* A. Br 2. F 2. H. L. M 9. 10. P 2. 7. W 2 (supr. *his*). *huc* Tr. *his* B 1. 3. Bs 2. D. E. F 1. G. M 2. 3. 4. 5. P 1. 3. R 1. Sg 1. ϕ.

v. 27. *et qu.* H. *quantum ego te* α 2. *quantumque mihi* α 7. — *te in sin.* D. — *in* om. B 3.

v. 28. *puram* P 1. *puta* Mp. — *haec* A. B 3. Bs 1. 2. C. G. H. M 5. P 7. R 1. T. W 1 (e corr.). α 5. 6. — *resignant* M 9.

v. 29. *quid* G. — *enarbile friba* B 5. — vs. 29. 31. 30. 32 transp. B 5.

v. 30. *custos, cum purp.* coni. König.

v. 32. *Subura* A. B 1. 3. 5. D. G. M 7. P 1. 2. 3. 5. al., ut inscriptiones et codd. optimi e. g. Iuvenalis, Martialis, exhibent, cf. Schneider. gr. Lat. I p. 430 sq. — v. 33. *permittit* T.

v. 34. *est* om. B 1. R 1. T. — *horror* R 1. δ.

v. 35 l. Serv. ad Virg. Aen. VI, 136. — *deducit* B 1. 5. Br 3. 4. Bs 1. 2. D. Erl. F 1. G. H. M 2. 7. 8. Mp. P 2. 3. 4. 5. Sg 1. 2 Oxonn. ap. Hauthal. prob. Bynkershoek ap. Duker. de Lat. Iett. p. 345. *deduci* Br 1. *diducit* cett. codd. β. prob. Heins. ad Ovid. Met. IV, 375. *traducit* Serv. l. l.

v. 36. *seposui* B 1. Mp. P 3 (eras. *e*). Tr. V. W 1 (supr. *sub*). Oxon. ap. Hauthal. *posui* ε. — *suspicis* B 5. B 2. 5. T. — *agnos* B 5.

Socratico, Cornute, sinu. Tum fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes;
Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci;
Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum. —

Mille hominum species, et rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

v. 37. *sibi nu* B 5. — *tum* B 1. 5. Bs 1. D. E. M 3. 4. 6. 7. 8. Mp. P 1. 3. 4. 5. 7. R 1. V. *β. tu f.* Bs 2. *γ.* Oxon. ap. Hauthal. *tua f.* M 9. *dum* A. F 2. H. L. M 11. *tunc* cett.
v. 38. *ostendit* Br 1. 4. C. D. G. *α* 2. 3. 5. 6. *tendit* M 10.
v. 40. *artificisque* coni. Casaub. — *tuo ducte* B 1.
v. 41 l. Schol. Lucan. III, 401. — *et long. ε.* — *enim* R 1.
v. 43. *de corpore* V. *deducere* M 3. *destertere δ.*
v. 45 sq. *non — dies* l. Serv. ad Virg. Aen. I, 576. — *nonne quidem* P 1. *nequidem* P 7. — *haec* T. *hoc* om. Bs 1. — *dubitas* M 6. *β. dubitem* coni. Guyet.
v. 46. *deos* apud Serv. ex edit. G. Fabricii legitur, prob. Marcil.
vs. 47—51 l. Io. Sarisb. I, 12. Petr. Bles. de praestig. fort. p. 596 (ed. Paris. 1667) — v. 47 bis scriptus est in B 5, ubi semel exstat *contra vel — suspendat.* — *aequalis* Mp. — *suspendi* M 7. P 4. 5.
v. 48. *vel nata* coni. Guyet.
v. 49 l. Prisc. VII, 12 p. 764. — *ingenuos* R 2. *in geminis* coni. Guyet. — *facta γ.* Io. Sar. l. l.
v. 50. *Saturnumve* em. Mitscherlich. ad Hor. carm. II, 17, 22. — *ima* Mp.
v. 51. *quid* A. B 2. 4 (teste Hauthalio). Br 2. Bs 1. 2. C. D. Erl. M 5. 7. 9. Mp. T. *α* 4. 5. 7. — *est quid* Br 6. P 7 (teste Hauthal.). — *te mihi* Io. Sar. l. l. — *temperet* Bs 1. 2. M 11. P 1. 3. R 2. Sg 1. — *austrum* M 1. 8. P 1.
v. 52 l. Schol. Hor. apud C. Barth. Advv. XLII. 4.

Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, et pallentis grana cumini,
Hic satur irriguo mavult turgescere somno,
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuvat impallescere chartis:
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, iuvenesque senesque,
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
„Cras hoc fiet.“ Idem cras fiet. „Quid, quasi magnum,

v. 54. *meracus* (supr. *arcibs*) *hic atalus* B 5. *hic talis* M. 8. — *nutat* B 5.
v. 55. vv. *rug. pip.* l. Prisc. VI, 3 p. 682. Prob. cathol. p. 1457. — *et* om. D. — *pallentes* Br 6. P 7. — *cymini* B 1. D. G. M 7. 8. P 1. 2. 3. 4. 5. T. V. al. *cimini* P 7. W 2. *camini* (supr. *u*) B 5. Cf. Vel. Long. orthogr. p. 2215: „Graeci dicunt *cyminum*, nos *cuminum*.“
v. 56. *irruguo* B 5. *inriguo* Mp.
v. 57. *hi* V. — *indulgent* H. V. φ. — vs. 57 sq. vv. *ille in Venerem putris* l. Serv. ad Virg. Georg. IV, 198.
v. 58. *ventrem* B 5. Bs 1. T. W 2. — *venerem est putris* A. Bs 2. E. F 2. M 8. 11. *putris est* Br 1. 6. Bs 1. H. T. W 2. α 3. prob. H. Peerlkamp. ad Hor. carm. I, 36, 17. *est* a 2m. add. P 7. *putret* Br 2. *putrit* ut v. l. agnoscunt Cornut. B 1. Oxon., unde Hauthal. legi posse putat *puter it. putas* Erl. — vs. 58—61. *sed — relictam* l. Petr. Bles. ep. 85. — *set* M 7. *et* M 4. P 3. R 1. ε. — *ciragra* A. B 3. Br 2. D. H. P 2. 3. 4. 5. 6. al. *cheragra* Mp., ut ubique metri causa scribi voluerunt Bentl. et Orell. ad Hor. Sat. II, 7, 15, et ex optimis codd. Mart. I, 98, 2 Schneidewin. reposuit.
v. 59. *fecerit* Mp. — *rumalia* B 5. — *faci* Mp.
v. 60 sq. l. Io. Sarisb. VII, 19. — *tum* Br 1. — *transire* Bs 1 (supr. *ss*). φ.
v. 61. *tibi* M 6. — *serit* B 5. *fieri* W 2. *sero* Br 2. 4. *serio* v. l. V. — *miseri* Io. Sar. l. l. impr. Gron. obs. IV, 12 p. 195. — *gemuere* Io. Sar. l. l. — *relicta* Mp.
v. 62 l. Vel. Long. de orthogr. p. 2225.
v. 63. *enim es* M 6. ut multae antiq. edd.
v. 64. *Cloantea* A. B 3. Bs 2. F 2. L. P 6. al. — *hunc* W 1. — *iuvenes sen.* M 6. *pueri senesque* A. B 3. 5. Br 5. Bs 1. F 2. G. H. M 4. 9. 11. P 6. R 1. 2.
v. 65. *serisque* em. Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 58.
v. 66. *hoc fiat* P 1. — *cr. fiat* B 1. Mp. P 1. 3 (supr. *e*). ε. ϱ. — *quod* B 1. M 2. β.

Nempe diem, donas?“ Sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumsimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, et in axe secundo. —
Libertate opus est: non hac, ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa lippus, et in tenui farragine mendax:

v. 67. *set* M 7. — *idem don.* Br 1.

v. 68 l. Serv. ad Virg. Aen. V, 19, ubi in quibusd. editt. *cr. hest. heu cons.*, non improb. Casaub. Prisc. XVIII, 30 p. 1210: „Nostri quoque adverbiis est quando casualia adiungunt, ut Persius: *hesternum cras abiit.*“ Etiam hic memoria eum fefellit: cf. ad II, 52.

v. 69. *erit cras* D. — *hoc* W 2. *α* 2. — *p. geritu.* Erl. — *Egerit hoc annos semper paulum egerit ultra* em. Marcil., quam emendationem I. Scaligero adscribit Io. Tornolupaeus.

v. 70. *quamquam—quamquam* Br 3. Bs 2. *quā* Mp. — *prope se* B 1. Mp. — *imo* Br 2.

v. 71. Quintilianus de barbarismis agens (I, 5, 8): „Unum genus, quale fit, si quis Afrum vel Hispanum Latinae orationi nomen inserat: ut ferrum, quo rotae vinciuntur, dici solet *canthus*, quamquam eo tamquam recepto utitur Persius.“ *cantum* A. Br 2. Bs 2. D. G. H. L. M 1. 3. 7. 9. 10. 11. P 1. 2. 5. 6. R 1. 2. T. Tr.

v. 72. *cum tu post.* em. Guyet. — *currat* B 1. — *et* om. D. — *asse* B 5.

v. 73 l. Schol. Hor. Epp. I, 6, 51. — *hac quisq.* B 5. *hac que quisq.* M 6. *hac qua quisque* A. F 1. 2. H. M 10. 11. *α* 2. 3. 4. 5. 6. *hac qua ut quisq.* Br 3. *hac quam quisq.* Br 4. L. *ϱ. quam* (supr. *ut*) *quisq.* Bs 1. *hac quam ut quisq.* Br 2. 6. G. P 2. 6. *hac ubi quisq.* Br 5. M 9.

v. 74. *tessurula* B 5.

v. 75. Totum locum a vs. 73 ita constituit Meister., letzte Studien p. 99: *non hac, qua — ut quisque Vel. Publ. em. — scabiosum tesserulae far possidet.* Nasser: *non hac, ut qu. Vel. Publ. emeret, ut scabios. tess. f. possideat. Veri heu* etc. Passow: *non hac, quam, ut quisque Vel. Publ. emeruit: sc. t. f. p.* Krause, diss. de A. Pers. Fl. satt. p. 8: *non hac, ut, — quisque Vel. P. em. se t. f., — possidet.* Hauthal.: *non hac, ut quisque V. P. em.: sc. t. f. p. — quirites* Bs 2. G. Diomed. I p. 315: „Masculina semper pluralia — Quirites. Sed Flaccus in satyra *Quiritem* dixit.“ Cf. intpp. Horat. carm. II, 7, 3.

v. 76. *Damasus non* Mp. *Damna β. est ut tr.* Bs 1. — *tresis* M 2. *trissis* Scal. ad Manil. p. 295 ed. 2. — *Dama et non tr. ag.* coni. Marcil.

v. 77. *vappa lippus* A. B 1. 3. 5. Br 3. 5. Bs 1. 2. D. F 2. G. M 1. 2. 3. 4.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Papae! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est. Adsigna, Marce, tabellas.
Haec mera libertas, hoc nobis pilea donant.
„An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior Bruto?“ *Mendose colligis*, inquit
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto,
Haec reliqua accipio, licet illud et ut volo tolle.
„Vindicta postquam meus a praetore recessi,

7. 8. 9. P 1. 4. Sg 1. $\beta. \pi.$ Oxon. ap. Hauthal. *vappa leppus* P 6. *vappaque lipp.* Erl. L. M 11. $\varphi.$ *vappa et lipp.* cett. — *in* om. V. — *sartagine* M 10.

v. 78. *vertit* D. — *mom. temporis* B 1 (supr. *turbinis*). 3. 5 (in marg. *turbinis*). Br 3. 4. 6. Bs 1 (in marg. *turbinis*). C. E. Erl. F 1. M 9. 10. 11. Mp. P 2. 6. R 1. 2. Sg 2. T. Tr. W 1 (supr. *turbinis*). $\varepsilon.$ $\varrho.$ $\varphi.$

v. 79 l. Isid. Orig. I, 35, 17. vs. 79 sqq. *papae — tabellas* l. Io. Sarisb. III, 5.

v. 80. *minimos* B 5.

v. 81 l. Isid. Orig. I, 35, 17. — *has signa* leg. nescio quis ap. Marcil. *obsigna* $\delta.$ — v. 81 et 82 transp. G.

v. 82. *vera* Br 4. — *hoc* in ras. F 1. *haec* A. Bs 1. H. M 11. P 2. 7. R 2. T. Tr. α 6. *hanc* Br 1. 2. 3. 4. 5. 6. Bs 2. C. D. F 2. G. M 4. 5. 9. 10. $\varrho.$ — *pillea* A. B 1. 3. 5. D. G. L. M 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. Mp. P 1. 2. 3. 4. 5. 6. R 2. $\varepsilon.$ — *donat* H. M 11.

v. 83. *an qu. liber est al.* M 1. — *dicere tutam* B 5.

v. 84. *cui libet* B 3. Br 2. 6. H. M 2. P 7. Par. 7984 ap. Hauthal. α 5. 6. — *ut libuit* B 3. 5. Bs 1. D. E. F 1 (in ras.). G. M 2. 4. Mp. P 2. 6. 7. R 1. V. $\gamma.$ $\varepsilon.$ $\varrho.$ Par 7984. Oxon. ap. Hauthal. *voluit* (supr. *libuit*) P 3. *libuit* (supr. *voluit*) W 1. *bibuit* W 2. *volupe est* $\varphi.$ — *num* A. Br 4. C. F 2. L. — *sim* B 1 (supr. *sum*). Br 3. P 4.

v. 85. *butro* B 5. *burto* M 4. — *inquid* B 5. M 1. P 6.

v. 87. *hoc* Br 2. F 1. M 2. 4. 5. 6. — *haec reliquum* Tr. — *excipio* coni. Guyet. — *istud* Br 3. Bs 1. Sg 1. V. *illud* om. Br 1. — *et* om. Br 3. M 10. R 1. 2. *ut* om. Br 1. D. M 8. P 6. *illud de tuo* $\pi.$ — *volo unice* Br 1. — *licet ut volo vivere* Br 2. 4. 5. 6. C. Erl. M 8 9. 11. P 6. Sg 2. α 2. 3. 5. 6. — *tollo* Erl. Sg 1.

v. 88 l. Prisc. XII. 2 p. 939. XVII, 17 p. 1084; 27 p. 1113. XVIII, p. 1208. — vv. *postq.—recessi* l. Prisc. XVII, 22 p. 1103.

Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?“
Disce! sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidae permittere vitae:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,

v. 89. *licuit* P 7. — *quocunque* B 3. P 2. — *voluptas* G. M 1. 3. P 6. solita confusione, cf. Cort. ad Lucan. IV, 705.
v. 90. *excepto quod M. r. notavit* in ant. codd. legi testatur Marin. Scodrensis ap. Murm. — *Massuri* Erl. H. M 11. *Mansuri* A. Br 2. P 7. *Mansari* R 2. *Marsuri* M 1. *Massura* B 5. M 2. 6. 7. 8. P 5. e cod. suo Io. Bertrand. de Ictis I, 4 p. 54, improb. Guil. Grotius de vitt. Ictt. II, 1 p. 91. *Mansura* M 9 (corr. in *Masuri*). V. *Masuri* nomen ita scriptum in lapidibus invenitur, cf. Manut. de quaesitis per epist. I, 1 p. 25. Guasco, Inscrr. Mus. Capit. II, n. 394. Murat. t. II, p. 601, 1. Bullett. d. Inst. arch. a. 1836 p. 141, 10. Athen. XIV, 18 p. 623 E. scribit *Μασούριος*, quod non impedit, quonimus *u* vocalis corripiatur, nam haud raro in nominibus Romanis *ov* pro *u* brevi ponitur, ut in inscriptione Memnonis statuae insculpta: *ἔκλυον ἧς Κάτουλος ταγὸς ὁ Θηβαΐδος* apud Letronnium (la statue vocale de Memnon p. 212), cf. Welcker. Syll. epigr. p. 85. — *vetarit* Br 3. P 1. *vacavit* W 2. *notavit* Br 4. *α* 2. 4.
v. 91. *ira* om. B 5. — *cadit* B 5.
v. 92 l. Petr. Bles. ep. 3. — *cum* B 4. M 5. 6. 8. P 4. 5. V. W 1. — *veteris* H. *veteresse abias* Mp. *scabies* M 9. *rebello* Br 4. Mp.
v. 93. *nē pr.* M 8. — *erit* M 9. Mp. P 2. — *dare stult.* E.
v. 94. *suum* B 5.
v. 96. *garrit* B 1. 3. 4. Br 1. 3. 5. D. E. F 1. H. M 4. 5. 6. 9. 10. Mp. P 1. 6. 7. R 1. Sg 1. Tr. *α* 2. 3. 4. 5. 6. *ϱ. φ.* Oxon. ap. Hauthal. *gannit* cett. et 4 codd. ap. Oudend. ad Apul. Met. V p. 372. Difficilis est electio. *Garrire in aurem* apud Martial. I, 89, 1. III, 28, 2. V, 61, 3. sine ulla varietate exstat; contra apud Apulei. Met. II p. 21 Pric.: *incertum quidnam in aurem mulieris obganniit*, et V p. 107 *avis in auribus Veneris—ganniebat.* Mihi potior fuit Martialis auctoritas, cuius iam boni libri excussi sunt. — *secreta—aure* P 4. 5.
v. 97. *te lic.* B 5. *nec lic.* Br 1. 6. *non lic.* Br 2. 4. *γ.* — *id* om. B 3. D. M 4. Mp. P 7 (a 2 m. add.). R 1. — *quod vis* P 7. — *quod quisque vitavit* B 1. P 7 (auctore Hauthal.). *vitiauit* A. B 3. Br 5. E. G. L. M 1. 3. 4. 5. 6. 10. 11. Mp. P 6. R 1. 2. Tr. V. W 1. 2. *β. ε. ϱ. vitiarit* H. *vicavit* Br 4.
v. 98. *publ. vis* Bs 1.

Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compescere puncto
Nescius examen; vetat hoc natura medendi.
Navim si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta, perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri specimen dignoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?

v. 99. *et* H. *ne,* in marg. *vl. ut* M3. — *insicia* B3. *isciatica* B5. — *actos* M6.
v. 100 sq. l. Schol. Hor. epp. II, 1, 114. — *deluis* Br2. P2. — *recto* P2. — *ponto* B5.
v. 101. *ignarus* Schol. Hor. l. l., qui om. vv. *examen* et *medendi.* — — *haec* G. H.
v. 102. *nav.* — *rebus* l. Schol. Hor. epp. II, 1, 114. Io. Sarisber. VII, prol. — *navim* A. B3. Br4. 5. 6. C. Erl. F2. G. L. M1. 3. 5. 6. 7. 8 P3. 4. 5. 7. R2. Sg2. T. V. W1. 2. Par. n. 7984 ap. Hauth. Io. Sar. l. l. *navium* H. *navem* cett. Cf. Schneider, gramm. Lat. II p. 208. Reisig. Vorles. p. 89. — *perornatus* M3. T. *pera natus* B5. *pedenatus* Bs1. *perocintus* Mp. — *orator* M11.
v. 103 sq. vv. *clamabit Mel. p. fr. de rebus* l. Schol. Lucan. IX, 207. — *clamet* Br4. 6. *exclamat* A. B3. 5. Br1. 2. Bs1. 2. D. F2. H. L. M9. 10. P2. 7. R1. Sg1. T. *clamat* Sg2. — *periisse* B3.
v. 104. *tabo* P1. *callo* Mp.
v. 105. Prisc. VIII, 14 p. 828: „A metallorum quoque nominibus solent nasci verba, ut ab *auro, auro, auras,* ab *aere, aero, aeras,* unde *auratus* et *aeratus.* Persius: *Et veri speciem — auro.*“ Io. Sarisb. VII, 22: „(Deus) cordium profunda scrutatur, species discernit a rebus, *ne qua — auro.*“ — *specimen* A. B1. 3. 4. Br2. C. D. Erl. F1. 2. G. H. L. M1. 3. 4. 8. 10. 11. Mp. P3. 5. 6. 7. R1. 2. *β. ϱ. φ.* 2 Oxon. Par. n. 7984 ap. Hauthal. *specum* B5. *speciem* Br1. 4. 5. 6. Bs1. 2. M2. 5. 6. 7. 9. P1. 2. 4. Sg1. 2. T. V. W1. *speciem veri* Br3. E. H. W2. Utrumque explicari potest; recepi quod maiore codd. auctoritate nititur et facilius in alterum corrumpi potuisse videtur.
v. 106 l. Prisc. VIII, 18 p. 842. sup. XII vss. Aen. I c. 2. p. 1220.: „Nam non possumus dicere *armo,* si non sint prius *arma,* quibus armamus aliquem; [nec *auro, as* vel *subaero, as,* unde Persius: *ne qua — auro,* nisi prius sit *aurum* vel *aes.*]“ Quae uncinis inclusi, margini adscripta sunt in cod. praestantissimo S, eaque spuria censet Krehlius. Lindemannus vv. *ne qua* e Persio addita putat. Hauthal. ab initio scriptum fuisse putat *aero, as* et *sub aerato.* Idem ex loco Prisciani VIII, 14 p. 828 supra adscripto patere dicit, grammaticum legisse *sub aerato,* quod mihi non videtur necessario sequi. Codicum in hac quaestione nulla potest esse auctoritas. — *suberrato* A. M10. P6. *subaurato* B3. P2. solita confusione, cf.

Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec gluto sorbere salivam Mercurialem?
Haec mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
Sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae,
Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem:
Quae dederam supra, relego, funemque reduco.

Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 35, 5. *sub aratro* M6. — *tinniet* Br 5. *tinneat* Br2. M10 (supr. *tinniat*). *timeat* M5. *titinia* G. — *oro* Mp. cf. ad III, 93.

v. 107. *quaeq. vitanda f. e. q. sequenda* Br4. Erl. — *quaeque et vit.* M7.8 (*et* supr.). *et quae vitanda* Br2.3. Bs1.2. L. M8.10. P1.6. Sg1. *et q; vicis sū vit.* B5. *quaeque vit.* B1. Br6. M6. P3.4.5. Tr. W2. ϱ. *quaeque vit.* (supr. *e*) W2. *quoniam evit.* T.

v. 108 l. Schol. Hor. Sat. II, 3, 246. — *hoc* A. G. — *notasse* Mp. R1.2.

v. 109. *et mod.* B4. M10. P4.5.7. Tr. V. *os mod.* P1. *tu mod.* Par. 8072 apud Hauthal.

v. 110. *astringis* Bs2. H. T. *adstringes* M11. — *laxas* Bs2. T. *adstringis—laxas* Marcil.

v. 111. *iamque* M1. — *possis fix.* V. — *poscis* Br4. M8. cf. I, 128. *posses* Bs2. — *transcedere* Mp. *transcere* M8.

v. 112. *glutto* A. B2. Br1.2. E. F1.2. H. M1.2.3.4.5.6.7. P5. ϱ. Oxon. ap. Hauth. *glucto* B1. cf. I, 50. *gluttu* π. *gluto* cett. — *sal sorb.* M6.7. P5.

v. 113. *tum* B5.

v. 114. *que* om. Bs2. M6. — *et sap.* H. P2. *et ac s.* Bs2. — *et Iove* Bs1.

v. 115. *Scin tu* M11. T. — *nostro* Mp. — *ante paul.* M8.

v. 116. *retinens* B1.2. E. F1 (in ras.). M2. P1.2.6. Sg1. V. W2. *retinesis* B5. — *ret. vet.* B1 (cum signo haec esse transponenda). *ret. vet.* Br3. Bs2. Sg1. — *ac fr.* M11. *a fr.* P6. — *polita* D. Mp. P1.7. R1. β. ε. prob. Heins. ad Ovid. Met. XI, 27. *pollita* B3. *pollita* Par. 7984 ap. Hauth. *pilata* Bs1.

v. 117. Io. Sarisb. VII, 21: „Astutam gerit sub pectore vulpem.“ *astuta* B5. — *valido* Bs1. — *servans* P1. W2. *portas* T. — *in pect.* E (supr. *sub*). F1.2. G. M9. P5. Tr.

v. 118. *quod* M11. — *relego* B2.3.5. Br5. F1. M1.3.4.9. Mp. P2.6.7. R1.2. β. γ. ε. ϱ. Par. 7894. 2 Oxonn. ap. Hauthal. e vett. codd. P. Pithoeus advv. subsec. II, 4. e cod. Leid. N. Heins. ad

Nil tibi concessit ratio; digitum exsere: peccas,
Et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
Haec miscere nefas, nec cum sis caetera fossor,
Tris tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
„Liber ego.“ Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
„I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.“

Ovid. Fast. III, 462. *repeto* cett. codd., α, quod mihi interpretamentum voc. *relego* esse videtur, quamquam per se aptissimum est. Nam *relego* scriptum esse pro *repeto* ob sequens *funem*, quia filum legere, relegere et similia usitata sunt (cf. Heins. Advers. II, 4 p. 235 sqq.), parum mihi videtur verisimile. — *finemque* Mp. W 2. — *repono* P 4. M 6. 7 (supr. *reduco*). V. *recundo* M 2. *reducendo* P 5. in ras.

v. 119. *ni tibi conc.* em. I. Lipsius, manuduct. ad Stoic. phil. III, 15. — *exere* A. B 1. 3. Br 1. 2. D. F 1. 2. H. M 7. 8. P 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. al. cf. Schneider. gramm. Lat. I p. 552 sqq. Wagner, orth. Verg. p. 436 sq.

v. 120. *ecquis* C. — *parum* Br 1. *pravum* W 1. — vs. 120 sq. *sed — recti* l. Io. Sarisb. III, 1. — *ture* cf. ad I, 43.

v. 121. *haer. ut in st. br. sem.* M 9. *creat ut in st. br. ac. sem.* M 8. — *ut* om. B 1 add. litteris minutis. *et sem.* C. Mp. — *semuntia* G. L. M 7. 9. P 3. 4. *semiuncia* B 3. H. M 11. R 1. 2. *semiuntia* B 1. *ε. semiund'a* M 10.

v. 122. *hoc* T. — *fessor* P 3.

v. 123 l. Schol. Hor. Cruq. Epp. II, 2, 125. — *treis* B 5. Br 1. 2. 4. 6. M 2. 4. 9. P 6. *tres* B 1. Br 3. 5. Bs 1. 2. E. P 1. 3. R 2. Sg 1. 2. T. Tr. W 2. *tris* B 3. C. D. F 1. 2. G. H. L. M 1. 3. 5. 6. 7. 8. 10. 11. Mp. R 1. W 1. α 2. 3. 4. 5. 6. Cf. Reisig. Vorles. § 69. Wagner, orthogr. Verg. p. 396. — *tamen* Bs 1. Sg 2. — *adnumeras* M 11. *tantum numeres* M 5. — *satyrum* Mp., qui coniunxit *satyrum moveri* ut Hor. epp. II, 2, 25: „Qui nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur,“ quod concinnius videri potest. Persius autem, qui illum Horatii locum sine dubio in animo habuit, hic ut alibi ita immutavit locutionem, ut ipsum Bathyllum vocaret satyrum, quo magis argutior fieret oratio. *satin* W 2. — *admov.* B 5.

v. 124. *hic* E. *hoc* om. B 5. M 7. — *sentis* B 1. 3. 5. Br. 2. 5. Bs 1. C. D. E. F 2. H. M 1. 2. 3. 4. 9. 10. 11. Mp. P 3. 6. 7. R 1. 2. Sg 1. α 1. 5. 6. $\beta. \gamma. \varepsilon. \varrho.$ 2 Oxonn. ap. Hauth. prob. Bentl. ad Hor. Sat. II, 2, 31. *sentis* om. P 1. *summis* G. P 5 (eras. *m*). *sumis* cett. codd., quod perfacile potuit ob illud *unde datum* scribi; contra cur *sentis* scriptum sit, haud facile intelligas, nam Horatii locum id effecisse, parum verisimile est. — *tot* om. M 8. — *addite* M 5.

v. 125. *ad* B 5. — *relaxet* B 1. G. γ.

v. 126. *steriles* B 5. M 8. — *Chrisippi* φ. — *portas* G.

Si increpuit: „cessas nugator?“ servitium acre
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus, et in iecore aegro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, et metus egit herilis? —
Mane piger stertis: *Surge*, inquit avaritia, *eia*
Surge! Negas, instat; *surge*, inquit. „Non queo.“ *Surge.*
„Et quid agam?“ *Rogitas? En! saperdam advehe Ponto,*
Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa;

v. 127. *en incr.* B 3. *sincrepuit* P 6. *sincrepui* M 11. *si increpui* (supr. *t*) M 2. W 1. *si increpui* D. M 1. 3. 5. 6. 7. 8. P 5. α 2. 7. *si crepuit* Br 3. M 4. *si instrepuit* Tr. *sin renuis* δ. — *cesses* M 10. *nug. cess.* M 11. — *nugut cor serviviū* Mp. — *sed vitium* A.
v. 128. *quisquam* B 5. *nequicquam* D. M 7. Mp. W 2. — *intrins.* M 5.
v. 129. *qui* M 11. — *et* om. B 3. — *pectore aegro* π.
v. 130. *nascantur* A. Br 1. F 1. 2. M 2. 5. 11. P 4. Tr. — *qui* A. B 5. Br 1. 2. 3. 4. 5. 6. Bs 1. 2. C. M 2. 5. 6. 9. 11. P 1. 2. 3. 6. R 1. T. Tr. *qui* eraso *n* F 2. *quid inp.* (supr. *tu*) Mp. *quid* D. R 1. α 1. *quin* cett. codd. β., quod contra usum est, v. Haas. ad Reisig. Vorles. p. 575 sq. — *qui cum imp.* Bs 1. — *impunitus* G. — *eris* A.
v. 131. *quem* om. ε. — *ad* om. M 8. — *egererit* B 5.
v. 132 sq. ita habet Bs 1. *Magne puer stertis. surge, inquit. nequeo. surge. en quid* cett.
v. 133. *neges* M 11. — *instas* B 5. — *inquis* B 1. 3. M 11. — *nequeo* G.
v. 134. *et quid* B 1. 2. 4. Br 1. 2. 3. 4. 5. 6. C. D. E. F 2. H. L. M 3. 4. 5. 6. 8. Mp. P 1. 2. 3. 4. 5. 7. R 1. W 1. 2. ε. π. 2 Oxonn. ap. Hauth. *en quid* cett. codd. — *rogitas en saperdam* B 3. 5. Br 6. L. M 4. 7. 8. Sg 1. 2. T. Oxon. ant. (supr. *s*) apud Hauth. *rogitas an saperdam* Bs 1. *rogitas exapnā* (*p* lineola transfixo) M 11. *rogitas en sarpedam* Br 2. P 4. *rogitans ensa perdam* W 2. *rogitans en saperda* E. M 9. *rogitas en saperdas* Br 5. F 2. G. M 3. R 2. W 1. *rogitas en sarpedas* H. P 6. V. *rogitas en asperdas* R 1. *en rogitas en saperdam* Bs 2. *en cogitas en saperdas* P 1. *rogitas saperdam* M 6. *rogitas saperdas* M 2. *rogas en saperdam* A. Br 1. D. F 1. M 1. 5. 10. P 3. 5. R 1. *rogas en saperdas* B 1. 2. Br 4. Mp. Tr. π. *en rogas saperdas* Br 3. *rogat en saperdas* P 7. *rogat cum saperdam* P 2. Quod dedi et metro et sensui convenit, et, si totam vv. ll. farraginem consideres, a codd. optime munitum est. *Saperdas* scriptum videtur ab eo, qui singulari numero offendebatur, eademque lectio aliis labantem versum fulcire visa est. Nam *rogas* negligentiae tantum vitium esse videtur, et metrum corrumpit, quod aliquo modo varie sustentare conati sunt. Hauthal. a poeta scriptum censet: *rogita en! saperdas.* Alii distinxerunt: *en saperdam! adv.*, quod diversis modis explicatur.
v. 135. *stupas* B 3. 5. Bs 1. 2. M 11. P 2. T. Altera forma a VV. DD.

Tolle recens primus piper e sitiente camelo;
Verte aliquid; iura! „Sed Iuppiter audiet.“ *Eheu*
Varo, regustatum digito terebrare salinum

praefertur, cf. Oudend. ad Suet. Ner. 38. *stipulas* W 2. — *tus* cf. ad I, 43. — *rubrica* Mp. Tr (supr. *l*).

v. 136. *primum* R 1. 2. — *et pip.* B 3. — *et sitiente* A. B 3. 5. Br 2. Bs 1. 2. D. G. H. L. M 4. 9. 11. Mp. P 3. 7. Ut vidimus, *ec*, quod ante *f* litteram in compositis pro *æ* ponitur, a librariis corrumpi in *et* (v. ad I, 65), ita hic quoque *et* simili errore natum suspiceris. Nam cum primum *cs* pro *æ* posuerint Romani (cf. Scaur. de orthogr. p. 2256. Isid. Orig. I, 4. Noris. Cenot. Pis. IV, 2, 2 p. 447 sqq.) idque serius etiam quidam retinuerint, consentaneum sane videtur, si iis verbis, quae a littera *s* incipiebant, praeponeretur praepositio *ex, ec* potius scripisse et pronuntiasse Romanos; cf. Schneider. gr. lat. I p. 558. Verum caute tamen de his statuendum et cavendum, ne talibus, quae per se incerta sunt, tanquam argumentis utamur, quod C. Schmidtium nuper fecisse video, ut Iuven. IV. 63 pravam lectionem *excessit* vindicaret.

v. 137. *Iuppiter* cf. ad II, 22. — *heheu* P 5. 7. *hebeu* B 4. 5. *euheu* B 2. *heuheu* A. Br 1. 2. 4. F 1 (in ras.). 2. H. L. M 10. 11. R 2. T. V. *α* 3. 4. 5. 6. *heu* (i. e. *heuheu*) D. G. R 1. *Eheu* rectum putat Oudendorpium secutus H. Peerlkamp ad Horat. c. p. 80, et in antiquissimis Horatii codd. inveniri ad h. l. testatur Hauthal., alii *heuheu* ponendum crediderunt, ubi prima produceretur, cf. specim. epigr. p. 108.

v. 138. *varo* A. B 1. 5. Br 2. 4. 5. D. E. F 2. H. M 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. P 1. 3. 4. 5. 7. R 1. 2. Tr. W 1. 2. *α* 2. 4. 5. *γ*. prob. Turneb. Advv. XX, 1. *varro* L. T. V. *vato* (supr. *re*) C. *vare* Br 1. 6. F 1 (in ras.). G. M 5. *α* 3. *varre α* 6. *baro* B 3. Bs 1. 2. Mp. P 2. Sg 1. prob. Pith. Advv. subs. I, 8. C. Barth Advv. XLII, 6. *barro* P 6. Apud Ciceronem de finibus II, 23, 77. de divin. II, 70, 144. Epp. ad fam. IX, 26, 3. ad Attic. V, 11, 6 ex optimis libris scribitur *baro*, ubi tamen alii *varo* et *vero* praebent. In Petronii coena Trimalchionis cod. Traguriensis, qui solus, ut notum est, eam servavit, bis habet *baro* c. 53. 63. Eandem formam tuetur quidem glossarium H. Stephani p. 27: *baro, ἀνήρ*, verum videtur hoc ad seriorem usum pertinere. Quodsi glossa: *barbo, βάκηλος*, (ibid. p. 28) a quibusdam emendatur *baro*, potest hoc perquam aptum videri, nam *βάκηλος*, quod eunuchum vel effeminatum significare solet, est etiam, ut Hesychius aliique grammatici tradunt, *ὁ μέγας ἢ ἀνόητος*, quae significatio usui v. *baro* sane egregie convenit. Verum tamen *barbo*, a barba oriundum, significat *barbatum*, et si consideres locos, ut Iuven. IV, 103: *facile est, barbato imponere regi*, intelliges hoc v. et simile *barbo* poni posse pro *stulto*. Quare quamvis verisimilis illa emendatio sit, pro certa tamen ea non possumus uti. *Baro* illud omnibus locis certam significationem habet, neque dubium mihi est, quin idem verbum hic habeamus, ubi unice aptum est. Formam *varo* autem servari, non quasi nesciam, in codd. semper confundi litteras *b* et *v*, et sine dubitatione ab editoribus posse

Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.
Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
Ocius ad navem! Nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: „Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae.
Tun' mare transsilias? tibi torta cannabe fulto

commutari, ubi alia id suadeant argumenta, sed prava illa librariorum consuetudo orta est ex vacillante populi pronuntiatione. Haec, sicut diversis regionibus sine dubio diversa fuit (distinguit inter Romanos et Ravennates Niebuhr. hist. Rom. II p. 551 ed. I), ita serioribus quidem temporibus longius longiusque processit, verum antiquiore etiam aetate hasce litteras inter se commutavit, ut docent inscriptiones, cf. Marini, Atti d. f. Arv. p. 367 sq. Itaque facile fieri potest, ut etiam hoc vocabulum, quod, si schol. audimus, ne Romanae quidem originis fuit, diverso modo pronuntiaverit popellus. Quamquam, ne quid dissimulem, id me propensiorem facit in alteram formam *baro*, quod apud Petronium invenitur. — *degustatum* R 2. *recrustatumque* coni. Guyet. — *c... brare* (num fuit *celebrare*?) B 5.

v. 139. *contemptus* A. B 1. 3. Br 1. 6. Bs 1. 2. F 2. M 11. P 6. R 2. T. — *perges* (supr. *i perages*) M 9. *pergas* M 11. — *contemptus perges* Hauthal. — *cum Iove viv.* Br 4. P 2. — *quaeris* φ.

v. 140. *puer. is* B 2. P 1. *puer his* (*h* del.) M 11. *puer is* M 8. P 3. 6. 7. 8. al. prob. Pith. Advv. subs. I, 8. *iamque humeris pell.* coni. Wakefield. Silv. crit. 70, II p. 30 sq. — *succingis* coni. Guyet. — *et* om. R 2. — *onoforum* L. M 10. — *aptans* B 1. *aptes* M 1. P 4. 5. *optas* A. Br 1. *aptus* W 2. ut coni. Wakefield. l. l.

v. 141. *naveim* P 1. *navim* A. Bs 1. 2. M 4. R 2. Sg 1. T. Tr. *novem* B 5. *navem* codd. cett. Ut vs. 102 codd. obsequendum duxi. — *nil* P 1. — *obstet* B 3. F 1. M 9. W 2. ϱ. *abstat* B 5. — *cum tr.* Br 2. — *tr. fracta* M 1. 3. P 6 (cf. 1, 89).

v. 142. *egenum* M 1. 3. — *ni* D. M 3. 4. 7. P 1. 3. 7.

v. 143. *moueat* B 3. 5. Bs 1. E. H. M 10. T. V. α 4. *monuerat* M 11. — *de quod* Br 3. — *denique* A.

v. 144. *qui* P 1. — *caldo* E. *callido* D. H. *valido suspect.* G. *sub pelle* Bs 2. — *bilis* om. Tr.

v. 145. *intimuit* D. H. R 2. *intonuit* B 5. — *quem* A. *quod* F 1. M 4. Mp. $\beta.\gamma.\varepsilon$. — *extincxerit* M 7. *exstincserit* φ. (cf. ad v. 136) *exstinxerat* M 6. *exstingueret* T.

v. 146. *tu* F 1. *tum* A. Br 4. D. G. H. L. R 1. 2. cf. Wunder, VV. LL. ex cod. Erf. p. XXXIV. LVII. v. ad IV, 37. *tunus* P 1. v. ad I, 88. *cum* Bs 1. — *marem* P 1. — *tracilias* Mp. *transsilies* M 10. — *tota* M 5. *torto* B 5.

Coena sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est,
Quod vivis, cinis et manes et fabula fies;
Vive memor leti, fugit hora, hoc, quod loquor, inde est.“
En quid agis: duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, *Rupi iam vincula*, dicas.

v. 147. *fit* B 5. D. — *transtris* M 1. 3. — vv. *Vei. rub.* l. Schol. Hor. Sat. II, 3, 143. *vegentan.* A. B 3. 5. Br 2. E. M 1. 3. 7. 8. 11. P 1. 3. 6. R 1. T. *vegenten.* Bs 1. *vegentin.* M 2. *vegetan.* Bs 2. P 4. 5. *vergentan.* P 2. *vellentan.* π. *veluent* G.

v. 148. *exalat* B 5. — *vapidilesum* Mp. — *sexilis* B 5. *cessilis* Mp. *fessilis* W 2. *fissilis* α 1. ex optimis membr. Leid. N. Heins. ad Ovid. A. A. III, 244. ad Val. Flacc. I, 479. Advv. IV, 9 p. 623.

v. 149. *quos in* B 3. — *quintunce* P 6.

v. 150. *nutr.* om. Mp. — *peragant* A. B 3. 5. Br 3. 4. 5. 6. Bs 1. 2. D. E. F 1. 2. H. M 2. 9. 10. P 3. Sg 1. T. V. α 2. 4. 5. 6. ε. β. *peragrant* P 6. *peregant* R 1. — *auido* B 5. Br 3. Bs 1. — *sudore* B 3. 5. Br 2. 3. 4. C. M 9. 11. P 1. 3. 7. Par. n. 3110. 7984 apud Hauth. α 2. 4. 5. 6. β. — *deuinces* Mp. — *pangant avido sudore d.* em. Hauthal.

vs. 151 sq. l. Serv. ad Virg. Aen. III, 63. vv. *Ind.—dulcia* l. Don. ad Ter. Adelph. IV, 2, 52. — *carpemus* Mp. *capiamus* M 11. — *est* om. Bs 1.

v. 152. *quid* Br 2. 5. D. — *fias* Br 2. — vs. 152 om. M 2.

v. 153. *fuge* A. — Cassiod. Varr. IX, 21: „Et ut reliqua taceamus, hoc, quod loquimur, inde est.“ — *haec* B 3. D. P 4. 5. *hoc* om. H. — *loquor* supr. M 1. — *indem* B 3. — *est* om. G.

v. 154. *heu* B 5. — *diverso* B 5. M 7. — *finderis* M 2.

v. 155. *huccine* B 5. Br 6. *huc* (supr. *n*) P 4.

v. 156. *alternos* A. *alterius* L. — *oberras* G. M 10. 11. R 2. T. *obores* B 5.

v. 157. *haec tu* A. — *nec cum tu* D. G. M 1. 3. 4. R 1. γ. ϱ. *nec tuum obst.* (a 2 m. *cum*) Mp. *nec tum cum* B 3. Tr. *nec cum obst.* R 2. *nec non quum* Br 5. *nec si constiteris* Br 3. — *si mel* B 5.

v. 158. *rumpi* B 1. 3. Br 3. 5. Bs 1. 2. C. M 9. 10. 11. P 2. 6. α 2. 5. 6. 7. *rumbi* B 5. *rupit* M 6.

Nam et luctata canis nodum abripit, ac tamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. —
„Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor;“ crudum Chaerestratus unguem
Abrodens ait haec. — „An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas

v. 159. *nam eluct.* Br 3. Bs 2. M 11. Sg 1. *α* 7. *nam luct.* B 5. Br 4. 6. C. E. M 10. Sg 2. T. *nam etiam luct.* Bs 1. — *lucrata* T. — *nod. can.* T. — *arripit* B 5. Br 3. 4. 5. 6. Bs 1. F 2. G. H. L. M 5. 7. 10. P 2. R 1. T. *β. abrupit* B 1. D. P 7. *abrumpit* M 8. *ϱ. arumpit* M 11. *rupit* M 6. *rapit* Bs 1. — *attamen* B 5. Br 1. 2. 3. 4. Bs 2. C. D. G. H. M 1. 2. 3. 9. P 2. 3. Sg 1. *ast tamen* B 1. Br 6. E. F 2. L. M 5. 6. 7. 8. 10. 11. P 4. 5. R 2. Tr. V. W 1. 2. *ast tum* Sg 2. *et attamen* P 1. *ettamen* B 3. Br 5. F 1. M 4. 10. P 6. R 1. *γ. ε. ectamen* Mp. *et tamen* (supr. *ac*) Bs 1. *abr. tamen* P 7 (supr. *ast*). *ϱ.* Post ea, quae Madvigius docuit (opp. p. 491 sq. ad Cic. de finn. p. 289 sq. 429. 872), *attamen* non poni, ubi adiungatur aliquid, quod superiori contrarium sit, sed ibi tantum, ubi coniunctioni *at* in descensu ad minus, ubi maius aliquid effici nequeat, positae insuper addatur *tamen*, neque hic, neque II, 48 *attamen* poni posse apparebit. Ibi vero pauci tantum codd. *et tamen* habent, longe plurimi in *attamen* consentiunt, hic maior varietas. Utroque autem loco reposui *ac tamen*, quod tot locis librarii et editores oblitterarunt, et quod in *attamen* et *ettamen* corruptum est.

v. 160. *in collo* B 5. — *traitur* Mp. *pendet* M 1. — *pars magna* Br 3. Bs 1. M 11. W 1 (supr. *longa*).

v. 161. *ut cred.* F 1. R 1. *haec* M 11. *hoc* om. A. G. — *iubeas* B 3. *moneo* P 2. *cupio* Br 4. — *finiri* M 5.

v. 162. *praetentos* W 2. — *Chaestatus* B 3. *cerastus* B 5. (num librarius intempestive doctus de graeco *κεράστης*, cornutus, cogitavit, quasi perfida amica iuveni cornua fecerit? Nam hunc loquendi morem inde ab antiquitate usitatum fuisse notum est, cf. Huschke, anall. critt. p. 168 sqq.) *Cherebatus* G. *Cheresius* M 11. — *et unguem* D. *inguen* Br 3. cf. ad VI, 40; 72. *in ignem* A.

v. 163. *ambrodens* G. *abrondens* H. *arrodens* B 1. 5. F 1. M 11. P 2. 6. Tr. V. *α* 1. *γ.* prob. N. Heins. Advv. p. 682. *arrondens* Bs 1. *adrodens* M 9. P 7. R 1. ut voluit Marcil. *atrodens* Mp. — *aut* B 5. — *hoc* B 1. Bs 2. G. L. M 2. 7. 11. P 1. 2. V. W 1 (corr.). 2. *β.* — *haec* om. Br 3. — *haec ego sicc.* Bs 1. *obsten* B 3. *obsteti* P 6. *ostem* R 2. *hostem* M 5.

v. 165. *abcenum* B 5. *obscurum* habet Meineke, frgmm. com. graec. IV, p. 122. — *fractas* Br 3. *spargam* M 1. — *cum* Bs 2. P 2. *odas* c. v. l. *udas* et glossa *inunctas γ. unctas ε.* ut coni. N. Heins. ad Ovid. Fast. V, 340.

Ebrius ante fores exstincta cum face canto?“
„„Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam
Percute.“ “ „Sed censen' plorabit, Dave, relicta?“
„„Nugaris: solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque artos rodere casses: 170
Nunc ferus et violens: at si vocet, *haud mora*, dicas.“ “
„Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessat, et ultro
Supplicet, accedam?“ „„Si totus et integer illinc
Exieras, ne nunc.“ “ Hic, hic, quem quaerimus, hic est:

v. 166. *facie* P 1.

v. 167. *sapius* B 1. — *dispell.* Mp. P 6. — v. 167 om. M 5.

v. 168. *percurre* V. — *haec cens.* A. — *censem* P 6. *cessen* B 1. W 2. *cesse* (supr. *n*) M 1. *cessem* M 6.

v. 169. *si sol.* D. *soleo* B 5.

v. 170. *nec* B 5. Br 5. Bs 1. 2. E. H. L. M 5. 8. 11. — *arctos* B 3. Br 3. 4. 5. 6. C. D. H. L. M 2. P 2. 5. Sg 1. 2. T. W 1. 2. *artas* (supr. *o*) M 4. — *cesses* R 1. Sg 2. *calles* B 5.

v. 171. *ac viol.* M 6. — *ac si* H. M 2. 8. *tu si* coni. Guyet. — *haut* A. B 3. 5. M 8. — *more* P 5.

v. 172. *nec nunc* A. B 3. 5. Br 3. 4. 5. Bs 1. 2. C. D. E. F 2. G. L. M 2. 3. Mp. P 6. Sg 1. T. Tr. *ne nunc* codd. cett. — *nunc* om. G. M 11. — *cum* om. Br 4. C. M 2. 10. P 4. 5. — *arcessat* B 1. *accersat* Br 1. 2. P 5. *accersar* W 2. ut voluit Marcil. *arcessor* B 5. D. E. M 7. 10. 11. P 1. 3. 4. Sg. 1. 2. T. *accersor* A. B 3. Br 3. 4. 5. 6. Bs 1. 2. C. F 1. 2. G. H. L. M 1. 4. 5. 6. 9. R 1. 2. Tr. W 1. *β. γ. ϱ. arcessor* (supr. *accessor*) P 2. *accessor* M 2. 3. 8. Mp. P 6. 7. Apparet, coni. *cum* h. l. apte cum coniunctivo et indicativo iungi posse, verum non intelligo, quomodo cum utroque modo simul iungi possit. Iam vs. seq. coniunctivus *supplicet* a codd. optime munitus est, itaque hic quoque idem modus restituendus est. Genuinum autem censeo *arcessat*, et quod in plerisque codd. legitur *arcessor* e Terentio (Eunuch. I, 1, 2) repetitum. Persius autem nec cum Horatio nec cum Terentio quamvis in eadem re prorsus congruere sermonem suum voluit. De forma v. *arcesso* v. ad II, 45.

v. 173. *supplicat* Bs 1. *γ.* et *accersor—supplicat* prob. Bentl. ad Horat. Sat. II, 3, 262. — *et* om. H. M. — *illic* P 6.

v. 174. *exieris* B 3. Br 3. 4. 6. Bs 1. 2. C. F 2. G. H. L. M 5. 10. 11. P 4 (supr. *a*). 6. Sg 1. T. W 2. *exiens* P 1. — *ne nunc* Br 5. F 1. M 7. 9. P 2. 3. 4. Tr. W 1. 2. *π.* prob. Bentl. l. l. *ne tunc* B 1. *non nunc* A. P 7. *nunc non* L. *nec nunc* Br 1. 2. D. M 1. 2. 3. 4. 6. 8. P 5. R 1. 2. Sg 2. *nunc nunc* B 3. 5. Br 3. 4. 6. Bs 1. 2. C. E. F 2. G. H. M 5. 10. 11 Mp. P 1. 6. Sg 1. T. Facile confunditur *ne* et *nc. tunc, tunc* em. Marcil. — *quod quaer.* B 1. M 11. P 7.

Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? At cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tum nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Tum grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris haec inter varicosos centuriones,

v. 175. *quam iact. lict.* P 2. — *quem iact.* D. G. M 1. Mp. P 3. 4. V. *ϱ.* — *iniquus γ.*
v. 176. *iusne* C. *α.* 5. 6. — *ille* om. H. — *qui* G.
v. 177. *creata* P 4. — vv. *vigila—populo* l. Schol. Cruq. Hor. auct. Sat. II, 3, 182. — *et vigila* W 2. — *citer* Mp.
v. 178. *miranti* W 2. *rixanti* (supr. *lactanti*) F 2. — *nostra* om. P 1. — vv. *nostra—senes* l. Serv. ad Virg. Aen. V, 128. — *n. est Fl.* M 6. *possent* M 2. *ponsint* Mp. *possunt* M 6.
v. 179 vv. *apr. m. sen.* l. Serv. ad Virg. Aen. II, 202. — *aprice* A. *aprisci* M 2. *apprili* M 10. — *memorasse* B 5. — *tum* Mp. — vv. *at c. Her. v. dies* l. Schol. Cruq. Hor. Epp. II, 2, 184.
v. 180. *iunctaque* B 5. R 1. *γ* (c. gl. *picta*).
v. 181 l. Isidor. Orig. XX, 10, 2. — *depos.* D. *disponit et p.* T.
v. 182. *violans* T. *fialas* (supr. *violas*) W 1. — *portantes nebulas* Reiz. — *cachinnum* B 5.
v. 183. *tigni* M 11. — *cum et* B 5. — v. 183. om. W 2.
v. 184. *mouens* B 5. *mouet* G. — *recuntaque* (supr. *ti*) M 2. 3. *recitatque* B 5. *recitataque* W 2. — v. 184 et 185 transp. W 2.
v. 185. *tunc* Br 1. 2. 4. 6. Bs 1. 2. C. F 2. M 1. 2. 3. 5. P 6. 7. Sg 1. 2. T. *α* 2. 3. 4. 5. 6. *tun* M 10. P 2. *tu* L. *dum* M 9. *nunc* G. ut coni. Marcil. *tum* cett. codd. *β.* — *nigrae* a 2 m. Mp. — *periculo* A. Mp. — *rapto φ.*
v. 186 ut v. 185 nisi quod *tunc* habent etiam G. M 9. 10. P 4. 5. *tum* L. — vs. 186. om. P 4. in marg. M 7. P 5.
v. 187. *incusare* B 5. *incussurae* M 11. — *infantis* Mp.
v. 188. *post dict.* G. — *ter* om. W 2. — *gustaverit* G. *gestaveris* e cod. Bernensi leg. Zoega, nummi Aegypt. p. 120.
v. 189. *disceret* W 2. — *hoc* Bs 1. 2. T. W 2.

Continuo crassum ridet Fulfennius ingens,
Et centum Graecos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae:
Mox iuvenes agitare iocos, et pollice honesto
Egregius lusisse senes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa litus se valle receptat.

v. 190. *Fulfennius* F 1. M 8. P 2. R 2. W 2. *fulfenius* D. Mp. *fulfernius* P 6. *fulfentius* M 6. *fulcinius* H. *fulvennius* E. P 4.. *fulvenius* A. Br 5. F 2. L. M 7. 9. *fulphenius* Br 6. T. *vulfennius* M 1. 2. 3. 4. P 1. 7. R 1. Tr. *ϱ. volfennius* Bs 2. *vulfenius* Br 1. 2. 3. Bs 1. C. G. M 10. *vulfanius* Sg 1. *vulphenius* Sg 2. *vulpennius* M 5. *Vulpenius* Br 4. M 10. *pulfennius* B 1. P 3 (supr. *v*). *β. pulfenius* M 11. *ε. pulpennias* P 5 e corr. *fustennis* Br. *vulfidius* B 5. In tanta discrepantia nomen elegi, quod inscriptionis auctoritate firmatum vidi. Habes autem *Sex. Fulfennium* in titulo apud Murat. p. 816, 7. — *ignes* (supr. *en*) P 4.

v. 191 l. Prisc. de pond. et mens. p. 1350. Io. Sarisb. VII, 19: *doctoresque suos c. c. l.* — *curte* Mp. *uno cent.* Prisc. l. l. *δ.*

Sat. VI.

v. 1. *admovet* P 6. *admonuit* B 5. *ammonuit* M 8.

v. 2. *ne* om. B 5. — *clyra* Mp. *lire* A. F 2. M 1. 3. — *vivit* B 3. P 6. — *iamque lyra et trito v.* coni. Guyet.

v. 3. *innumeris* M 7. — *veterumque* M 6. — *rerum* Casaub.

v. 4. *mare* B 5. M 8. D. — vv. *str. fid. int. Lat.* l. Sos. Charis. p. 53. — *strepidum* D (supr. *t*). L. M 9. *instr.* M 10.

v. 5. *tum iuv. ag. ioc.* l. Serv. ad Aen. I, 306. — *iuvenis* — E. *modos* supr. *iocos* B 5. — *cogitare modos φ.*

v. 6. *egregius* B 1. Br 3. 4. 5. Mp. Tr. et ita e cod. Galeano et altero coll. trin. legi iussit Bentl. ad Hor. carm. I, 1. 5. *egregios* cett. codd. Illud verum videtur, et facile intelligitur, quomodo id in accus. potuerit corrumpi, praesertim cum praecesserit *iuvenes iocos.* — *iussisse* Mp. — *senex* Mp. *senes* om. H. — *ligur* 2 *α. ligus et ora* Br 4. C. M 10. Mp. *Liguris ora* e cod. vet. leg. G. Canter. novv. lectt. VII, 20.

v. 7. *hiberno atque* coni. Hauthal. — *in qua* D. *qua* om. M 11.

v. 8. *haud scop.* P 6. — *litt. multa* G. — *reptat* P 1. *recepit* B 1.

„Lunai portum, est operae, cognoscite cives.“
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi, et quid praeparet Auster
Infelix pecori, securus et angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

v. 9. *lunari* A. *luni* Mp. — *portus* M 9. R 1. — *op. est* Br 3. D. H. ε. — *cognoscite* A. B 1. 3. Br 3. 4. 6. Bs 1. C. D. E. F 1. 2. H. M 6. 7. 10. Mp. P 3. 4. 5. 6. 7. R 2. T. W 1. 2. α 2. 5. 6. β. *cobnoscere* B 5. *cognoscere* cett. codd. — *o civ.* M 6. — *Lun. portum est pretium cognoscere* em. Dorleans ad Tac. Ann. I p. 141.

vs. 10 sq. l. Prisc. X, 8 p. 903. — *cornibus hec henni* D. — vv. *postq. dest. e.* l. Val. Prob. cathol. p. 1487. — *desterterit* B 5. D. *destituit* B 1 (in ras.) T. *destenduit* R 1. Memorabilis locus est Sosip. Charis. I p. 75: „Ut pavus et pavo. Ennius: *memini me fieri pavum*; ut Persius ait: *pavus quum destitit esse Maeonides quintus pavone ex Pythagoraeo.*“ Ennii vv. affert etiam paullum corrupta Donat. ad Ter. Andr. II, 5, 18. Phorm. I, 2, 24, respicitque Tertull. de anim. c. 33, et eum *pavum* dixisse certissimum est. Etiam in nostro poeta Charisii lectionem probavit Merula ad Ennii frgmm. p. LXIX. LXXVII. Verum sic scripsisse Persium nullo modo credi potest. Qui possit iungi pavus Maeonides ex pavone Pythagoreo quintus? Quasi vero diversa pavonum genera induerit Ennii anima. Grammaticus aut corrupto codice usus est, aut, quod magis videtur ad veritatem accedere, memoria falsus, cum sciret, Persium respexisse Ennii locum satis notum, formae *pavus* unice intentus, hanc in Persii verba intrusit. Quod ne levius dictum videatur, moneo etiam I, 99 Diomedem et V, 68 Priscianum attulisse verba Persii immutata, et, quod magis etiam quadrat, II, 52 Priscianum, ut probaret formam *cratera*, a Persio scripta afferre, quae non potest apud eum legisse. Cf. ad v. 73.

v. 11. *pivone* P 2. — *et p.* B 3. T.

v. 12. *vulgo φ.* — *et* om. Bs 1. F 2. H. — *praeparaet* B 5.

v. 13. *pecore* Mp. — *illis* W 2.

v. 14. *vicino* B 5. — *nostri* G. — *si ping.* Br 5. — *omnem* G.

v. 15. *ditestant* B 5. — *horti* B 1 (*h* eras.). M 5. 8. Mp. al.

v. 16. *obit* Mp. — *senio aio aut* P 6. — *haud* (del. *h*) M 8. — *uncto* om. B 5. — Post vs. 16 addit B 1: *Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso*, e Iuven. I, 57 desumtum, qui vs. si a sciolo quodam explicationis gratia sequenti vs. adscriptus est, ut videtur, is verborum similitudine deceptus, de sententia egregie falsus est.

v. 17 l. Schol. Cruq. Hor. epp. II, 2, 134. — *dignum* W 2. — *laguena* M 6. 8. P 7. cf. ad III, 92.

Discrepet his alius; geminos, horoscope, varo
Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice emta,
Ipse sacrum irrorans patinae piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive, et granaria, fas est,
Emole. Quid metuis? Occa, et seges altera in herba est.

v. 18 vv. *gem. h. v. p. gen.* l. Io. Sarisb. I, 12. — *oroscobe* B 5. — *varro* Mp.
v. 19. *geminos* supr. *nio* M 1. *genio et* V.
v. 20. *tinguat* B 1. 5. M 1. 3. 8. Mp. P 1. 5. 7. β. v. laudatos ad III, 92. — *holus* B 1. 3. 5. Mp. P 1. 3. 8. cf. Schneider. gramm. lat. I p. 185. Wagner. orthog. Verg. p. 442. — *emta* om. B 5. *empto* E.
v. 21. *irroras* P 6. *rorans* Br 3. *errorans* M 10. *irrigans* B 5. — *patene* B 3. v. II, 42. — *bono* C. — *b. de re* M 1. 3. — v. 21 om. P 1.
v. 22. *prandia* P 6. — *magna nimis* D. — *peragit* om. F 1.
v. 23. *haec* ε. *neu* V. — *rombos* B 1. 2. M 7. 8. 10. P 4. R 2. Par. 3110. *rumbos* M 11. P 2. Sg 1. 2. T. Par. 8293 ap. Hauthal. *scombros* supr. *rombos* E. cod. Oxon. et Corp. Chr. coll. ap. Hauthal. *scombros* A. B 3. 4. 5. Br 5. Bs 1. D. E. F 1. 2. M 4. 9. Mp. P 1. 3. 6. R 1. T. γ. ε. *scrombos* Br 3. *conbos* M 2. — *adeo* W 2. — *lauta* B 5. *latus* D. R 1.
v. 24. *tenues—salivas* A. B 3. 5. Br 3. Bs 1. D. F 2. L. Mp. P 1. 6. 7. R 1. Tr. W 2. β. γ. ϱ. (adscr. *vapores*, voluit sc. *sap.*) *tenuis* supr. *em.* P 3. *salinas* M 11. P 3 (supr. *vā*). — *turdorum* A. B 3. 5. Br 3. 5. 6. Bs 1. 2. E. F 1. M 9. 10. 11. Mp. P 3. 6. R 1. 2. Sg 1. 2. Tr. *surdorum* corr. *turd.* G. *turdarum* supr. a 2 m. *o* M 7. *turdarum* cett. codd. et plures et optimi, et ita scriptum esse testantur etiam schol. et Serv. arte gramm. p. 493 Lind. Varro quidem dicit L. L. VIII, 55, dici *corvum, turdum*, et R. R. III, 5, 6: „turdi, qui cum sint nomine mares, revera feminae quoque sunt; neque id non secutum, ut esset in merulis, quae nomine feminino mares quoque sint.“ Verum his locis de eo disputat, quod usitatum sit, ut ipse significat unam formam in usu esse, quia generis discriminis vulgo in his animalibus nulla ratio habeatur. Quare si quis genus ipsum significare voluit, nihil prohibuit, quin formam inusitatam adhiberet, sicut in quibusdam serioribus demum temporibus usum postulasse narrat Varro. In hoc autem Persius acumen posuit, et ita excultam edendi artem finxit, ut turdorum genus morsu, ut ait Iuvenalis, deprehendere calleret.
v. 25. *pr. vini et* C. *vive* om. A.
v. 26. *emule* B 1. 5. M 7. Mp. Tr. — *quod* G. — *metuas* P 1. *metus* D. — *et* om. G. P 2. T. — *est* om. B 5.

Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio, iacet ipse in litore, et una
Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. Sed coenam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus.
„Tune bona incolumis minuas?“ Et Bestius urget
Doctores Graios: „Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers:

v. 27. *advoc.* δ. — *rupta tr.* P 2. — *brutia* D. P 1. 3. β. *brucia* B 3. 5. M 1. 2. 3. Mp. *brutica* A. F 2. H. W 1. *brutina* G. *bruna* P 6. *ciprica* Br 3.
v. 28. *prehendit* A. D. M 11. *prendet* W 2. — *surdeque* P 4. *sordaque* W 2.
v. 29. *unam* M 8. *uda* δ.
v. 30. *ingentas* B 5. *lugentes* coni. K. F. Heidelb. Jbb. 1814, II p. 1034. *squalentes* coni. König. — *dei* om. P 1. — *namque* F 2. — *onia* B 5. — *mergit* Mp. *est mergis* Br 5.
v. 31. *navis lac.* B 3. — *et* om. H. — *de* om. M 8.
v. 32. *nec* M 9. P 4. 5. β.
v. 33. *cerata in tab.* M 1. — *heros* W 1. 2.
v. 34. *negleget* B 1. F 1. M 4. 7. 8. P 1. 5. 7. Tr. W 1. *negligit* Br 3. M 1. P 6. γ. — *rem* om. Mp. — *curtauerit* G. *certaveris* D. *curaveris* H. *evitaveris* M 11.
v. 35. *in odore* D. *inhonora* Mp. v. l. V. δ. *mordosa* (supr. *inodora*) Bs 1. — *ceu* G. — *cumana* A. *timiama* supr. *vl. balsama* F 1. — *suidum* P 6. *sardum* G.
v. 36. *ceras apicent* Mp. *cefaso* B 5.
v. 37. *tunc* A. D. L. M 1. 2. P 5. cf. ad IV, 37. — *incolomis* B 1. M 3. 7. 8. P 4. — *et Best.* B 1. 5. Br 3. 4. 5. D. F 1. L. M 1. 4. 6. 7. 9. 10. Mp. P 1. 3. 6. W 1. ϱ. prob. Turneb. Advv. XXIX, 7. *set* R 1. 2. (?) ut Hauth. *sed* cett. codd. *en B.* coni. Marcil. — *urguet* B 1. cf. ad III, 92.
v. 38. *duct.* P 5. — *gragios* M 6. *gaios* L. — Lactant. I. D. III, 16, 15: „Quod irridens Persius: *postquam*, inquit, *sapere urbi cum pipere et palmis venit,* tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta.“ — *urbe* (in mg. *vl urbi*) M 1. 3.
v. 39. *venit* om. M 7. — *hoc nostr.* R 1. W 1. 2. γ. *hic* E. *hoc* om. H. eras. F 1. — *vestrum* L. e cod. ant. Bentl. ad Hor. Epp. I, 15, 37. — *hespers* H. — *nostrum mare citra* coni. Guyet.

Faenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.“
Haec cinere ulterior metuas? At tu, meus heres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi:
„O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
Egregie gestas induco. Quis vetat? aude!
Vae, nisi connives! Oleum, artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare! *Non adeo*, inquis.

v. 40. *fenisicae* Mp. *venisecae* R 1. *forinsecae* D. *foeniscae* M 1. 3. *feniceae* P 1. — *crassa* B 1. Mp. Tr. — *inguine* B 3. Br 3. cf. ad V, 162.
v. 41. *hoc* F 2. P 1. 2. — *cinerem* P 1. *cecinere* B 1. *hic meride ult.* Mp. *canem ult.* D. — *ulterius* Br 6. — *an tu* B 1. D. *et tu* A.
v. 42. *aut turba* E.
v. 43. *o bonum ignoras* Mp. — *non* corr. *num* M 4. — *missae a* P 4.
v. 44. *ob laudem π. claude* D. *clamidem* M 8. — *puppis* B 1. D. M 7. *puppis* (supr. *b*) Bs 1. P 3. *pupes* B 5. — *et ex aris* M 7. *atris* G. *acris* M 8.
v. 45. *infridus* M 8. — *exc. omnis accita p.* D. — *ciuis* P 1. *cinis* om. Br 3. M 6. — *ac* om. B 1. P 1. V. *at* Br 5. Bs 1.
v. 46 l. Prisc. VII, 11 p. 759; 15 p. 769. — *iam* om. M 10. — *clamidaes* B 1. — *luceo* B 5. — *victis* B 3. 5. Bs 1. E. M 1. 2. 3. 4. 8. 11. Mp. P 2. 6. 7. *β. ε. ϱ. pectis* G. cf. IV, 37. *captis* supr. *vic* P 3. *captis* cett. codd. Prisc. ll. ll.
v. 47. *essadaq.* D. M 1. 3. — *ingentes loc.* M 11. T. — *locatque* A. *locat et* H. *vocat* a 2 m. Mp. — *caenosia* B 1. *vesonia* D. — *rhenus* Mp. *remos* corr. M 7. *rhedas* coni. Dorleans ad Tac. Ann. II p. 244. *Rhemas* vel *Remos* vel *ingentemque Rhenum* em. König.
v. 48. *d. ergo* P 6. — *patria* Mp.
v. 49. *egregio* B 5. *egregia* Mp. — *induto* (supr. *c*) M 4. *inluco* a 2 m. Mp. *indico* cod. Pith. ap. Heins. ad Ovid. Fast. V, 145. — *et quis* B 5. — *audet* C. G. *audes* M 11.
v. 50 sq. *vae — largior.* l. Prisc. IX, 8 p. 866. — *veh* P 2. — *si conn.* B 1. M 4. 6. Tr (om. *tibi*). — *commucas* B 3. *conilles* P 7. *ōlues* Mp. — *ortocr.* B 5.
v. 51. *non audeo* A. B 3. Br 5. 6. Bs 1. D. F 1. 2. H. L. M 4. 7. 8. 9. 11. P 1. 3. 4. 5. R 1. Sg 2. *α. β. non audio* Br 1. *haud audeo* Br 3. E. G. P 7. cod. El. Vineti; e cod. vet. l. G. Canter. novv. lectt. VII, 20. *haut aud'o* B 5. *haut adeo* (supr. *u*) P 2. W 1. *hec non audeo* Sg 1. *hoc audeo* R 2. *non adeo* B 1. Br 2. 4. Bs 2. C. M 1. 3. 5. 6. 10. Mp.

„Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest: accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.“
Progenies terrae? „Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
Unum etiam: terrae est iam filius; et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego, ut ille
Pingitur; an renuis? Vin' tu gaudere relictis?“
Deest aliquid summae. „Minui mihi: sed tibi totum est,
Quicquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi
quondam

P 6. T. Tr. W 2. prob. Turneb. Advv. XXIX, 7. V. D. in Classical Journal VIII p. 177 h. l. ita distinxit: „an prohibes? dic clare.“ *Non adeo,* inquis, *exossatus ager.* „Iuxta est, age etc.“ — „Dic clare hoc.“ *Audeo!* inquis? — Hauthal. — *Audeo,* quod metrum corrumpit, natum est ex *aude,* quod v. 49 praecessit. — *inquit* R 1. Ox. ap. Hauth.

v. 52. *iusta* B 5. G. — *nulla est* A. F 2. H.
v. 53. *dereliqua* W 2. — *amicis* D. G. — *missa pron.* D.
v. 54. *patruis* B 5. — *materia* D. — *iunxit* D. P 6. *iuxta* W 2.
v. 55. *denique auia* B 5. — *detque* D. — *accede* Mp. T. — *uouillas* B 1. M 8. P 4. 5. *bobillas* π.
v. 56. *cluinumque* D. *elvinumque* G. — *uerbi* Bs 1. P 1. *urbi* M 3. — *posito* P 1. — *est* om. B 1. H. M 5. T. — *tibi* G. *mihi* om. P 6. — *mannius* B 5. F 1. M 1. 2. 3. 6. 7. 8. Mp. P 4. 5. *magnius* B 3.
v. 57. *quae ex* Mp. *ex me quaere* P 6.
v. 58. *haut* P 3. M 1. 2. 3. 4. — *prope te* M 2. — *tamen* om. Mp. — *addam* E. — *et un.* G. P 2. 6. *etiam* om. M 11.
v. 59. *unde et.* B 3. P 6. — *est tamen ut fil.* D. *est dicam fil.* M 2. *t'eret est fil.* W 2. — *ritus* G. *ritum* P 2. *est mihi tecum* Mp.
v. 60. *manius* v. 56. *maximus* B 5. R 2. — *extat* Br 5.
v. 61. *est* Mp. — *decursum* P 6. *indecursa* G. — *lampida* B 5. *lampa deposces* P 1. — *poscas* B 1. 5. Bs 1. D. P 2. 3. 4. 5. 7. Tr. W 2.
v. 62. *nemo deus* P 6. *uenio tibi* B 5. — *hunc* Mp. *huic* M 11. — *unde* L. — *illi* Mp. — vs. 62 om. P 1.
v. 63. *pinguitur* B 5. Mp. P 7. — *rennius* M 7. *an tenuis* C. — *vis* add. *vin* B 5. P 7. *vis* P 1. Tr. *veritus grande rel.* D. — *relictus* Mp.
v. 64. *des aliq.* Mp. — *mihi min.* G. — *est* om. A. B 5. F 2. L.
v. 65. *huic quid idem ubi* B 1. *quid id est* A. — *id* om. M 8. — *condam* P 4.

Legarat Stadius; neu dicta repone paterna:
Foenoris accedat merces: hinc exime sumtus.“
„*Quid reliquum est?*“ — „Reliquum? nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciae immeiat vulvae? Mihi trama figurae
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?“
Vende animam lucro: mercare, atque excute sollers
Omne latus mundi: ne sit praestantior alter
Cappadocas rigida pingues pavisse catasta:

v. 66. *legarit* C. M 10. *legerat* M 7. 8. W 1. *legerat hic* T. W 2. *legerat et St.* Br 3. — *Tadius* A. B 3. M 4. 8. P 2. 5. 7. Tr. prob. Turneb. Advv. XXIX, 7. *Staius* B 5. E. M 6. *β. γ. Stagius* M 7. *Cadius* (*St* a 2 m.) Mp. *Medius* P 6. *studiis* Bs 1. *Tatius* em. Marcil. — *nec* Bs 1. P 2. 7. — *pone* B 1. D. M 7. 8. Mp. W 1. *β. impone* G. M 3. W 2. *oppone* P 4. 5. — *paternu* B 1. — *largarat staduis nō tncta pone pat.* M 11.

v. 68. *quod* B 1. — *iam impens.* B 1. D. M 6. *iam pensius* M 7. 8. W 2. — *ungue* B 1. M 4. 6. 7. P 1. 3. 4. cf. ad III, 92.

v. 69. *calles* B 5. Br 3. — *luce festa* Br 1. — *quoquatur* M 7. P 1. *coquetur* Bs 1. C. E. F 1. M 8 (supr. *a*). 10. 11. Mp. P 2. 3. 6. 7. R 1. W 2. *β. quo quetur* P 4.

v. 70. *ustica* P 1. — *fixa* B 3. 5. G. H. *fixae* Br 1. — *fumosum* e 3 codd. N. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647. — *cinciput* B 5. — *aurae* G.

v. 71. *tuus hic nep.* F 1. Mp. *meus* P 6. — *satus* M 5. — *anxeris* B 5. H.

v. 72. *ramosa* G. M 6. *morbosa* M 10. — *singultiat* Br 4. 6. D. P 6. W 1. 2. — *unguine* P 7. cf. ad V, 162.

v. 73. Val. Prob. cath. p. 1483: „Unum inveni tertiae correptae, *xi* faciens perfecto, meio, meis, meixi. Persius modo infinito: *matronae immeiere vulvae.*“ Hic quoque vides grammaticum insigniter memoriam fefellisse, cf. ad v. 10. — *immeat* P 6. *meiat* T. *immineat a* 2. — *vulnae* Mp. — vv. *mihi — venter* l. Serv. ad Virg. Aen. III, 483. — *trana* M 2. — *figura est rel.* Serv. l. l.

v. 74. *at* B 3. P 3 (supr. *s*). — *ille* B 3. — *premat* a 2 m. Mp. — *omentopa* Mp. *omenta* P 6. — *popa pinguis v.* B 3.

v. 75. *an. pro lucro* P 6. — *et merc.* M 9 11. T.

v. 76. *nec* B 3. G. M 1. 7. 8. 9. 11. Mp. P 1. 6. 7. *β. neu* A. Br 3. F 2. L. *ne* om. M 6.

v. 77. *ping. rig.* B 5. — *rigidi* D. *rig. forte pav.* P 2. — *plausisse* B 3. G. H. M 4. P 5. Tr. W 1. 2. *α. β. plaus.* supr. *pav.* P 7. *clausisse*

Rem duplica. „Feci: iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. Depinge, ubi sistam.“
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. 80

B 1. C. M 11. P 3. 4. *pavisse* codd. cett. prob. Is. Voss. ad Catull. p. 34. Turneb. Advv. XXIX, 7, qui ait in vett. libris se legisse *pausasse*. *C. rigidos pingui plausisse c.* em. Ios. Scaliger ap. Tornorupaeum, idem Scaliger ad Propert. p. 269 ed. a. 1600 laudat *C. rigidos pingui pauisse c.* — *catista* M 8. *caniste* G.

v. 78. *duplicam* A. — *duplex* Br 1. — *quartum* coni. Guyet.

v. 79. *depinge* B 1. 3. 5. Br 3. 4. 5. 6. Bs 1. 2. C. D. E. F 1. 2. G. H. M 3. 6. 7. 9. 10. P 5. 6. R 1. 2. T. W 2. *β*. *depingue* P 1. M. 4. *describe* P 2. *depunge* cett. codd. — *sistat, inv.* coni. Pinzger in Jen. Littztg. 1822 n. 199 p. 133.

v. 80. *inventus* Mp. *inventor* *α* 4. — *Crispe* P 4. *Crispine* M 2. — *tui* om. P 1. — *signator* R 1.

COMMENTARIUS.

COMMENTARIUS.

SATIRA I.

ARGUMENTUM.

Prologo, quem scazontibus conscriptum primae satirae praemisit Persius, ne quid a se exspectent homines, quod non sit praestiturus, deprecatur. Neque enim poeta vult videri ex eorum numero, qui cum Graecis Musis commercium habent, divino afflati spiritu canunt et praemiis ornantur: ad hanc laudem ne aspirare quidem ausus, Romanum carmen, satiram, ipse affert, quod num verum carmen omnino sit, dubitatum est, hic quoque Horatium secutus (Sat. I, 4, 39 sqq. II, 6, 17) (v. 1—7). Et poetas sane non verum ingenium, sed dura necessitas et splendida divitiarum spes faciunt (v. 8—14). Ita simul sibi viam munivit ad argumentum, quod prima satira tractavit, quod, si universum spectes, hoc est, eam esse litterarum et poeticorum studiorum conditionem, ut is, cui haec curae sint, non possit non satiram scribere. Id quod ita instituit, ut, cum statim ab initio consilium suum patefaciat, fingat sibi quendam, qui adversarii personam ita sustineat, ut omnia, quae perversa et corrupta in studiis aetatis suae iudicat Persius, in se quasi repraesentet. Qui cum poetam provocet, id effectum est, ut iam ea, quae vituperat Persius, ita ponantur, ut non tam ab ipso excogitata et ad eius sententiam formata videantur, sed ita ut vere exstant ab alio quodam proposita. Haec per dialogum res tractandi ratio satirae Romanae propria est, quam a iocularibus alternis fundendis initium sumsisse constat, et sicut in iis, quae perdita sunt, vestigia huius rationis observare licet, ita in iis, quae servata sunt, clare apparent. Tanta autem libertate hac dialogi forma usi sunt satirici, ut saepe dubius haereas, utrum

cum adversario colloquatur poeta, an secum: quod praecipue apud Persium locum habet, ubi non est certus quidam adversarius, qui unius hominis partes accurate circumscriptas agat, sed omnia, quibuscum rem habet poeta, hac veluti persona comprehenduntur. Cum igitur poeta primo statim versu consilium patefaciat de inani hominum studio conquerendi, dissuadet aliquis ei, cum talia nemo curaturus sit. Cui poeta, in tam corrupto de litteris iudicio talium sententiam nullam vim habere, respondet, immo si quis accuratius inspiciat, eum, de indignatione procerum securum, graviter haec castigaturum esse (v. 1—12).

Omnes enim scribendi studio calent, ut ea, quae elaborarint, convocatis auditoribus recitent, et omni cultu et ornatu aures eorum atque oculos fallant, et inanem plausum atque favorem nanciscantur (v. 13—21). Quamquam bene conscii sunt, corruptum esse eorum iudicium, quorum favorem captent (v. 22 sq.), nemo tamen ob aliam causam studiis se dedicat, nisi ut famam poetae assequatur. At apud quosnam, et quamnam famam? Apud eos, qui talia nec intelligunt, nec, si accuratius inspicias, vere curant, ut ii, qui ex more divitum, inter coenam ad variandam voluptatem, carmina legentem audiunt (v. 23—40). Nam etiamsi veram laudem optare debet quisque poeta (v. 40 — 47), tamen nec potest nec debet magni facere imperitorum laudem, qui quicquid dives amicus scripsit, pleno ore laudant, bene gnari, eum, qui beneficiis auditores conducat, verum audire nolle, velle tantum laudari (48— 57). Ii ipsi tamen, quem modo in os laudarunt, eum, ubi tergum verterit, derident (58—62). Tam nihili est, quem isti quovis modo venantur, imperitorum plausus.

Verum quid tandem est, quod in hisce poetis tantopere placet atque laudatur? Nunc tandem summo cum artificio versus molliter fluentes componere intelligunt (v. 63—66); nunc tandem, quicquid suscipiunt, grandia carmina faciunt, ut qui nihil praeter levia carmina ad Graecorum exempla luserit, ad res Romanas sublimi carmine tractandas subito se accingat (v. 67—75). Contra alii antiquissimos quosque poetas sectantes, quicquid in iis rubigine et veterno tectum est aucupantur imitandoque exprimere conantur (v. 76—78). Itaque nihil mirum, hoc diversissima miscendi studio intolerabilem fieri orationem, qua nunc gaudent erudituli (v. 79—82). In hoc autem studio artificium ostentandi verum non potest locum habere, sed id unum omnes agunt, ut eleganter dicendi versusque molliter componendi artem iactent, et inde laudem captent, non ut

veritatis vi animos commoveant. Quid? quod eo procedit turpitudo, ut qui gravissimi criminis accusatus sit, non se defendere studeat, sed aures auditorum doctis figuris mulceat, ut laudetur tamquam orator peritus, quasi is, qui mendicus assem poscit, non misericordiam, verum dolorem ostendens, commovere studeat, sed egregium cantorem se praestare velit (v. 83—91). Quamvis artificiose compositi sint, quamvis molliter fluant versus, tamen nimia, quae adhibita est ars, delicataque luxuries satis probant, id ipsum iis deesse, quod poetam efficiat, animus atque ingenium vere poeticum, masculum robur, fervor ingenuus, qui veram non fucatam simplicitatem amplectitur et summo studio summaque contentione, non levi artificio, id assequi studet, quod animo propositum habet (v. 92—106).

Eo redit oratio, unde egressa fuit. Si omnia tibi displicent, ait ille, quae fiunt, cur tamen vituperare velis? nam facile eveniet, ut proceres tibi irascantur: melius igitur erit tacere. Sane, si ita vis, inquit Persius, si quaecunque fiunt, probari iubes, optimum est tacere (v. 107—114); verum non fecit ita Lucilius, non Horatius, neque omnino, qui haec studia curat seque ad id natum sentit, ut talia castiget. Neque ego, quicquid dicis, faciam; sed quod ego in perverso rerum statu animadverto, id libello meo certe concredam, si nemini alii dicere possum (v. 115—123). Neque tamen, si eos, qui mollitie diffluunt, litteras recte fovere nego, hosce probo, qui omni animi cultura destituti, rudes et impoliti, Graecorum studia rident, sibi plaudunt. Mea scripta leget, quicunque vero litterarum studio ductus Graecae comoediae auctores, quos ut egregia exempla sequar, novit et veretur: ceteros nihil curo suasque sibi res habere iubeo (v. 123—134).

Haec sufficiant h. l. ad sententiarum ordinem declarandum: quae gravissima quaestio est, de ratione qua tractaverit Persius studium litterarum, quale tunc vigebat, ea in prolegomenis accuratius tractanda fuit. Unum tantum afferam Senecam, qui in epistola CXIV de ea quaestione, cur quibusdam temporibus provenerit corruptae genus orationis, eleganter et ad nostram cognitionem de illius temporis studiis litterariis perquam utiliter disputat. Cum non possit alius esse ingenio alius animo color, orationis lasciviam luxuriae publicae argumentum esse putat. Nam quod celeberrimo dicto effatus est Buffon, *le style c'est l'homme*, id nec antiquos fugit, qui vetere proverbio dixerunt, talem hominibus esse orationem, qualis vita esset. Orationis ergo licentia, si modo frequens est, ostendit animos

quoque, a quibus verba exeunt, procidisse. Itaque ut Persius ita Seneca perverso hominum iudicio irascitur, quo ipsum vitium ament et laudent. Etenim ubicumque oratio corrupta placeat, ibi mores quoque a recto descivisse non esse dubium, neque mirandum esse corrupta excipi non tantum a turba sordidiore, sed a cultiore quoque, togis enim istos inter se, non iudiciis distare. Quam praecipue, sicut Persius, taxat mollitiem, eam insigni Maecenatis exemplo illustrat, quod cum iis, quae Persius proposuit, conferre operae pretium est, ut tota ista epistola digna est, quae legatur, et ad hanc satiram adhibeatur.

PROLOGUS.

v. 1 sqq. Ennius poeta, qui primus Faunos veteres vatesque sprevit, Graecorum poetarum exemplum secutus, *Heliconem* et *Parnasum* petiit, ibique poetico spiritu se afflatum cecinit. Itaque ex *Hippocrene* bibisse se praedicavit (cf. Propert. IV, 2 [III, 3,] 5 sq.: Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, unde pater sitiens Ennius ante bibit), et, quod celebratissimum fuit, somniantem in monte *Parnaso* Homerum sibi adstantem vidisse, unde edoctus fuerit Homeri animam in corpus suum transmigrasse, quo ex somno experrectus poeta factus fuerit. Tale somnium, simile Callimacheo (cf. Weichert. üb. Apoll. v. Rhod. p. 44 sq.), bis narrasse Ennium testis est Cicero (Acad. pr. II, 16, 51, cf. Scalig. ad Varr. L. L. t. II p. 39 sq. Bip.), in Epicharmo, ubi de metempsychosi tradidit, quo referendus videtur locus Lucretii (I, 111 sqq.), et in principio annalium, ubi *alterum Homerum*, ut aiunt Lucilius (apud Hieron. in Mich. c. 7) et Horatius (epp. II, 1, 50), se ostendit. Hoc somnium magnam apud scriptores Romanos famam nactum est et saepissime commemoratur, cf. Pers. VI, 10 sq. ib. ann. crit. Cic. rep. VI, 10, 10. Front. epp. ad Ver. I, 3. de eloq. p. 229 ed. Rom. Inde quo quis maiore ore loculturus erat poeta, eo magis haec atque similia de se praedicare solebat, quem morem Persius ridet; unde insolito modo *labra proluere* et *fontem caballinum* dixisse videtur, quamquam nec illud ad avi-

dum haustum referendum, nec hoc vulgari vocabulo cum irrisione dictum esse videtur. De usu v. *proluere* et similium quorundam conferri potest locus memorabilis Frontonis ad Caes. IV, 3 p. 97 ed. Rom. Quamquam vero antiqua iam religione fontibus vis animos hominum ita commovendi tribuebatur, ut divinarent et poetae fierent, unde Musarum cum Nymphis multiplex exoriebatur coniunctio (cf. Voss. ad Virg. Ecl. VII, 21. Creuzer. Symb. III p. 272 sqq.), fabula tamen de *Hippocrene* et *Pirene*, quae bibentes poetas facerent, non nisi apud seriorum temporum poetas, Romanos praesertim, legitur, cf. intpp. ad Propert. II, 8, 19 sq. [III, 1, 25 sq.]. — *Biceps* nominatur Parnasus ex usu poetarum Romanorum et seriorum scriptorum, cf. Ovid. Met. I, 316 sq. II, 221. Lucan. V, 71 sq. Senec. Oed. 227. Stat. Theb. VII, 346. Neque tamen omnino duo huius montis cacumina sunt, sed duo illa iuga, inter quae Castalius fons scaturiebat, Baccho sacrata, tantam famam nacta sunt, ut inde montem bicipitem nominarent, v. Ulrichs, Reisen und Forschungen in Griechenland, I p. 48. cf. Millingen, rec. de médailles gr. inéd. p. 43. Egregie dicit, se non *meminisse*, quasi vero tale somnium memoriae tantum infixum maneat, neque sine consilio inf. perf. *somniasse* cum v. *memini* coniungit, cum V, 41 *memini consumere* dicat. Magis enim deprimitur, cum tanquam plane praeteriti notionem inducat, cf. Reisigii gr. lat. § 290. — *Sic*, ut ait Donatus ad Ter. Andr. I, 2, 4, *pro leviter et negligenter, quod Graeci οὕτως dicunt.* Unde idem fere est, quod otiose, nulla adhibita opera, cf. Sen. ep. 82. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 106, vel sine consideratione, Plin. epp. VIII, 20, 8. — *prodire*, de eo, qui, cum ante latuisset, iam apparet; nostrum *auftreten*, ut *in scenam, in publicum prodire.*

v. 4. *Heliconiadas* Musas inde ab Hesiodo (theog. 1) consueto more dixerunt, cf. Paus. IX, 29. *Heliconiadum comites* vocat poetas Lucret. III, 1049. — *Pirene*, Acrocorinthi fons, ubi Pegasum domuisse dicitur Bellerophon, Strab. VIII p. 379. Schol. Pind. Ol. XIII, 90 sqq. Inde Persius sicut Statius (Silv. II, 7, 1 sq.) huic quoque fonti poeticam vim tribuisse videtur, de qua re alibi nihil traditur, nisi quod idem Statius (Theb. IV, 60 sq.) eum quoque Pegasi ungula procreatum narrat. *Pallidam* videtur dixisse Pirenen, quia poetae pallidi esse solent, certe perhibentur, cf. ad I, 26. Sicut *Mors pallida* dicitur, quia ei potissimum convenit, quod in mortuis conspicitur, ita facilius etiam nympham pallidam vocavit, quae poetis eum furorem inspirat, unde iste pallor poeticus oritur.

v. 5. *Imagines* clarorum scriptorum cum ipsorum operibus in bibliothecis publicis et privatis collocabantur, ex instituto potissimum Asinii Pollionis, cf. Plin. H. N. XXXV, 2. Isid. Orig. VI, 5. Suet. Tib. 70. Cal. 34. Sen. de tranq. an. 9. Iuven. II, 4 sqq. Luc. Nigrin. 2. Plin. epp. IV, 28, quo honore etiam minus dignos dignatos esse docet vel Fannius apud Horatium, sat. I, 4, 21. Poetae autem *hedera* coronabantur, cf. Hor. od. I, 1, 29, 16 ib. intpp., verum has coronas, ut ait Petronius (sat. 83), etiam ad imperitos deferre gratia solebat. Utrumque coniungit etiam Iuven. VII, 29: *ut dignus venias hederis et imagine macra*, sicut Ovidius Trist. I, 7, 1 sq.: *Si quis habes nostris similes in imagine vultus, deme meis hederas, Bacchica serta, comis. — lambunt*, ut Macrob. Saturn. I, 19 de thyrso: telum, cuius mucro *hedera lambente* protegitur.

v. 6. *sequaces*, quo quis ducat sequi promptae, cf. Val. Flacc. I, 124. Plin. paneg. 45, 5; quod cum naturam hederae pingat, simul fallacem coronarum honorem exprimit.

v. 7. *sacra vatum*, quae Ovidius *communia poetarum sacra* vocat (Epp. ex Ponto II, 16, 17. III, 4, 67. IV, 8, 81), communia studia artis Musarum sunt, quam quasi sacro quodam vinculo coniuncti colunt. *Vatis* nomen priscum (cf. Varr. L. L. VII, 36) postea honorificentius fere fuit, quam poetae, v. Tac. dial. 9 ib. intpp., unde non sine irrisione eo vocabulo utitur Iuven. I, 16 et h. l. Persius. Ita apud nos fuit tempus, quo poetae non nisi *bardorum* nomine gaudebant. Quod dicit se ad haec sacra *semipaganum* accessisse, recte intellexit Rigalt. ad rei agrar. auctt. p. 232. Pagani enim dicuntur, qui eiusdem pagi sunt: hi vero communia habent sacra, quorum mentio fit apud Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 25: *Videndum erit, qualiter pagi sacra faciant*, Latin. Togat. de limit. p. 310: *super se autem sacra paganorum ostendit* (terminus) *in trifinio*. Insignis de iis locus est Dionys. Halic. IV, 15: *Ἵνα δὲ καὶ τούτων (τῶν συντελούντων εἰς τὸν αὐτὸν πάγον) ἡ πληθὺς μὴ δυσεύρετος, ἀλλ' εὐλόγιστος ἦ καὶ φανερά, βωμοὺς ἐκέλευσεν αὐτοῖς ἱδρύσασθαι θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου, οὓς ἔταξε θυσίαις κοιναῖς γεραίρειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἅμα συνερχομένους ἑορτήν τινα, καὶ ταύτην ἐν τοῖς πάνυ τιμίαν, καταστησάμενος τὰ καλούμενα Παγανάλια· καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν ἱερῶν τούτων, οὓς ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, συνέγραψεν.* Adde Ovid. Fast. I, 669 sq. ib. Merkel. p. CLV. Qui ergo veri poetae sibi videntur, ii ut pagani communia sacra

celebrant, quibus se totum adnumerare non audet, ad vatis et poetae perfecti nomen haudquaquam adspirans.

v. 8 sq. Luxuria Romanorum valde sibi placebat in alendis avibus, quae vocem imitarentur humanam, inter quas eminebant *psittacus* et *pica*, quae illum loquacitate superabat, teste Plinio H. N. X, 42, 59, sed vilior habebatur, quia illum sola India mittebat (Paus. II, 28, 1). Nota sunt Ovidii (Am. II, 6) et Statii (Silv. II, 4) in psittacos epicedia, cf. Mart. XIV, 73. Solebant autem hae aves salutandi formulas potissimum edoceri, ut dicit Philostratus (v. Apoll. Thyan. I, 7): *Τὸ γὰρ χαῖρε, καὶ τὸ εὖ πράττε, καὶ τὸ Ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα οἱ ὄρνιθες εὔχονται οὔτε εἰδότες ὅ τι λέγουσιν, οὔτε* (l. *οὔτ' εὖ*) *διακείμενοι πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλὰ ἐρρυθμισμένοι τὴν γλῶτταν.* Ita apud Trimalchionem super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat (Petron. 28). Psittacus autem *suum* i. e. peregrinum *χαῖρε* sonabat, ut solebant tunc Romani Graecis formulis uti, pica indigena vernaculo sermone loquitur. Apte autem posuit *expedire* et *conari*, ut difficultatem linguas exercendi exprimeret. Cf. Apulei. Flor. p. 349 Elm. de psittaco: Vocem si audias, hominem putes: nam quidem si videas, idem *conari*, non *eloqui*. Similiter de puero loqui incipiente Quinctilianus: *verba effingere imitando conabitur*, et *loqui primum incerta voce tentavit* (I. O. I, 1, 4; 21). Et de psittaco suo modo idem expressurus ait Arnobius (adv. gent. II p. 78 Elm.): verba (discit) et integrare et nomina prorsus expromere.

v. 10 sq. Cf. Theocrit. XXI, 1: *Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.* Plaut. Stich. I, 3, 23: Paupertas omnes artes perdocet. Sen. ep. 15: Admitte istos, quos nova artificia docuit fames. — *ingeni*. Cf. Cic. de finn. V, 13, 36: Prioris generis (virtutum, quae ingenerantur suapte natura) est docilitas, memoria, quae fere omnia appellantur uno *ingeni* nomine. — *sequi* ponitur eadem fere sententia, qua *sectari*, ut non tam spectetur, num vere quis assequatur id quod velit, sed ipsum studium. Ita Hor. sat. I, 6, 87 mercedes sequi. Terent. Hecyr. III, 5, 31 commodum sequi; cf. Cic. de legg. II, 1, 3. p. Mur. 27, 55. Quod magis etiam vv. *negatus voces* exprimitur, quae illustrat Manil. V, 377 sqq.: Quin etiam linguas hominum sensusque docebit aerias volucres, — *verba*que praecipiet *naturae lege negata*. — *artifex sequi*, graeco, ut aiunt, more infinitivo addito v. Pers. I, 59; 70 sq., 118. V, 15;

24. VI, 6; 24. Cf. Bentl. ad Hor. carm. I, 1, 5. Lambin. ad Hor. carm. IV, 8, 8. Vechner. hellenol. p. 303 sqq.

v. 12. *Dolosus* nummus est, quia eius splendor poetas facit, qui facultate poetica destituti sunt. — *Refulserit*, cf. Sen. cons. ad Helv. 16: Non tibi divitiae velut maximum generis humani bonum *refulserunt*.

v. 13. *Corvos* quoque humanam vocem imitari notum est, cf. vel Macrob. Sat. II, 4. Ianell. ad Phaedr. cod. Perott. p. 125. Iam tum temporis feminae poeticis studiis indulsisse videntur, quas tam acerbe insectatur Iuven. VI, 434 sqq., *et poetridas picas* vocat Persius.

v. 14. *nectar*, cf. Pindar. Olymp. VII, 7. *Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτόν, Μοισᾶν δόσιν, ἀθλοφόροις ἀνδράσιν πέμπων*. Theocrit. VII, 82 *οὕνεκα οἱ γλυκὺ Μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ*. Varronis Atacini vs. afferunt C. Barthius ad Petron. 5 et N. Heinsius Advv. IV, 1 p. 557 nescio unde sumtum: *Pierio liquidam perfundis nectare mentem:* v. et Mart. Cap. l. in ann. crit. cf. Iacobs Animm. in Anthol. III, 2 p. 155. Persius ut solet quaesite dixit *nectar cantare;* conferri potest quod quamquam in alio genere Plautus (Poen. I, 2, 112) dicit: *Mulsa, loquitur.*

SATIRA I.

v. 1. Statim hoc primo vs. Persius significat, quale argumentum tractaturus sit, unde is, quem sibi ex adverso dicere facit, hoc consilium ei dissuadet, quod homines non sint probaturi. Magis etiam hoc apparet, si G. Pinzgeri (Jen. Littztg. 1823, n. 77, p. 130) egregiam coniecturam probamus, qua scholiastae annotationem: *Hunc versum de Lucilii primo retulit*, ad vs. 2. vulgo adscriptam, ad h. vs. retulit. Neque enim clarius indicare potuit se satiras scripturum, quam si a versu Lucilii initium faceret, et nescio an hoc quoque hanc sententiam confirmare videatur, quod legimus in vita, Persium lecto Lucilii libro X vehementer satiras componere studuisse. — *in rebus,* nostrum *in der Welt*. Eadem verba alio sensu sunt apud Lucret. I, 324: namque est in rebus inane; cf. 393. 736. 836. III, 821. V, 365.

v. 3. *vel duo vel nemo* fortius etiam est, quam simplex *nemo,* ut Graecorum *ἤ τις ἤ οὐδείς*, cf. Plat. Rep. VI p. 496 B. Herod. III, 140 ib. Valcken. Iacobs. ad Ael. H. An. III, 42.

v. 4. *ne — praet.* breviter positum pro: quare turpe putas? quia timendum (vel cavendum) sit, ne etc., plane ex vulgari usu loquendi. Vide similia quaedam apud Madvig. ad Cic. de

finn. V, 3, 8. — Duos versus Homericos (Il. X, 100. 105) hic respexit poeta, quibus praeter Aristotelem, cuius locos indicavit Heyn. ad Hom. l. l., etiam Cicero usus est, epp. ad Att. II, 5, 1: *Sed hoc tempore et his mittentibus αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo praemio de sententia esse deductum? Πουλυδάμας μοι πρῶτον ἐλεγχείην ἀναθήσει, Cato ille noster.* Et epp. ad Att. VII, 1, 4: *Αἰδέομαι non Pompeium modo sed Τρῶας καὶ Τρωάδας, Πουλυδάμας μοι πρῶτον ἐλεγχείην ἀναθήσει. Quis? tu ipse scilicet.* Cf. ad Att. VIII, 16, 2: *Sed tamen, quicunque sunt, αἰδέομαι Τρῶας.* Acerbe autem *Troiades* ponit, ut mollitiem simul carpat, sicut in notissimo illo *Ἀχαϊάδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί* (Hom. Il. *β*, 235. *η*, 96), aut Virgiliano (Aen. IX, 617): *O vere Phrygiae neque enim Phryges.* Potest etiam fieri, ut Persius hoc verbo nobilium Romanorum fastum irridere voluerit, qui originem a Troicis familiis (de quibus Varro scripsit Serv. ad Virg. Aen. V, 704) repetebant, unde *Troiugenas* ter vocat Iuvenalis (I, 100. VIII, 181. XI, 95). De *Attio Labeone* nihil notum est, nisi quod schol. affert, eum Homeri Iliadem et Odysseam inepte transtulisse, cf. v. 50, 122 sq.

v. 6. *nugae!* Ita *nugas!* apud Plautum Most. V, 1, 31. Pers. IV, 7, 8. — Roma *turbida*, quae ob perpetuam agitationem trutinam iuste exigere nequit, si quid *elevat* i. e. damnat (quae significatio ut vulgaris est, v. Prop. III, 31 [II, 33], 44; 32 [34], 58. Burm. ad Phaedr. III, 10, 7. Drakenb. ad Liv. IX, 37, 6, ita huic loco trutinae causa convenit), non accedas, neque omnino corruptum aliorum iudicium castiges, sed tibi ipsi fidas. Populi iudicium *trutinae* comparat, cuius *examen* i. e. ligula supra scapum erecta *improbum* i. e. fraudulenter corruptum est. Ita Cic. Verr. II, 1, 42, 107 *testamentum improbum* vocat, quod contra leges factum est, et Plautus (Rud. II, 3, 42): fastidiosus aedilis est, si quae *improbae merces* sunt, iactat omnes. Hoc igitur nihil attinet *castigare*, nam quamvis ipse percutias, non potest unquam iustam exhibere mensuram. Similiter loquitur Aus. idyll. XVI, 9: iusto trutinae se examine pendit, et Cassianus collatione XXIII, 5 apud Casaub.: Cum e contrario theoriae bonum corde pensaret, ac velut in una lance tantorum laborum profectum, in altera delectationem divinae contemplationis appenderit, diu *examine* pectoris sui quodammodo *castigato* tandem proclamat.

v. 7. *ne te quaes. extra.* In suum usum vertit hoc Ma-

crob. in somn. Scip. I, 9: Homini autem una est agnitio sui, si originis natalisque principia atque exordia respexerit, *nec se quaesiverit extra.* Cf. Boeth. de consol. phil. IV, 4: Si studium ad peiora deflexeris, *extra ne quaesieris ultorem,* tu te ipse in deteriora detrusisti. — *non accedas — nec — quaesiveris.* Quamquam Quint. I, 5, 50 vitium esse dicit, si quis *non feceris* dicat pro *ne feceris*, quia alterum negandi sit, alterum vetandi, invenimus tamen haud ita raro *non* hoc modo usurpatum, ut apud Persium V, 45 *non dubites,* eademque ratio particulae *nec,* quae est *et non.* Eaque non modo ubi *non* praecessit ponitur, ut h. l., sed etiam ubi nulla negatio praecedit, ut III, 73 *disce, nec invideas,* V, 157 sq. *nec—dicas.* Cf. C. Schmidt. exc. ad Iuven. XIV, 48 p. 385 sqq. Reisig. gr. lat. § 324 sq. Iahn. ad Virg. Georg. III, 435. Cum h. l. duo sint, in quibus vis sententiae posita est, *non accedas, nec te quaesiveris extra,* particula *ve* usus est, ut cum v. *accedas* ea coniungat, quae arctissime cum eo cohaerent accuratiorique explicationi inserviunt, neque vero tertium quoddam efficiunt.

v. 8. Commoto poetae animo egregie convenit abrupta oratio. Quid sit, quod hic reticeat, totius satirae argumentum demonstrat. — *Si fas dic. sed fas.* Similiter Sophocles (frgm. inc. 678, 14 Dind.): *εἴ μοι θέμις, θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν.*

v. 9. *Canities* ut vs. 22 *vetule* non de aetate intelligendum est, sed de corporis animique eorum statu, qui omni luxuriae genere dissoluti ante tempus senes facti sunt. — *nostrum vivere,* ut vs. 27 *scire tuum,* v. 122 *ridere meum,* III, 53 *velle suum.* cf. Burm. ad Petron. 44. Virg. Ecl. I, 9; *nostrum,* ut II, 62 *nostri mores* i. e. huius temporis.

v. 10. *nucibus relictis.* Martial. V, 84, 1 sq.: Iam tristis *nucibus puer relictis* clamoso revocatur a magistro. Ludebant autem pueri nucibus potissimum, cf. Sen. de ira I, 12. Suet. Aug. 83; varia talium lusuum genera recenset vetus carmen, quod fertur, *de nuce,* et monstrant anaglypha, v. Mon. Matteiana III t. 36. Melchiorri, Atti dell' acad. Rom. II p. 149 sqq. Gerhard. Ant. Bildw. LXV.

v. 11. *patruorum rigor*, ut ait Manilius (V, 454), e comoedia videtur in proverbium fere abiisse, unde Cicero p. Cael. 11, 25: *pertristis quidam patruus.* Cf. Hor. carm. III, 12, 3. Sat. II, 3, 88. Apul. Flor. II p. 353 Elm. *patruus obiurgator.*

v. 12. *quid faciam?* Cf. Hor. sat. II, 1, 24 Cic. de off. III. 14, 61. — *Splene* homines ridere antiqui putabant, ut notat schol. — *Cachinno,* nom. subst. ut *gluto* V, 112. *palpo*

V, 176. Videtur talia nomina Lucilius adamasse, fortasse sermoni populari propria, ut *lurco, comedo* fr. IV, 9. *combibo* XXVI, 60. *mando* inc. 86. *catillo* IV, 4. Dous.

v. 13 sq. Scribimus *inclusi,* secreti a vulgo, ut solent in parva cella sublimia carmina facere (Iuven. VII, 27), quia carmina, ut ait Ovidius (Trist. I, 1, 41), secessum scribentis et otia quaerunt. Arcte cum v. *scribimus* iungendum *grande aliquid,* quod utrisque convenit et in quo summa vis posita est. Nam quisquis ad scribendum animum convertit, is statim res magnas cogitavit, et videtur tunc temporis v. *grande* vel maxime in usu fuisse. Seneca certe eodem modo loquitur (epp. LXXIX, 6 p. 290 Schw.): Iam cupis *grande aliquid* et par prioribus scribere; idem (ep. C, 10 p. 99) *grande* coniungit cum *tragice.* Idque magis etiam augetur iis, quae adduntur, ubi pravus ille recitantium mos irridetur, qui dum magno pulmonum nisu verba eiiciunt, gravitatem et sublimitatem affectant, de quo apposite Quintilianus (I. O. XI, 3, 55): „Sunt qui crebro anhelitu et introrsum etiam clare sonante imitentur iumenta onere et iugo laborantia. Quod affectant quoque, tamquam inventionis copia urgeantur, maiorque vis eloquentiae ingruat, quam quae emitti faucibus possit.“ Ceterum n. l. imitatus est Prudentius (c. Symmach. II, 646 sq.): „Ut tragicus cantor ligno regit ore cavato Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.“ Hisce adiungendum *numeros ille, hic pede liber.* Et illud quidem *numerus ille* ita cum v. *scribimus* coniunctum, ut accuratius explicet *scribimus grande aliquid,* ferri posse puto, quamquam intelligo *scribere numeros* durum esse. Accusativum *numeros* cum v. *inclusi* coniungi, mihi quidem leges sermones vetare videntur, et quae afferuntur exempla longe diversa sunt, ut *somnos exterritus* (Sil. It. II, 704), *animum captus* (Sen. Herc. fur. 107) al. Nam ea ipsa numerorum vis est, ut includat, itaque non dici potest nisi *numeris inclusus.*

v. 15—18. De recitationibus Romanorum multi scripserunt. Cf. I. Lips. epp. ad Belg. II, 48. Wolf. praef. ad Cic. p. Marc. p. XIX sqq. Gierig. exc. I ad Plin. epp. t. II, p. 538. Thorbecke de Asinio Pollione p. 107. Weber de poetarum Romanorum recitationibus. Vimar. 1828. 4. Persius hic vividissimis ex ipsaque vita petitis coloribus vanitatem talium hominum pingit, qui nihil omittunt, quo audientium oculos et aures fallere possint. Solebant enim recitaturi summam cultus atque ornatus curam adhibere, ut ait Synesius (in Dion. p. 55 B. Pet.): ὁ δὲ

καὶ ἐλούσατο πρὸ τῆς κυρίας καὶ εἰς αὐτὴν ἀπήντησεν ἐσθῆτι καὶ σχήματι σοβαροῖς, ἵνα καὶ θέαμα καλὸν ᾖ. Conferenda etiam Luciani (rhet. praec. 11) descriptio rhetoris: *Εὑρήσεις πάνσοφόν τινα καὶ πάγκαλον ἄνδρα, διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα, τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον, ὀλίγας μὲν ἔτι, οὔλας δὲ καὶ ὑακινθίνας τὰς τρίχας εὐθετίζοντα.* *Pexus* et *pectere* non solum simplicem usum pectinis notat, sed curam capillorum componendorum maiorem, qualem diebus festis adhibere solebant Romani, cf. Iuv. VI, 26 sq. XI, 150, quin nimiam quoque in iis ordinandis luxuriem, virisque indignam significat, ut Hor. carm. I, 15, 14. Cic. in Cat. II, 10, 22, ubi sine causa *flectere* reponi iussit Bouhier (rem. crit. sur le poème de Petrone p. 107 sq.), quod vere nunc legitur apud Martial. II, 36, 1. Praecipuum cultum quaerebant autem in annulis gemmisque pretiosis, inter quas primum locum obtinebat *sardonyx*, cf. Iuv. VI, 382. XIII, 139. Mart. II, 29, 2. Inprimis autem, qui publice dicebant, hoc ornatu carere noluerunt, ut pauper Paulus apud Iuvenalem (VII, 143) conducta sardonyche ageret. Hanc gemmam vocat *natalitiam*, quia die natali summum adhibebant ornatum, ideoque adiecit *albus*, quia tunc potissimum toga candida utebantur, v. Ovid. Trist. III, 13, 13 sq. V, 5, 7 sq. Optime autem voc. *tandem* impatientiam hominis pingit, qui diu iam festum illum diem exspectavit, quo se suaque populo ostenderet. — Sicuti in scholis discipuli *sedentes* de scripto legunt, *stantes* declamant (Iuv. VII, 151 sq.), ita qui dicebant, stabant, et qui recitabant, sedebant, cf. Plin. epp. VI, 6, 6. Is autem, qui recitabat, ut par erat, paullo celsiore sella utebatur, quam auditores, quibus cathedrae persaepe ponebantur (Iuv. VII, 47. Plin. epp. VIII, 21, 2). Ii vero quibus publice dicendum erat, magnam curam vocis exercendae habebant, quae phonascorum potissimum opera erat. Id ipsum dicebatur Graece *πλάττειν, πλάσις* sim. cf. Plut. Cic. 3, 4. *ἥ τε φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν*, et quae affert P. Petit. misc. obss. III, 23. Inde *plasma* Romanis quoque hoc vocis formandae artificium dicebatur, quod quidem in oratore nimis molle fere videbatur, cf. Quint. I, 8, 2: Sit autem inprimis lectio virilis — non in canticum dissoluta, nec *plasmate, ut nunc a plerisque fit, effeminata*. Hoc plasma *liquidum* vocat, ut vs. 35 v. *eliquat* in simili re utitur, et *guttur colluere* dicit, quia guttur quasi emollit et collinit. Cf. Turneb. Advv. XXVIII, 26. Salmas.

Exercc. Plin. p. 121. Quamquam cantores medicaminibus quibusdam utebantur, quibus guttur colluerent, cf. Dioscor. III, 23. Hieron. ad ep. ad Ephes. 5, tamen quominus plasma h. l. de medicamine interpretemur vetat, quantum video, Quintiliani locus, et vero nostra ratio Persianae loquendi consuetudini apta videtur. Fortasse eodem modo explicanda sunt etiam *τὰ πλάσματα* apud Plutarchum (de aud. 5). *Fractus* is dicitur, qui turpem mollitiem affectat; quod verbum de voce (cf. Iuv. II, 111. Tac. Ann. XIV, 20. Plin. epp. II, 14, 12. Phaedr. fab. nov. IX, 2. Quint. I, 11, 1. Oudend. ad Apul. Met. VIII p. 576) atque incessu (Petron. 117, 25 ib. intpp.) potissimum usurpatur, hic ad oculos refertur, quibus haud minus effeminata illa mollities exprimitur. Audacter oculos vocat *patrantes*, ut vetus epigramma h. l. sine dubium respiciens (Anthol. Burm. III, 160. Meyer. n. 923, 3): Non oculos (laudo) etenim sunt lusci oculi atque *patrantes*. *Patratio* enim, ut ait schol., est rei venereae consummatio, qua oculi potissimum afficiuntur, unde Iuven. VII, 241 oculos in fine trementes dicit. Cf. Apul. Met. III p. 135. Elm. ib. intpp. Serv. ad Virg. Ecl. III, 8. Ceterum ad totam hanc imaginem conferendus est Gellii locus (III, 5) de Arcesilao philosopho et divite quodam nimis delicato, qui incorruptus tamen et castus esse dicebatur. Nam, ait Gellius, cum vocem eius infractam, capillumque arte compositum et oculos ludibundos atque illecebrae voluptatisque plenos videret, nihil interest, inquit, quibus membris cinaedi sitis, posterioribus an prioribus.

v. 19 –21 similem auditorum corruptionem demonstrant. *Nec more probo*, quod alias dicitur *sine more, nullo bono more, malo more* cf. Duker. ad Flor. IV, 6, 3. *Nec voce serena*, quae nimiam animi affectionem et turbationem prodat, ut Ausonius, nostrum fortasse imitatus, ait (Idyll. II, 43): Tranquillus, clemens, oculis, voce, *ore serenus;* et quod propius etiam accedit (Id. IV, 14): Tristis senio, nec *voce serenus*. *Trepidare* est nimio motu et agitatione animi affectionem demonstrare, hic gaudium, ut II, 54 *laetari praetrepidum cor*. Arnobius etiam (VII p. 268 Her.) *trepidare laetitia* dixit. *Titi*, ut Io. Lydus l. in ann. crit. l. notat, nobili loco orti vocantur. Titi nomen alii a tuendo (cf. Paull. Diac. s. v. *tituli*), alii a Tito Tatio rege repetiverunt. Hos vocat *ingentes*, ut V, 190 *ingentem centurionem*, III, 86 *multum torosam iuventutem*, V, 95 *calonem altum*, ut animum prae corpore neglectum significet. Tam molliter haec carmina recitantur, ut ipsum libidi-

nis sensum excitent, cuius sedes *lumbi* habebantur, unde de re simili Iuvenalis (VI, 314 sq.): *tibia lumbos incitat. Versu tremulo* i. e. libidinoso, verbo a saltatione ut videtur desumto (cf. Iuv. XI, 164. Martial. XIV, 203 et versum ignoti poetae apud Mar. Vict. A. gr. IV p. 2602 P.: *Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos*), *intima,* in quibus habitat libido, *scalpuntur,* quod v. de molli titillatione usurpatur, cf. Senec. ep. LXXV, 5 p. 262 Schw.: Quid aures meas *scalpis?* quid oblectas? Ceterum Quintilianus quoque dicit (V, 12, 20), eius temporis *eloquentiam libidinosam resupina voluptate auditoria* probari.

v. 22 sq. *Vetulus,* ut Passow. demonstravit, eum significat, qui effeminato vivendi more libidinibusque ante tempus enervatus et senex factus est, cf. Petron. 28: deliciae eius, *puer vetulus.* Martial. I, 41, 13 bucca *vetuli cinaedi. Auric. coll. esc.* cf. Aelian. V. H. III, 1 *Καταδουσι δὲ καὶ ὄρνιθες — καὶ ἐστιῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς. Cute perditus* hydropicus est, in quo morbus iam insanabilis tumente cute patefit, cf. III, 63. 95. Id hic translatum est ad summum animi et iudicii perversitatem. *Ohe!* cf. Hor. Sat. II, 5, 96 sq.: Importunus amat laudari, donec: *Ohe iam!* ad caelum manibus sublatis dixerit. Cf. I, 5, 12. Martial. IV, 89, 1.

v. 24 sq. *Fermentum* farinam turgescere facit tandemque rumpit, cf. Plin. XVIII, 11, 26; idque ad animum varie transfertur, cf. Rupert. ad Iuv. III, 187. *Caprificus* in commissuris saxorum ortus, postea dum crescit, ipsa saxa dirumpit, v. Sen. quaestt. nat. II, 6. Iuv. X, 146. Mart. X, 2, 9. Isid. Orig. XVII, 6. Schol. Hor. epod. V, 17. *Iecur* rumpi dicitur, quia iecur antiquis sedes animi et affectuum habebatur (cf. Intpp. Hor. carm. I, 13, 4. Böttiger Ideen II p. 464 sq. Köpke in Zeitschr. f. A. W. a. 1837 n. 56), unde V, 129 *in iecore aegro nascuntur domini,* ut h. l. *innata est caprificus.*

v. 26 sq. *Pallere* in usu est de assiduo eruditorum et poetarum studio, cf. v. 124. III, 85. Iuv. VII, 97. Quint. I, 2, 18. VII, 10, 14. Martian. Cap. I, 13, 3: *lucubrationum nescire pallorem. Senium* significat curas, quae hominem frangunt, cf. VI, 16. Auson. Id. IV, 14: *tristis senio.* Hor. epp. I, 18, 47: *inhumanae senium depone Camenae. O mores!* celebratissima Ciceronis vox (in Cat. I, 1, 2 in Verr. IV, 25, 56), cf. Martial. IX, 70. — *Usque adeone* cf. Cort. ad Luc. I, 366. — Laudat haec Quint. (I. O. IX, 3, 42) ut exemplum iterationis verborum crebrioribus declinationibus mutatae, Lucilii

versus affert schol., conferri potest etiam illud Calvi (apud Sen. ep. XCIV, 25 p. 43 Schw. Quint. VI, 1, 13): *Factum ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt.* De sententia n. l. quaedam disputat Boisson. ad Theogn. 772. Neronem narrat Suetonius (Ner. 20) inter familiares subinde Graecum proverbium iactasse, occultae musicae nullum esse respectum, quod ita affert Lucianus (Harmon. 1): *οὐδὲν ὄφελος ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς*, cf. Gell. N. A. XIII, 30, 3.

v. 28—30. *Digito monstrari* vulgata locutio de iis, qui magnam vel apud populum famam nacti sunt, praeclaram praesertim, cf. Hor. carm. IV, 3, 22. Mart. VI, 82, 3. IX, 97, 4. Plin. IX, 23, 4. Tac. dial. 7. Graecis *δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ*, v. Lucian. Somn. 11. Anach. 36. Harmon. 1. Herod. 1; quamquam etiam de iis dicitur, quorum mala est fama, cf. Ovid. Am. III, 1, 19. 6, 77. Additur plerumque huic gestui *hic est, οὗτος ἐκεῖνος*, cf. Iuv. I, 161. Mart. V, 13, 3. Narratiunculam de Demosthene, cuius meminit schol., refert etiam Cic. Tusc. V, 36, 103. Plin. epp. IX, 23, 5. Aelian. V. H. IX, 17 (Diog. Laert. VI, 2, 6, 34 huc non pertinet). *Dicier* antiqua forma, ut *fallier* III, 50. — In ludis litterariis magister pueris poetarum locos, quos enarrabant, *dictare* solebant (v. Weichert, poett. latt. rell. p. 25). Pueros vocat *cirratos*, quia capillos alebant pueri usque ad pubertatis annum, et fortasse h. v. delicatum comae ornatum simul notavit. Inde apud Martial. IX, 29, 7: matutini *cirrata turba magistri*, et Mart. Cap. III p. 93 Grot.: sicut inter *cirratos* audis. Cf. Hieronym. apol. adv. Rufin. I t. IV, 1 p. 369 Ben.: *cirratorum turba* Milesiorum in schola figmenta decantet, qui nostrum locum alias aperte respexit (ep. LI [XXXII] t. IV, 2 p. 246 Ben.): Et in tantam venit opinionem eloquentiae, ut soleant dicta eius *cirratorum dictata* esse. Etiam in pictura Pompeiana, quae ludum litterarium repraesentat, promissos puerorum capillos animadvertere licet (v. Pitt. d'Erc. III, 41. Jorio, guide des peint. anc. n. 714 tab. 6). Ad sententiam cf. Cic. ad Q. fr. III, 1, 4: Meam in illum (orationem) *pueri* omnes *tanquam dictata perdiscant.* Quod ad verba *te dictata fuisse*, similiter dixit Iuven. X, 166 sq. saevas curre per Alpes, ut pueris placeas et *declamatio fias.*

v. 30—40. Moris erat, inter coenam per lectorem, *ἀναγνώστην*, carmina ad oblectationem convivarum recitari (cf. Suet. Aug. 78. Plin. epp. I, 15. III, 5. VIII, 1. IX, 17. Iuv. XI, 177.), et de iis varias disputationes haberi (Petron. 55. 59.

Iuv. VI, 433 sqq.). Tunc scilicet, ubi nihil serii agi potest, *Romulidae* (ironice ut *Troiugenae* apud Iuven. cf. ad v. 5) cibo potuque repleti carmina curant, quae irridens *dia* vocat, divina, egregia (*dia sententia* apud Lucil. fr. inc. 107. Hor. sat. I, 2, 32. Sulpic. sat. 48). — *Hic aliquis,* cf. III, 77. Claudian. de b. Get. 485 sq. Qui tunc temporis belli esse volebant, non toga, sed aliis vestibus utebantur, ut *abolla* (cf. Madvig. opp. p. 41), *lacerna* (v. Becker. Gall. II p. 95 sqq.), *laena* (cf. Iuv. III, 283). Amabant autem delicatuli colores floridos (*improbos* vocat Senec. epp. CXIV, 20 p. 169 Schw.), et praeter vestes *hyacinthinas* (quales apud Ionas in usu fuisse memorat Athen. XII p. 525 D.), *ianthinae* potissimum (Plin. XXI, 6. Mart. II, 39. Digg. XXXII, 70, 13) et *amethystinae* (Iuv. VII, 136. Mart. I, 96, 7. II, 57, 2. Suet. Ner. 32) commemorantur. Ceterum de *hyacintho* eiusque colore v. Voss. ad Virg. Georg. IV, 137 p. 779 sqq. — *Rancidulum* ad putidam enuntiationem referendum, cf. Martial. VII, 34, 7: Qui sic *rancidulo* loquatur *ore;* et, qui nostrum respexisse videtur, Eugen. praef. opp.: Quamvis *rancidulum* rugata fronte susurres. *De nare loqui,* Graecis ἐν ῥινὶ φθέγγεσθαι (Polemo Physiogn. I, 12. Adam. Mart. I, 29), quo obscurus fit sermo, unde *balbam* narem dixit, quamquam hoc vitium ad linguam potius spectat, quod tunc quidam affectasse videntur, cf. Hor. sat. II, 3, 274. Ovid. A. A. III, 293 sqq. Mart. X, 65, 10 sq. Nota ex Argonautarum fabula sunt *Phyllidis* et *Hypsipyles* nomina fataque flebilia. Utramque celebravit Ovidius (Her. II et VI ubi v. intpp. cf. Lobeck. Aglaoph. p. 290 sq.), et Hypsipyle quidem tragoediis quoque argumentum praebuit, quod de Phyllide dici nequit. Scripsit carmen Phyllidis nomine insignitum *Tuscus* (Ovid. ex Ponto IV, 16, 20, unde laudavit Apul. de orthogr. § 15), de quo nihil constat. Videntur autem Persii tempore talia argumenta studiose tractasse poetae. *Plorabile,* cf. Claudian. in Eutrop. I, 261 sq.: verbisque sonat *plorabile quiddam* ultra nequitiam fractis. *Eliquat* de vino sumtum, quod per colum transfundebatur, ne quid restaret, quod turbidum faceret (qua de re exstat Ph. Venuti dissertatio in Saggi dell' acad. di Cortona I p. 81 sqq.). Hic refertur ad extremam verba proferendi mollitiem. Cf. Apul. Flor. p. 351 Elm.: Canticum videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis *eliquare.* Quod Horatius (Sat. II, 3, 274) dixit *balba ferire annoso verba palato,* id more suo fortius expressit Persius; *supplantare* enim, graece ὑποσκελίζειν, luctatorum est, qui adversarii pedem captant, ut

ita humi sternant, cf. Non. s. v. Krause, Gymn. u. Agon. d. Hell. I p. 413 sq. Ita recitator blaeso ore verba palato illidens quasi supplantat, corrumpit et evertit. — *Assensere viri,* quod ad epicam gravitatem accedit (cf. Virg. Aen. II, 130 *assensere omnes;* Ovid. Met. IX, 259. XIV, 592 *assensere dei*), ironice dictum. Hoc magis etiam apparet addito *laudant convivae,* ubi convivarum nomen ita accipiendum est, ut *παράσιτον* notet, cf. Hor. sat. I, 10, 80. Iuven. V, 74. IX, 10. Rutgers. lectt. Venus. c. 13. Talium igitur hominum assensu atque laudibus efficitur, quod mortuis caris propinquorum piis votis optari solebat, ut Di, quod ait Iuvenalis (VII, 207) umbris tenuem et sine pondere terram, spirantesque crocos et in urna perpetuum ver darent. Solemne erat *terram levem* defunctis optare (cf. Mart. V, 34, 9 sq. VI, 52, 5. IX, 29, 11), unde illud frequentissime cippis sepulcralibus insculptum legitur (S. T. T. L. cf. Fabrett. p. 282 sqq.), vel qui idem significat vs.: Te lapis obtestor molliter super ossa residas (Marini frat. Arv. p. 494 add. Spec. epigr. p. 110 sqq.). Solebant etiam tumulos floribus ornare, (cf. locos apud Klotz ad Tyrt. p. 49 sq. intpp. Minuc. Fel. p. 109 sqq.), quo pio officio haud raro quotannis fungebantur (cf. Gruter. 449, 5. 637, 5), et hortos circa monumenta faciebant (van Goens de cepotaphiis. Trai. 1763). Ideo, sicut omnino summae et prope divinae felicitatis signum habebatur, flores ibi nasci, ubi quis moraretur (cf. ad II, 38), ita optimi cuiusque viri et a Diis amati sepulcrum flores procreabat. Cf. Iacobs. animm. ad Anthol. Gr. t. III, 2 p. 279 sq. Inde in epigrammate sepulcrali (apud Murat. 1639 n. 1, 5 sq. Brunck. Anall. III p. 300) legimus:

ἀλλὰ σὺ γαῖα πέλοις ἀγαθὴ κουφή τ' Ἀκυλείνῳ
καὶ δὲ παρὰ πλευρὰς ἄνθεα λαρὰ φύοις

et in altero (apud Murat. 540, 1. Maffei Mus. Ver. p. 414, 6. Brunck. Anall. III, p. 303):

Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ
μὴ βατὸς αὐχμηρή, μὴ κακὸν αἰγίπυρον,
ἀλλ' ἴα καὶ σάμψυχα καὶ ὑδατίνη νάρκισσος
Οὐείβιε, καὶ περὶ σοῦ πάντα γένοιτο ῥόδα.

Similiter in epigrammate Latino (Fabretti cl. IV p. 284, 186. Gud. p. 231, 1. Anthol. L. IV, 246. n. 1349 M.):

Hic iacet Optatus, pietatis nobilis infans
Cui precor, ut cineres lilia sintque rosae,
Terraque, quae mater nunc est, sibi sit levis oro,
Namque gravis nulli vita fuit pueri.

Manes idem fere significat, quod *cinis*, id quod superest de homine combusto et conditur, cf. Propert. III, 4, 15 sq. [II, 13, 32]: Deinde ubi suppositus *cinerem* me fecerit ardor, accipiat *manes* parvula testa meos. Inde in titulis sepulcralibus pro vulgato illo DIS MANIBVS invenitur etiam CINERIBVS (v. Spec. epigr. p. 91).

v. 40—43. *Ait* de auditore, quem obloquentem nobis cogitamus, eodem modo apud Horat. epp. I, 19, 43: Rides, ait, et Iovis auribus ista servas. cf. Iuven. IX, 63. Multo saepius, imo frequentissime, sic positum legitur *inquit*, cf. Bentl. ad Hor. Sat. I, 4, 79. Intpp. Liv. XXXIV, 3, 9, et quos praeterea laudat Haas. ad Reisig. gr. lat. § 197. Heinrich ad Iuv. VII, 242. *Naribus indulgere*, ut Hor. ep. I, 19, 45 *naribus uti* dixit, quia, ut ait Quintilianus (XI, 3, 80), naribus labrisque, quibus non fere quidquam decenter ostendimus, derisus tamen, contemptus, fastidium significari solet. Cf. Plin. H. N. XI, 37, 59. Hic contemptus magis etiam exprimitur *naribus uncis*, ut apud Horat. Sat. I, 6, 5 *naso adunco*. *Velle recusare* fortius e consilio adversarii dictum pro *nolle*, cf. VI, 15. *meruisse* inf. perf., ubi inf. praes. exspectes, pluries posuit Persius, ut hic cum v. *velle* coniunctum v. 91 *qui me volet incurvasse*, quod prae ceteris usitatum (cf. exempla in annot. Haasii ad Reisig. gr. lat. § 290); I, 132, *scit risisse*. IV, 7 *fert animus fecisse*. 17 *summa boni est, uncta vixisse patella*. VI, 77 *praestantior Cappadocas pavisse*. Cum perfecto coniunctus est inf. perf. V, 33 *permisit sparsisse oculos*, et inf. praes. et perf. eidem verbo adiuncti sunt II, 66 *bacam rasisse et stringere venam iussit*; VI, 3 sqq. *opifex intendisse, mox agitare iocos et lusisse egregius*. VI, 15 sqq. *recusem minui aut coenare et tetigisse* (quo in verbo usitatum est cf. Heindf. ad Hor. sat. I, 2, 28). V. egregiam Madvigii disputationem de formarum quarundam verbi Latini natura et usu II p. 32 sqq. — Quod Ennius dixerat (ap. Cic. Tusc. I, 15, 34) eumque secutus Virgilius (Georg. III, 9) *volitare per ora virum*, de magna apud populum fama, id simplicius vulgo dicebatur *in ore esse* (Beier. ad Cic. Lael. I, 2. Tac. Hist. II, 73. 78. Sen. de ira III, 23), *in ora venire*, quod quamquam etiam in malam partem accipiebant (cf. Liv. II, 36, 3. Catull. XXXVIII [XL], 5), plerumque tamen in laudem interpretabantur (Prop. IV, 8 [III, 9], 32. Hor. ep. I, 3, 9). Ex hac consueta locutione Persius suum *os populi merere* effinxit. Ex *cedro* oleum, ut ait Vitruvius (II, 9) nascitur, quo reliquae res cum sunt unctae, ut etiam libri, a tineis et a carie non laeduntur. Quare libri, qui quidem alicuius pretii

essent, ut conservarentur et flavo colore niterent, cedro ungebantur (Ovid. Trist. I, 1, 7. III, 1, 13. Martial. III, 2, 7. Lucian. adv. indoct. 16), unde *cedro digna* dicuntur carmina, quae aeternitate digna sunt, cf. Horat. A. P. 331 sq.: Speramus carmina fingi posse *linenda cedro*. Auson. epigr. XXXIV, 13 sq.: Huius (Proculi) in arbitrio est, seu te *iuvenescere cedro*, seu iubeat duris vermibus esse cibum. De dicendi formula *cedro digna locutus* v. H. Peerlk. ad Hor. carm. II, 13, 29. Quod vero hodie scriptorihus metuendum, ne in cauponas et culinas migraturi sint libri, id iam antiquos timuisse scriptis suis, multi loci docent. Cf. Catull. XCIII (XCV), 7: Volusi annales — laxas *scombris* saepe dabunt tunicas, cl. Mart. IV, 86, 8: nec *scombris* dabis tunicas molestas. Hor. epp. II, 1, 269 sq.: Deferar in vicum vendentem *tus et odores et piper* et quidquid chartis amicitur ineptis. Sidon. Apoll. carm. IX, 317: charta, quae *scombros* merito *piperque* portet. Martial. III, 2, 3 sqq. XIII, 1, 1. III, 50, 9. VI, 70, 8. Videmus igitur pisces et odores potissimum exemplum talium mercium adhiberi. Cf. Markld. ad Stat. Silv. IV, 9, 13. *Scomber* autem piscis marinus fuit, e quo garon conficiebatur pretiosissimum, cf. Plin. H. N. XXXI, 8, 43. Martial. XIII, 102; 103.

v. 44—62. His verbis naturam dialogi, qualem ipse instituit, clare demonstrat poeta, de qua egregie disserit Passow. p. 202 sq. Scilicet non certam quandam sibi fingit personam, quacum colloquatur, sed id ipsum, contra quod modo disputat, quasi quadam figura comprehensum, adversarium sibi facit, unde fit, ut non unus sit semper et idem, sed varias partes agat. *Non ego*, v. III, 78. Hor. epp. I, 19, 37. *Si forte — siquid t. apt. exit*, haec aperte imitatus est Quintil. XII, 10, 26: „Ita nunc si quis ad eas Demosthenis virtutes, quas ille — habuit, tamen quae defuisse ei — videntur, adiecerit, — audiam dicentem. Non fecit hoc Demosthenes? *et si quid exierit numeris aptius, fortasse non possit, sed tamen si quid exierit aptius*, non erit Atticum?“ *Exire* autem dicuntur opera ex officina vel e manu artificis, ubi tamquam perfecta in publicum emittuntur, cf. Cic. parad. pr. 5: Non est enim (opus), ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiae, sed tamen, ut *ex eadem officina exisse* appareat. Augustin. Civ. D. VII, 4: Tamquam opifices in vico argentario, ubi unum vasculum, ut *perfectum exeat*, per multos artifices transit. Hor. A. P. 22: Cur urceus *exit?* De libris Cic. ad Attic. XIII, 13, 1. *Quando* causam addit, cur tam dubitanter et modeste loquatur, et hoc

quidem loco non solum idem significat, quod *quoniam* (cf. Madvig. ad Cic. de finn. V, 8, 21), sed paullo fortius est, ut aliis locis *quando quidem* (*weil doch*); ita Iuv. IX, 148 sq.: Sufficiunt haec, *quando* pauper ero; cf. III, 21. Hor. Sat. II, 5, 9. *Rara avis,* proverbialis locutio, ut apud Iuven. VI, 165. Hieron. adv. Iovin. l t. IV, 2 p. 190 Ben.: Aut si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen *rara avis* est. *Laudari metuam,* similiter Horat. epp. I, 16, 60 *metuens audiri;* carm. III, 11, 10 *metuit tangi. Fibrae,* iecoris extremitates sunt (cf. ad II, 26), in quo sensus et animi sedes (v. ad v. 25), cf. V, 29. *Corneum* autem vocarunt Romani quicquid rigidum esset et sine sensu, idque verbum etiam de homine usurpabant. Cf. Plin. VII, 18, 19. XXXI, 9, 45. Petron. 43. Persium respexit Sidon. Apoll. epp. VIII, 11: Orphea, qui — saxa et robora, *corneasque fibras* mollit. IV, 1: Bestialium rigidarumque nationum *corda cornea fibraeque glaciales. Finem* et *extremum* eadem significatione coniungit etiam Cicero (de finn. II, 3, 6): Is qui *finem* rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id *extremum,* id ultimum bonorum. II, 2, 5: Nam hunc ipsum sive *finem,* sive *extremum,* sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae *recte* (cf. I, 12, 42) fierent, referrentur. cf. V, 5, 15; 17; quibus verbis Graecorum τέλος interpretatur, III, 7, 26, cf. Madvig. ad I, 9, 29. *Euge* et *belle,* ut postea v. 84 *decenter,* verba sunt, quibus recitantibus acclamari solebat, ut apud Horat. A. P. 428 *pulcre, bene, recte.* Progressu temporis ingentem talium acclamationum copiam sibi compararunt adulatores, quibus cum delectu et arte uti callebant, cf. Plut. de aud. 9. Recenset aliquot earum Martialis (II, 27, 3): *Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate!* Inprimis autem *sophos* (σοφῶς) in usu fuisse videtur, quod persaepe apud Martialem invenitur (I, 3, 7; 49, 37; 66, 4; 76, 10. III, 46, 8. VI, 48, 1. VII, 32, 4. cf. Petron. 40). Similiter de hisce iudicat Arrian. diss. III, 23. *Belle hoc,* Cic. Phil. II, 39, 101: *illud paene tollatur. Excutere* de diligenti et accurata pervestigatione usitatum est Senecae, cf. ep. XIII, 8. XVI, 6. XXII, 8. XXVI, 2. de ira III, 36. Accommodate ad primam verbi significationem, rem aliquam ita quatere, ut quicquid alieni insit, decidat, qua de vestibus ac stragulis potissimum usurpatur (cf. Quint. XII, 10, 73. Burm. ad Petron. 128), dixit *quid non intus habet? Non* i. e. *nonne,* cf. Intpp. Sall. Iug. 31, 17. Liv. IV, 4, 5. Flor. III, 21, 25. Menke, obss. in Stat. Achill. p. 16. *Ilias Attii Labeonis* (v. ad v. 4) vocatur

ebria veratro, de quo verbi *ebrius* ad alia translati usu cf. Muret. VV. LL. V, 16. *Helleborum* autem, quod Italia *veratrum* vocabat, nigrum praesertim albo fortius, non solum furori medebatur, verum a plerisque studiorum gratia ad pervidenda acrius quae commentabantur, saepius sumtitabatur, ut Plinius narrat (H. N. XXV, 5, 21). Auget acumen h. l. quod ipsum illud nigrum helleborum, ut idem ait Plinius, in Helicone monte nascitur, a quo *sanos poetas* exclusit Democritus (Horat. A. P. 296 sq.), qui ut plerique veterum negavit, sine furore quemquam poetam magnum esse posse (Cic. de div. I, 37, 80). Insanam apud omnes Romanos scribendi libidinem taxat etiam Horatius (epp. II, 1, 108 sqq.): Mutavit mentem populus levis et calet uno scribendi studio; pueri patresque severi fronde comas vincti *coenant et carmina dictant.* Ita hic quoque *proceres crudi* sc. inter coenam carmina *dictant* i. e. ex tempore componunt, ut ille apud Petronium (c. 55) Trimalchio, et recitant, ut ab aliis excipiantur (cf. Weichert, poett. latt. rell. p. 25. Quint. X, 3, 18. cl. Treb. Poll. XXX tyr. 33). *Elegidia* vero, molle genus poeseos, potissimum adamasse videntur huius generis poetae, cf. v. 34, et recenset etiam Iuvenalis I, 4. Romani autem solebant *lectis* ad lucubrandum uti, cf. Casaub. ad Suet. Aug. 78. Burm. ad Prop. III, 4, 14. Becker. Gall. I p. 198 sq. E *citro,* thyia Mauretanica longe diversa a malo Medica (Voss. ad Virg. Georg. II, 127), pretiosissimi orbes, lecti et alia id genus perficiebantur, quae insano pretio emerunt Romani, cf. Böttiger. Sab. II p. 31 sqq. Becker. Gall. I p. 138 sq. — Tales poetae coenis aliisque beneficiis conduxerunt qui laudarent et plauderent, unde Horatius (epp. I, 19, 37 sq.): Non ego ventosae plebis suffragia venor *impensis coenarum et tritae munere vestis.* Cf. Petron. 10: Multo me turpior es tu, qui *ut foris coenares, poetam laudasti.* Mart. II, 27. VI, 48. *Sumen* autem inter delicias numerabatur coenae cf. Mart. VII, 78, 3, XIII, 44. Iuv. XI, 138, quod *ponere* dicitur dives, ut apud Horat. (A. P. 422) unctum qui recte *ponere* possit, cf. Pers. III, 111. VI, 23. Heindf. ad Hor. Sat. II, 2, 23. *Lacerna* genus vestimenti est, quo Caesarum temporibus prae toga non solum inferioris ordinis homines, verum delicati quoque utebantur, v. Becker. Gall. II p. 96 sqq. Hic autem longo usu detritam lacernam dat clienti, cf. Iuv. IX, 28 sqq. Mart. X, 14, 7: *comites* enim pauperes vocabantur clientes, qui divitibus amicis vel ut ipsi dixerunt regibus, officia praestabant, v. quae congessit Seebode Schol. z. Hor. p. 8. 10. Ut hic poeta

dives clienti, cuius assensum emit, ita apud Plautum (Most. I, 3, 24) puella ancillae, ex qua de pulcritudine sua quaerit, dicit: Ego verum amo, verum volo dici mihi, mendacem odi. Eodem modo etiam Gallicus recitator apud Martialem (VIII, 76): „Dic verum mihi, inquit, Marce, dic amabo; nil est, quod magis audiam libenter;“ cui denique respondet poeta: „Vero verius ergo, quid sit, audi: verum, Gallice, non libenter audis.“ — *Pote* pro *potis* archaismo, ut ait Donatus ad Terent. Adelph. II, 3, 11, ut *mage* pro *magis*, cf. Lucret. II, 1092. Cic. Brut. 46, 172. Oudend. Apul. Met. I p. 43. VIII p. 551. *Nugari* hic ut v. 70 de levi hoc atque delicato poeseos studio intelligendum, ut solent poetae ipsi carmina sua vocare nugas, quippe quae non seria opera, sed animi potius relaxandi causa confecerint, v. Catull. I, 4. Hor. epp. I, 19, 42. Mart. IX, 1, 5. *Calve*, quia luxuriae dediti homines ante tempus calvere solent; nam mimorum atque scurrarum calvities (v. Ziegler, de mimis Rom. p. 30. Intpp. Iuven. V, 171) huc non pertinet. *Aqualiculus*, quem *ventrem* explicat Veget. veter. I, 40, *ventriculum* onomasticon vetus apud H. Turnebum, Advv. XXVIII, 5 (et gloss. ms. Montis S. Eligii Atrebat. apud Dübner.), de *suibus* proprie usurpari docet schol. et Isidor. Orig. XI, 1; de *equo* habet Veget. l. l. de *homine* Seneca ep. XC, 22 p. 8 Schw.: Cibus cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore coquitur. Quibus ex locis cum pateat, ad internas corporis partes proprie referri hoc voc., quarum ope cibi concoquuntur: Persius hic ad externum habitum retulisse videtur, ut quammaxime cibis deditum hominem significaret. Eos autem minus sollertes, quibus obesissimus venter, e communi antiquorum sententia dicit Plinius H. N. XI, 37, 79. Similiter Graeci, Polemo physiogn. I, 22: *Γαστέρες λαγαραὶ καὶ σαρκώδεις, εἰ μαλθακαί εἰσι καὶ ἔξω κρέμανται, ἀνόητον, οἰνόφλυγα καὶ ἀκόλαστον δηλοῦσιν ἄνδρα.* Adamant. Martyr. II, 12: *Γαστέρες μεγάλαι, σαρκώδεις, εἰ μὲν μαλθακαὶ εἶεν καὶ ἐκκρεμεῖς, ἀναισθησίαν, οἰνοφλυγίαν, ἀκολασίαν ἐμφαίνουσιν.* Neque abludit quod de Catone narrat Plutarchus (Cat. mai. 9): *Τὸν δὲ ὑπέρπαχυν κακίζων „ποῦ δ' ἂν“ ἔφη „σῶμα τοιοῦτον τῇ πόλει γένοιτο χρήσιμον, οὗ τὸ μεταξὺ λαιμοῦ καὶ βουβώνων πᾶν ὑπὸ τῆς γαστρὸς κατέχεται;“* — *Ianum*, qui, ut ait Ovidius (Fast. VI, 123), videt, quae post sua terga gerantur, felicem praedicat, quem non potest is, qui modo in os laudavit, mox a tergo irridere, ut apud homines fieri videmus. Tales clandestinae irrisiones cum gestibus potissimum fiant, graphice descripsit tres

modos, quibus derisionem significare solebant. Cf. Grysar. in Welckeri et Naekii Mus. Rhen. II p. 42. Eosdem commemorat qui h. l. expressit Hieronymus (ep. IV [XCV] t. IV, 2 p. 776 Ben.): Ne credas laudatoribus tuis, immo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint et quodammodo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut *ciconiarum* deprehendes post te *colla curvari*, aut *manu auriculas agitari asini*, aut *aestuantis canis protendi linguam*. Et de *ciconia* idem ait (prol. in Sophon. t. III p. 1642 Ben.): Nunquam post tergum meum *manum incurvarent in ciconiam*. Unde patet digitos ita formatos esse et inter se collisos, ut rostrum crepitantis ciconiae imitarentur, unde v. *pinsit* Persius posuit. Notissimus hodieque apud Italos in usu est (Jorio, la mimica degli antichi p. 301 sqq.) gestus irrisorius, qua manus auribus admotae celeriter moventur, ut longae asinorum aures repraesententur, quas *albas* vocat, ut Ovidius Met. XI, 174) dicit: Delius aures (Midae) villis albentibus implet. De vv. *mobilis imitari* cf. ad prol. v. 11. Ceterum ad hunc vs. et sq. e verbo *pinsit* adhibendum est simile, quod verbis accuratius respondeat. Tertius denique irridendi modus est, quo lingua ex ore extenditur, notissimi apud omnes gentes usus, in antiquis gorgoniis potissimimum celebratus. Linguas autem tantas esse dicit, quantum sitiens protendit canis, quam *Apulam* vocat, quia Apulia arida et, ut ait Horatius (epod. 3, 16), *siticulosa* est. Ut hic Persius iunxit *tantae linguae, quantum sitiat canis*, ita Lucanus (I, 259 sqq.): sed *quantum rura silent — tanta quies. Vos o patricius sanguis*, ut Horatius (A. P. 291 sq.): *Vos o Pompilius sanguis*, carmen reprehendite. *Sanna* est irrisionis acerbissimae expressio, quae vultus distorsione fit, graece, ut glossae vett. docent, *μῶκος: μῶκος δέ ἐστιν* (ut explicat Simpl. ad Epictet. 22 p. 137 H.) *ὁ μυκτηρισμὸς καὶ ὁ διὰ τοιούτου σχήματος εὐτελισμός*. Quae cum potissimum naribus corrugandis fiat, dicit Persius (V, 91): Ira *cadat naso, rugosaque sanna*. Solent autem simul aerem cum impetu foedoque strepitu sorbere, unde Iuvenalis (VI, 306): qua sorbeat aera sanna, quod illustratur scholio inedito apud Bast. (lettre crit. p. 58): *ῥιναυλοῦσι ἤτοι ῥινοκτυποῦσιν, οἱονεὶ τὸ πνεῦμα τοῖς ῥώθωσι συνέλκοντες ποιὸν ἦχον ἐπὶ καταγέλωτι ἀποτελοῦσι*. Talia ergo ne post tergum fiant cavendum est patriciis, qui tantopere se laudari cupiunt.

v. 63 — 68. Confirmat hoc de mollitie iucunda iudicium Seneca (ep. CXIV, 15 p. 167 Schw.), ubi dicit, quorundam

iam non esse compositionem, sed modulationem, adeo blandiri eam et molliter labi, cui accedit Quintilianus (V, 12, 18), dum queritur, habitum orationis virilem et illam vim stricte robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operiri, et dum levia sint ac nitida, quantum valeant neminem curare. Quae iam sequuntur iudicia, ea ut ex populi ore desumta, ratione ab artificiis repetita eloquitur. Marmorarii, ut testatur Schol. Horat. sat. I, 5, 32. A. P. 294. Serv. ad Virg. Georg. II, 277, unguibus examinabant, num ita sibi convenirent lapides politi, ut iuncturae non possent deprehendi. Idem significat Sidonius Apollin. (epp. IX, 7), qui nostrum locum ante oculos habuit: „Structura fortis et firma coniunctionumque perfacetarum nexa caesuris insolubilibus, sed nec hinc minus lubrica et levis ac modis omnibus erotundata, quaeque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa iuncturas [cf. Senec. ep. XCIV, 15 p. 167 Schw. *nolunt sine salebra esse iunctu-ram*] per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus et ductilis, veluti cum crystallinas crustas onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.“ Ita revera Persium rem sibi informasse docet v. *iunctura*, qua eodem modo de oratione usus est Seneca l. l., et aptissima est haec comparatio ubi de levi oratione sermo est. Eodem pertinere videntur *in unguem committere* apud Cels. VIII, 1, *in ungue coniungere* apud Vitruv. IV, 6, et graeca, quae his contulit Schneider. lex. gr. s. v. ὄνυξ, quibus quam accuratissima coniunctio et commissio notatur, unde illa levitas oritur. Atque cum his quodammodo conferendum est quod apud Virgilium legitur (Georg. II, 277 sq.): Nec secius omnis *in unguem* arboribus positis secto via limite quadrat; quem secutus est Columella (XI, 2): Tum etiam abies atque populus singulis operis *ad unguem* quadrantur: nam hic quoque de recta linea, quae summa diligentia tenenda sit, sermo est; quamquam hic ad oculorum potius aciem, quam ad unguem provocandum fuit. Sed quod praecipue hic quoque spectatur, id est, ne qua inaequalitas offendat. Qui vulgo huc trahuntur Horatii loci (A. P. 294): *decies non castigavit ad unguem*, et (Sat. I, 5, 32): *ad unguem factus homo* (cf. Ennod. epp. V, 8 *ad unguem ductus sermo*), cum in iis non tam de accurata iunctura, sed de summa perfectione agatur, potest Winckelmanni explicatio (Opp. t. V p. 93 sqq. cl. p. 386 sqq.) potius amplectenda videri. Scilicet ut nunc, ita apud antiquos, artifices, si quid e cera (Iuv. VII,

237 sq.) vel argilla sive maioris operis protypon sive sigillum fingebant, primum instrumentis quibusdam (*Modellirstäbe*) utebantur, verum cum iam paene perfectum esset opus, digitis subtilissima quaeque elaboranda erant. Eo certe pertinet quod dixit Polycletus (apud Plut. Symp. Qu. II p. 636 B. C. de prof. virt. p. 86 A.), *χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γένηται.* Inde facile potest perspici, quomodo ea, quibus summa perfectio tribuenda videbatur, ad unguem *fieri,* vel quod verbis magis ad artificium spectat *duci* (cf. V, 40. Iuv. l. l.) dicantur. Quamquam saepe dubius haereas, utro talia referenda sint, praesertim cum ne ipsos quidem scriptores hoc semper in numerato habuisse videantur. Alia exempla, Graeca potissimum, v. apud Schneider. lex. gr. Wyttenb. ad Plut. de prof. virt. p. 86 A. Intpp. Phryn. p. 289 sq. Ut ad nostrum locum revertar, sententiam per se perspicuam haud ita clare elocutus est poeta. Ipsa enim *iunctura* (cf. Senec. l. l.) dicitur *ungues severos* i. e. accurate examinantes *per leve effundere* h. e. iunctura tam apta est, ut ungues, dum examinant, labantur super planam ac levem superficiem. V. *effundere* explicatur loco Senecae (ep. C, 1 p. 96 Schw.), ubi dicit de compositione Fabiani Papirii: Puta esse, quod dicis et *effundi* verba, non fingi, primum habet ista res suam gratiam et est decor proprius orationis leniter lapsae. Illud *per leve* autem sumtum videtur ex loco Horatii (Sat. II, 7, 86 sq.): Teres atque rotundus externi ne quid valeat *per leve* morari. — Alterum ab arte fabrorum sumtum est; ut hi enim apposita regula, quae curva cognoverunt, extendunt (V, 38) et recta faciunt, ita poeta versus rectos facere callet. Utuntur autem fabri funiculo rubro colore oblito, *rubrica,* quae *σπάρτη* apud Hesych. s. v., *φοίνιξ κανών* apud Euripidem (Herc. fur. 945) vocatur, et inter fabrorum instrumenta recensetur, v. Anthol. Pal. VI, 103, 5 sq.; 205, 3. Salmas. Exercc. Plin. p. 1156. Quod observare licet, fabros, ut quam accuratissime cernant, uno tantum oculo uti, alterum claudere, id pro more suo Persius, talium rerum diligens observator, addit, ut plenam claramque ex ipsa vita petitam imaginem exhibeat. Similiter Lucian. Icaromenipp. 14: *Ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἑωρακέναι μοι δοκῶ θατέρῳ τῷ ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα.* Greg. Naz. enc. virgin. 554 sqq.: *Ἤδη καί τιν᾽ ὄπωπα λιθοξόον ἠέ τιν᾽ ἔργων ἴδριν δουρατέων, πιννοτὺς καὶ φράδμονας ἄνδρας ἰθεῖην στάθμησιν ἐπὴν διατεκμήρωνται, ὡς φαέων ἕτερον μὲν ὑπὸ βλεφάροισιν ἔδησαν,*

τῷ δ' ἑτέρῳ πέμψαντες ὅλον φάος εἰς ἓν ἀγερθὲν ἀτρεκίης ἐτύχησαν. *Sive* pro *vel si* poni a compluribus observatum est. Id tunc maxime fit, ubi *sive — sive* coniunguntur, cf. Lachm. ad Propert. II, 1, 51. Tum solum *sive* hac significatione ita ponitur, ut praecedat id, cui alterum aliquid per part. *vel* addita conditione adiungitur, ut apud Terent. Eunuch. I, 2, 19: *Dehinc postulo, sive aequum est, oro.* Simile est apud Tibull. II, 4, 43. *Seu veniet tibi mors,* ubi praecesserat: *At tibi diripiant ventus et ignis opes,* quod quamquam aliter expressum, nihil est tamen nisi *si diripiant, quod opto.* Denique huc referendum, quod quamvis brevius dixit Iuvenalis (II, 118): *Cornicini, sive hic recto cantaverat aere,* ubi si plene dicendum erat, addi debebat *tubicini,* quod facile intelligitur. Aliter se habet noster locus, ubi illud *sive* omnino non habet, quo referatur, nec id, quod additur, simili ratione cum iis, quae praecedunt, coniungitur, ut in exemplis modo memoratis vidimus. Comparari autem potest Tibulli locus (I, 6, 21 sq.): *Exibit quam saepe time, seu visere dicet sacra bonae manibus non adeunde Deae;* nec dissimilis est Propertii locus (III, 21, 9 sq. [II, 26, 29 sq.]): *Seu mare per longum mea cogitet ire puella, hanc sequar,* ubi praecedit generalis sententia, multum in amore fidem prodesse. His igitur locis una quaedam res prae ceteris videtur efferenda, id quod particula *vel* fieri notum est, quare *sive* ita adhibitum videtur, ut *vel,* quod ei inest, eam significationem habeat, qua pro *etiam, adeo* ponitur. Ita sensus hisce locis constabit; apud Propertium: si vel per mare longum eat, sequar puellam; apud Tibullum: quocunque ibit, timeas, etiam si sacra bona Deae visura est; apud nostrum: vel in tali argumento res grandes dabit nostro poetae Musa. *Opus in mores* etc. quamquam non necessario de laudatione cum Prisciano (XVIII, 23 p. 1173) intelligendum est, tamen praepositio *in* h. l. non *adversus* significat, sed argumentum carminis indicat, cf. Hand. Tursell. II p. 311. Talia enim argumenta calvum decebant nugantem. Ceterum vide ut in vv. *mores, luxus, prandia* magis magisque descendat ab eo quod universale est ad singularia. *Reges* ex corrupto eius temporis usu a clientibus vocabantur nobiles divites, v. II, 37. Cf. quae collegit Seebode, Schol. z. Hor. p. 8 sq. *Res grandes,* ut v. 14 *grande aliquid,* ubi v. ann. *Nostro poetae,* quem amamus, nam *noster,* ut ait Donatus (ad Ter. Hec. V, 2, 4) blandientis est.

v. 69—75. Eos, qui nihil nisi parva et levia carmina ad Graecorum exempla facere solebant, nunc non sine admiratione

ad epica carmina se accingere videmus, eaque Romani argumenti, cum tamen nihil eorum unquam tractaverint, quae eo pertinent. Nam ita accipiendum esse h. l. docent ea, quae Persius affert, quae omnia ad Romanum argumentum pertinent, et opponuntur vv. *Graece nugari;* scilicet dum Graecis nugis deditus est, Romanas res non curavit. Res Romanas autem epico carmine celebrare voluit ipse Nero, teste Dione Cassio (LXII, 29): *Παρεσκευάζετο δὲ ὡς καὶ τὰς τῶν Ῥωμαίων πράξεις ἁπάσας συγγράψων ἐν ἔπεσι.* Quod carmen quam magnificum compositurus fuerit, vel inde apparet, quod, cum de numero librorum peritos viros in consilium adhiberet, fuerunt, qui quadringentorum librorum numerum ut aptissimum suaderent. Ne incepit quidem tale opus, ut credere par est, Nero; sed tale consilium imperatoris suos tunc habuisse imitatores veri perquam simile est, eoque respicere videtur Persius. Ea vero, quae iam affert, exempla sunt earum rerum, quarum in descriptionibus luxuriare solebant poetae epici, quarum igitur prae ceteris cognitionem habere debebat, qui tale carmen aggrediebatur. *Ecce* de re nova et inopinata, cui adiungitur *modo* ea significatione, qua ad praesens tempus refertur (*so eben*), v. Hand. Tursell. III p. 642. *Heroas* adiective positum, ut Prop. II, 1, 18 *heroas manus*. *Nugari* v. 56. *Artifex ponere* v. prol. 11. *Ponere* autem verbum est de artificibus, ut apud Hor. A. P. 34 *totum ponere;* carm. IV, 8, 8. Virg. Ecl. III, 46. Ovid. A. A. III, 401, nobis *darstellen*, quia artifex quod in animo eius natum est, tanquam verum aliquid aliis quoque conspiciendum ponit. Similis significationis est apud Iuven. (I, 155) *pone Tigillinum* i. e. ita eum describe, ut ipsum videre videantur auditores. *Lucum* describere in deliciis erat poetis, ut notum ex Horatio (A. P. 16) et Iuven. (I, 7 sq.). Ego hic intellexerim lucum, in quo Mars Rheam Silviam compressit, qui iis convenit, quae iam afferuntur. Eum autem cum leviter commemorassent Ennius (apud Cic. de div. I, 20, 40) et Ovidius (Fast. III, 17), a poetis serioris temporis magnifice exornatum esse consentaneum est, praesertim si consideres, etiam artem hoc argumentum tunc tractasse (cf. R. Rochett. Mon. Inéd. p. 31 sqq. Müller. arch. § 373, 3). *Rus saturum*, ut Horatio (epp. I, 10, 14) et Martiali (III, 47, 6) *beatum*, nobis *gesegnet*, et, quae ad rus pertinent, *Palilia*, sacra Deae Palis, eo die, quo Roma condita esse dicebatur. In eo festo praeter ceteras cerimonias foeni atque stipularum acervos incendebant ruricolae, et super eos saliebant, unde *fumosa foeno*

dicit. V. Hartung. Rel. d. Röm. II p. 148 sqq. Klausen. Aeneas II p. 879 sqq. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CLXXX sq. CCVIII sq. cl. Grimm. Deutsche Mythol. p. 355 sq. *Remum* saepius ita commemorant poetae, v. Prop. II, 1, 23. V [IV], 1, 9. Iuv. X, 73. Mart. XII, 3, 6. De *L. Quintio Cincinnato,* quem legati arantem inveniebant, cum nuntium afferrent, eum dictatorem creatum esse, historia nota est. Liv. III, 26. Cic. Cat. mai. 16, 56. *Dentale* secundum Servium (ad Virg. Georg. I, 172) lignum est, in quod vomer introducitur, itaque revera dum sulcum facit aratrum dentalia teruntur, cf. Voss. ad Virg. l. l. et excursum in Wagneri editione Virgilii Heyniani t. I p. 387. Uxor *trepida* i. e. festina, Serv. ad Virg. Aen. III, 666, quae, ut Livius dicit, togam propere e tugurio proferre iussa est.

v. 76—82. Ineptum studium antiquos auctores ita imitandi, ut obsoleta atque situ squalida verba inde sumant, vituperat in scriptoribus sui temporis etiam Seneca (ep. CXIV, 13. p. 165 Schw.): „Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et Coruncanium redeunt.“ Et hoc vitium magis magisque crevisse docent Quintilianus (I. O. VIII prooem. 12) et Tacitus (de oratt. e. g. c. 23). Cf. Sidon. Apoll. epp. VIII, 16. Quos autem hic coniungit clara in tragoedia Romana nomina poeta, *Attium* et *Pacuvium*, in quorum carminibus obtrectandis clarum se iam Lucilius fecerat, eosdem in simili causa coniungunt Tacitus (de oratt. 20. 21) et Martialis (XI, 90, 6). Quod cum laudibus, quas in hosce poetas cumulari videmus, non pugnat, cum vituperetur stulta tantum imitatio, quae ea inde sumit, quae non sunt sequenda. *Attio* autem cognomen dat *Brisaei*, quod proprie Bacchi est (v. adn. crit. et ad schol.), ut similiter Aristophanes Cratinum *ταυροφάγον* dixit, quod et ipsum Bacchi cognomen est (Ran. 357 cf. Meineke, hist. crit. p. 52). Quod quam egregie conveniat cum iis, quae de Attio praedicantur, quem altum (Hor. epp. II, 1, 55), animosum (Ovid. Am. I, 5, 19) vocant, cui vires tribuunt (Quint. X, 1, 97), demonstrat Welckerus (Griech. Trag. p. 1394). *Liber* voc. etiam de fabula usurpari, docent Quintil. I, 10, 18: „*Aristophanes* quoque non uno *libro* demonstrat.“ Propert. IV [III], 21, 28 „*Librorumque* tuos docte *Menandre* sales,“ cf. Front. epp. ad M. Caes. II, 13 p. 58 ed. Rom., ubi M. Caesar narrat se ex sexaginta *libris* excerpta fecisse, in quibus *Novianae* et *Atellaniolae*. Omnino *liber* dicitur de toto quodam opere, etiamsi plus uno libro complectatur,

ut de Homeri carminibus *Homeri liber*, cf. Duker. de latin. lett. p. 100 sqq. Hunc librum *venosum* vocat Persius. Scilicet, ut ait Tacitus (de oratt. 21), oratio sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, quam legem plastae quoque sequebantur (cf. Feuerbach, Vatic. Apoll. p. 130 sqq.). Quamquam enim sanguinem habere volebant orationem (Cic. Brut. 9, 36. 17, 68. orat. 23, 76), tamen reprehendebant, si quis venas turgescentes faceret. Videmus igitur sermonem poetae spiritum nimia cum vi exprimentem, unde optime intelligitur, quomodo Fronto (p. 171 ed. Rom.) Attium *inaequalem* vocet. *Pacuvii* fabula *Antiopa*, quae Euripideam expressit (Welcker. Griech. Trag. p. 811 sqq.) prae ceteris laudabatur (Cic. de finn. I, 2, 4); eodem modo eam *verrucosam* appellat, quo Atti libri *venosum*, ad orationem spectans. Quodsi pulcritudini obstat, si venae nimis appareant, longe turpiores sane sunt verrucae, praesertim cum non, ut illae, ad ingenium quamquam nimis vehemens exprimendum valeant, sed corporis tantum vitium sint. Solet autem ex generali iudicio post Attium censeri Pacuvius. Facile igitur videmus, significare poetam asperam et horridam orationem, cuius veternum, ut ait Tacitus (dial. 20) magnopere amabant. Eius exemplum addit *aerumnis cor luctificabile fulta*, in quibus praeter insolentem dictionem *aerumnis fulciri*, eminet v. *luctificabile*, qualia grandisona amabat vetus Romanorum tragoedia, vix ferebant cultiores postea aures (cf. Cic. Acad. I, 11, 41. Sen. epp. CXIV p. 164). Illud autem similiter etiam dixit Plautus (Pseudol. III, 1, 5 sq.): Ego omnibus parvis magnisque *miseriis praefulcior*, et est sane poetice dictum de eo, qui nihil habet, unde sustentet animum suum, nisi ipsas suas aerumnas. *Morari* autem est delectando morari, ut apud Horat. epp. I, 13, 17. A. P. 321. Similiter, ut hic Persius, ad parentes, qui pueros prave instituant, culpam defert Petronius (c. 4). *Lippus* ad animi vitia translatum ut II, 72. *Infundere* insanam cupiditatem talia docendi exprimit cf. Arnob. I p. 49 Elm.: Aegris sonos *auribus* dulciores *infundere*. *Sartago*, patella in qua varia coquuntur, a stridore ita vocata, ut vult Isidorus XX, 8; cf. Plin. XVI, 11, 22. Si ad stridorem referas, adiuvabit locus Eubuli comici (apud Athen. VII p. 229 A. cf. Meinek. fragm. comm. III p. 259): *Λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι*. Quod si quis ad h. v. explicandum trahere velit Schol. Iuv. X, 64: „*Sartago*, conchae breves aut vasa turpia," is consideret, hanc

explicationem spectare ad v. *pelves*, cf. Schol. Iuv. III, 277: „*Pelves*, conchae, in quibus pedes lavant aut vasa fictilia, *ποδόνιπτρα*," ubi v. Heinr. et Schopen. Videtur Persius potius ad varia et diversa respexisse, quae in tali sartagine coquebantur. *Dedecus* cf. Hieron. in Iov. I t. IV, 2 p. 145 Ben.: Rogo, quae sunt haec portenta verborum, quod *dedecus descriptionis*. *Trossulus* nomen antiquum equitum Romanorum fuit, ab antiquis iam varie explicatum (cf. Salmas. ad Ael. Lampr. Comm. 2 t. I p. 476 sq. Klausen. Aen. II p. 822 sq.), quod obsoletum factum erat, ita ut multos eius puderet. Unde postea ea significatione in usum venit, qua iuvenem delicatum e procerum numero notaret. Ita apud Varronem in Sesquiulixe (ap. Non. s. v. *trossuli*): Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum. Seneca (epp. LXXXVII, 8, p. 343 Schw.): O quam cuperem illi (Catoni) nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus; cf. ep. LXXVI, 1, p. 266: Quid ergo? idem faciam, quod trossuli et iuvenes? (Conferri potest nostrum *Junker*.) Hinc trossulum dicit *levem* i. e. vel imberbem (Hor. carm. IV, 6, 28. Iuv. III, 111. Ruhnk. ep. crit. I p. 66), vel levigatum (Iuv. IX, 95, cf. ad IV, 33 sqq.). *Exsultat*, de nimia in laudando et acclamando licentia, quam in pueris cohibendam dicit Quintilianus (II, 2, 9), qui de suo tempore: At nunc, ait, proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum *indecora exsultatione* conclamant (II, 2, 12), quae Plutarch. (de aud. 5) *τὰς κραυγὰς καὶ τοὺς θορύβους καὶ τὰ πηδήματα τῶν παρόντων* vocat. *Subsellia* ob id quod sequitur exemplum rectius fortasse de iudicio, quam de auditorio intelliguntur.

v. 83—91. Ne vero quidem periculo vel dolore reprimi potest inane illud studium artificiis et fuco orationis plausum turbae merendi. Quod duobus exemplis illustratur. De eadem re etiam Quintilianus queritur, in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupisse voluptatem (IV, 2, 122), et iam esse repertum causas agere non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem (IV, 3, 2). *Caput canum* usitatum apud poetas, cf. Huschk. ad Tib. I, 1, 72. *Capiti cano* ablativus esse videtur, ut apud Catullum (LXVIII, 123): Suscitat *a cano* volturium *capiti*, et apud Tibull. l. l. a codd. *capiti* firmatur, non *capite*. Quamquam si dativum accipias, possit id fortasse defendi structura simili v. *defendere*, ut apud Virgilium (Ecl. VII, 47): *Solstitium pecori defendite*, et Horatium (carm. I, 17, 3): *Igneam defendet aestatem capellis*. Eodem modo nos

quoque dativo utimur, quem, si velis, commodi voces. Neque enim cum Haasio (ad Reisig. gr. lat. § 379 p. 681) *pericula capiti* iungam. Auget gravitatem rei, quod senex est, qui dum periculum defendere studet, tamen id potissimum agit, ut artificiose loquatur et audientium laudem assequatur, quale est illud *decenter,* quod solent acclamare (v. ad v. 49). *Tepidum* autem id vocat, quia non animi vere commoti est, ut exspectes in tali casu, sed affectatae admirationis ostentationisque signum; vere autem Quintilianus (VIII, 3, 13): Ubi res agitur, inquit, et vera dimicatio est, ultimus sit famae locus; cf. XI, 1, 50. Exemplum sumit a *Pedio*, qui gravissimi criminis reus, non tam hoc diluere conatur, quam artem ostentare, et in ea re laudatur. *Pedius* ab Horatio (Sat. I, 10, 28) inter celebres causarum patronos nominatur, potestque Persius ab eo hoc nomen sumsisse eo facilius censeri, quia ibi quoque de furto sermo est. Verum a Nerone *Pedius Blaesius,* quem Cyrenenses repetundarum accusarunt, damnatus et senatu motus est (Tac. Ann. XIV, 18; cf. Hist. I, 77, ubi idem ab Othone restitutus esse narratur). Hoc factum est a. 813, duobus annis ante Persii mortem, et nisi sumas, ante hoc tempus scriptam iam esse hanc satiram, qua de re nihil constet, non potuit non eo respicere Persius. Neque id a re abhorret. Nam si vere furti damnatus erat Pedius, tanto magis indignari par erat, quod in eo viro inanis illa et fucata oratio ad ostentationem ornata laudari potuit. *Ait* cf. ad v. 40. *Antithetis* (nota figura rhetorica, v. Quint. IX, 3, 81 sqq.) *rasis* i. e. summa arte expolitis (cf. *lima rasus liber* ap. Ovid. ex Ponto II, 4, 17), *librat* crimina, quia ut in utraque librae lance pondera et res quae ponderatur sibi contraponuntur, ut aequentur, ita hac figura contraria sibi opponuntur. Atque hoc laudatur, ut *bellum* (v. 49), quod quid sit optime intelligitur ex Martial. I, 9, 11, 7. Summa igitur indignatione addit: *Hoc bellum? an Romule ceves?* i. e. Hoc iudicium tam perversum est, quam si Romulus ceveat. *Cevere* verbum est de pathicis, qui in libidinis actu clunes agitant (cf. Iuv. II, 21. IX, 40. Martial. III, 95, 13), cui respondet, quod de mulieribus usurpatur, *crissare* (v. Heinr. ad Iuv. VI, 322). *Romulus* autem acerbe vocatur is, qui Romuli Remique opprobrium est (Catull. XXVIII, 15), unde Lepidus de Sulla ait apud Sallustium (histt. frgmm. I, 3) *scaevus Romulus*, et, quod Persio ante oculos versatum esse puto, Catullus (XXIX, 5; 10) *cinaede Romule.* Sensus ergo est, in eo iudicio, quo in tali viro ars effeminate dicendi laudetur, tantam perversitatem et

corruptam mollitiem apparere, quam si quis, qui Romuli nomen prae se ferat, infami cinaedorum vitio inquinetur. Neque enim is animum auditoris vere commovet, qui artem adhibet quamvis delicatam, sed qui id, quod vere sentit, simplici veritate eloquitur. Quod alio exemplo comprobatur. Naufragi enim, qui omnia sua perdiderant, ut misericordiam hominum commoverent, mendicantes tabulam secum ferebant, in qua tempestas depicta erat; cf. VI, 32 sq. Hor. A. P. 20 sq. Phaedr. IV, 21, 24 sq. Iuv. XIV, 301. Cum ex Martial. XII, 57, 12: *Nec (cessat) fasciato naufragus loquax trunco* appareat, interdum naufragos navis fragmina obvoluta fasciis (quod erat supplicantium signum) secum tulisse, fortasse *fracta in trabe pictum* ita explicandum est, ut hic homo in navis demersae trunco pictum se exhibuerit. Talis igitur, si *cantat*, dum assem poscit, non me movebit ut porrigam. *Men' moveat* cf. Hor. Sat. I, 10, 78 ib. Bentl. *Quippe* ironicum, cf. Plaut. Epid. V, 1, 12. Virg. Aen. I, 39. Cic. p. Mil. 12, 23. *Ex humero portare*, ut Virg. Aen. VI, 301: Ex humeris dependet amictus, cf. Hand. Turs. II p. 619 sq. *Cantare* similiter positum est etiam apud Iuven. IV, 34 sq.: Non est cantandum, res vera agitur; cf. X, 178; quod non ita intelligendum est, quasi is, qui cantat, mentiatur. Verum qui cantat, non simpliciter verum eloquitur, quia verum est, sed artificiose ornatum profert, atque in hoc ornatu summum ponit. Idque ipsum vituperat Persius et addit: *Verum nec nocte paratum plorabit, qui me volet incurvasse querela.* Qui efficere vult, ut infortunii sui alios miserat, is sensum suum vere demonstrabit, neque vero artem suam ostentabit. Cf. Quint. VI, 3, 26. Hor. A. P. 101 sq. *Verum plorare* nota structura, etiam Persio usitata, cf. I, 132. III, 44; 110. IV, 34 sq. V, 25; 190. *Nocte paratum*, quia nocturnis potissimum lucubrationibus curam et studium operibus suis adhibebant artifices, unde *vigilata proelia* (Iuv. VII, 27) et similia; cf. Weichert poett. latt. rell. p. 195. *Incurvasse*, v. ad v. 42. *Incurvari* de mente graviter commota habet etiam Seneca (ep. LXXI p. 240 Schw.): Succidere mentem et *incurvari* et succumbere.

v. 92—106. *Numeros* et *iuncturam* iam supra laudavit is, quocum se colloquentem facit Persius (v. 64 sq.). *Iunctura*, ut ait Quintilianus (IX, 4, 32 sqq.) est in verbis, incisis, membris, periodis, et ubi accessit, *numeris* adhuc *crudis* addit *decorem* (ut Quintil. IX, 4, 145 compositionis decorem dicit). *Numeri* Graecorum v. ῥυθμός respondent (Cic. orat. 51, 170. Quint. IX, 4, 45), quos *crudos* vocat, quia nondum artificiosa com-

positione et iunctura singulae orationis partes emollitae atque confectae sunt. Similiter Quintilianus (X,1,19) *crudam lectionem* et Petronius (c. 4) *cruda studia* dixit. Talis iuncturae exempla addit. *Claudere versum* non de solo versus exitu intelligendum, sed de artificio versum pangendi, ut apud Horatium (sat. I, 4, 40) *concludere versum*, apud Ciceronem (orat. 5, 20; 51, 171) *concludere orationem*. De *Attide* cf. L. Pignorius, Magnae Deae Matris Idaeae et Attidis initia. Amst. 1669. Zoega, Bassir. t. I p. 45 sqq. 81 sqq. Creuz. Symb. II p. 38 sqq. Klausen. Aen. I p. 23 sqq. Is vocatur *Berecyntius*, ut Dea ipsa, cui addictus est, a Berecynto Phrygiae vel urbe vel monte (v. H. Steph. thes. ed. Par. s. v. *Βερεκύνται*). Plinius (H. N. V, 29, 29) tractum Berecyntium prope Eumeneiam ponit, ubi inscriptio reperta est, ad hunc cultum referenda (v. Klausen. l. l. p. 24 n. 85). *Nerea* pro mari posuit etiam Tib. IV, 1, 58: Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos. Val. Flacc. I, 450: Remo Nerea versat. *Apennino* cf. Quint. IX, 4, 65: „Est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod *etiam in carminibus est permolle* nec solum, ubi quinae syllabae nectuntur, ut in his: *Fortissima Tyndaridarum*, sed etiam ubi quaternae, cum versus clauditur *Apennino* et *armamentis* et *Oreione*.“ Et usi sunt hoc verbo in fine hexametri poetae Romani haud ita raro, cf. Horat. epod. XVI, 29. Ovid. Met. II, 226. Lucan. II, 396. *Costam Apennino subducere* insolenter dictum est pro eo, quod est praetervehi Apenninum, et quod e Seneca (epp. LIII p. 157 Schw.) attulit Passow.: „Putavi tam pauca millia a Parthenope tua usque Puteolos *subripi* posse, quamvis dubio et impendente coelo,“ non valet ad defendendum. Nam quod ibi pro usitatiori *viam rapere* dicitur *subripi*, id iis explicatur, quae adiiciuntur *impendente coelo*. *Costam montis* videtur dixisse ad exemplum similium quorundam, longe tamen distantium, qualia sunt *frons, vertex, fauces* montium cett. Haec igitur exempla attulit adversarius, in quibus artificiosa iunctura numeris decorem addidit, qua in re summum ille posuit; cui indignabandus respondet Persius. *Arma virum!* Solebant librum notum et celebrem iis verbis significare, a quibus initium cepit. Ita Homeri Hesiodique carminum initia laudant (v. Aristot. soph. el. II, 4. Brunck. Anall. II p. 194. 310. 312), ita Cicero dialogum suum de senectute affert: *O Tite si quid* (epp. ad Att. XVI, 3, 1; 11, 3), ita Ovidius Lucretii carmen (Trist. II, 261), ita alii alia cf. Ions. Scriptt. hist. philos. II, 5. Praesertim autem Romani

Virgilii Aeneidem hoc modo significare amabant, v. Ovid. Trist. II, 533. Martial. VIII, 56, 19, XIV, 185, 2. Auson. epigr. 137, 1. Hisce verbis, ex ingeniosa Meisteri explicatione, Persius utitur pro exclamatione, optimi poetae in his ineptiis cum indignatione memor. Huic interpretationi convenit egregie locus e Florentini Institutionum l. VIII excerptus in Digg. XLV, 1, 65, quem nostro adhibuit Schindler (Meditt. et obss. c. 5 p. 46 sqq.). Is ita se habet: „Quae extrinsecus et nihil ad praesentem actum pertinentia adieceris stipulatione, pro supervacaneis habebuntur, nec vitiabunt obligationem; veluti si dicas: *Arma virumque cano, spondeo*, nihilo minus valet.“ Ubi ea explicatio vera videtur, ex qua vir ille verbis Virgilianis tamquam asseverandi vel affirmandi formula uti putatur, quae quamvis nullam vim habeat eaque in re inepta sit, tamen non nocet. Similiter igitur, sed apte, exclamat hic Persius. Quantopere autem haec verba in ore versaverint homines, potest etiam Senecae iocus probare (epp. CXIII, 20, p. 160 Schw.). *Nonne hoc* sc. quod tu modo attulisti, *spumosum* i. e. tumidum, nec ullius ponderis, ut spuma in superficie apparet, levis et celeriter evanescens. Quae sequitur imago desumta est a *subere*, quam optime explanavit Meister. Haec arbor enim duplicem habet corticem, interiorem, et exteriorem alterum, qui *suber* dicitur. Hic interdum detrahendus est, ut sana maneat arbor (v. Theophr. hist. plant. IV, 18. III, 16); crascescens enim suber praestringit arborem, et qui nimis crasso tecti sunt rami, primi enecantur (Plin. H. N. XVII, 24, 37, 234). Quod primum breviter dicit *cortice pingui*, id seq. vs. accuratius explicat. *Pinguis* enim hic, ut solet, de vitio usurpatur, cum nimio adipe vires absorbentur, et moles tantum inutiliter augetur, v. vs. 57. III, 33. Doederlein. Synon. III p. 222 sq. *Ramale* est ramus senectute aridus et iamiam enecatus v. V, 59. Ovid. Met. VIII, 644. Tac. Ann. XIII, 58. Id vero nimio subere *coctum* i. e. aridum factum est, nam sicut coquere idem est, quod calore maturare, ita intelligitur etiam de nimio calore, qui exsiccat et vires hebetat, unde Servius (ad Virg. Aen. XI, 553) dixit, multi temporis aliquid coctum vocari. *Vegrande* est male grande, ut explicant Festus et Nonius s. v. Nam *ve* particula, ut docet Gellius (V, 12. XVI, 5, unde sumsit Macrob. VI, 8), et augendae rei et minuendae rei inservit, propter quod accidit, ut quaedam vocabula, quibus particula ista praeponitur, ambigua sint, veluti *vescum*, *vehemens* et *vegrande*. Scilicet significat, id vocabulum, cui praepositum est, in malam partem

verti, quod cum vel augendo vel minuendo fiat, facile intelligitur, quomodo id in utramque partem dici possit. Cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 2, 129. Hoc igitur ait Persius: Sicut in ramo viva vis nimio quod increvit subere repressa exarescit et exstinguitur, ita nimio illo studio orationem ornandi numerosque expoliendi ipsa vis poetica deletur, nihil restat nisi corpus, quod nimio ornatu oppressum, animaque et animo caret. Quod non intelligens adversarius, cui ille ornatus summum in poesi est, aliud exemplum sibi afferendum putat, quod clarius etiam demonstret, quae unice egregia habeat. *Igitur* egregie convenit interrogationi, quae cum admiratione fit, v. Hand. Turs. III p. 190 sq., quod iam v. *quidnam* indicatur. Tenerum, ut apud Quintilianum (IX, 4, 31): „Adeo refugit *teneram* delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quod eos inhiberet, obiiceret.“ *Laxa cervix* effeminatorum erat. v. Meinek. frgmm. com. gr. IV p. 612, et hoc vetat Quintilianus (I, 11, 9), ne dicenti cervix utrolibet inclinata sit. *Torvus* ab adspectu transfertur ad sonum, cf. Virg. VII, 399 *Torvum repente clamat* (de Amata Bacchae more furente). Apul. Flor. p. 357 Elm.: *Vox hominis tubae rudore torvior. Cornuum,* ut in omnibus sacris orgiasticis, ita in Bacchicis frequens usus; eorum autem ut tubarum gravis et raucus sonus *bombus* dicitur, Lucret. IV, 544: Et revocat (tuba) raucum retro cita barbara *bombum.* Apul. Met. X p. 254 Elm.: Permiscens *bombis gravibus* tinitus acutos in modum tubae. *Mimallones* autem, quas in comitatu Bacchi memorat etiam Strabo (X p. 468), talia prae ceteris decebant, cum bellico furore potissimum gauderent, cf. Polyaen. Strat. IV, 1. Creuzer, Symb. III p. 193 sqq. Ceterum conferendus est Catulli versus (LXIV, 264): *Multis raucisonos efflabant cornua bombos.* De *Bassaridibus,* earumque habitu v. Schoen. de personarum in Eurip. Bacch. habitu scen. p. 147 sqq. *Vitulum superbum*, cui caput ablatura est Bassaris, vulgo intelligunt de Pentheo a matre lacerato; quae furore correpta animal se discerpere credidit. Quod quamquam non uno modo a scriptoribus narratur (cf. diss. meam: Pentheus und die Mainaden p. 14), nemo tamen, quod sciam, de vitulo memoravit. Neque omnino aptum videtur, hic, ubi describitur pompa Dionysiaca cum orgiastico tumultu, narrari illud Agaves facinus, quod semel tantum perpetratum est, quasi cum ceteris in hisce sacris fieri soleat, neque ita tractatum, ut clare cognosci queat. Immo h. vs. nihil aliud significatur, nisi quod in hisce orgiis solemne esse putabatur,

Bacchus furore concitatas feras corripere et vivas laniare. Cf. Eurip. Bacch. 735 sqq. *Αἱ δὲ (Βακχαὶ) νεμομέναις χλοὴν μόσχοις ἐπῆλθον χειρὸς ἀσιδήρου μέτα· καὶ τὴν μὲν ἂν προσεῖδες εὔθηλον πόριν μυκωμένην ἔχουσαν ἐν χεροῖν δίκη· ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασιν· εἶδες δ' ἂν ἢ πλεύρ', ἢ δίχηλον ἔμβασιν ῥιπτόμεν' ἄνω τε καὶ κάτω· κρεμαστὰ δὲ ἔσταζ' ὑπ' ἐλάταις ἀναπεφυρμέν' αἵματι· ταῦροι δ' ὑβρισταὶ κεῖς κέρας θυμούμενοι τὸ πρόσθεν ἔσφαλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας μυριάσι χειρῶν ἀγόμενοι νεανίδων.* Idem Catullus (LXIV, 258) breviter: Pars e divulsis iactabant membra iuvenco. Cf. Clem. Alex. protr. p. 4 Sylb. Arnob. V p. 200 Elm. Hunc furorem etiam ars sub imagine *χιμαιροφόνου* repraesentavit (v. diss. l. p. 11). *Vitulus superbus* est *ταῦρος ὑβριστής* apud Eurip. l. l. et Ael. H. An. XVII, 31. Eius caput *raptum*, manibus a corpore divulsum *ablatura est*, ut victoriae insigne. Cf. Anthol. Palat. VI, 74: *Βασσαρὶς Εὐρυνόμη σκοπελοδρόμος, ἥ ποτε ταύρων πολλὰ τανυκραίρων στέρνα χαραξαμένη, ἢ μέγα καγχάζουσα λεοντοφόνοις ἐπὶ νίκαις, παίγνιον ἀθλήτου θηρὸς ἔχουσα κάρη* etc. Altera, quae generali nomine *Maenas* vocatur (quod tamen etiam in picturis vasculorum diversis personis adscriptum videmus, cf. Vasengemaelde p. 29), *lyncem*, animal Baccho sacrum (v. Voss. ad Virg. Georg. III, 264) flectit *corymbis* i. e. hedera corymbifera, quae et ipsa Baccho sacra fuit (v. Voss. ad Virg. Ecl. III, 39. Schoen. l. l. p. 101 sq.). *Euion*, *εὔιον*, Bacchica exclamatio, ut *εὐοῖ*, *εὐά*, unde Deus ipse nomen *Εὔιος* accepit, quem Sophocles (Oed. R. 201) *οἰνῶπα Βάκχον εὔιον Μαινάδων ὁμόστολον*, et ignotus poeta (apud Plut. de EI ap. Delph. 9. cf. Valck. ep. ad Roev. p. 80) *εὔιον ὀρσιγύναικα* vocat. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 104 sqq. *Reparabilis*, hic active positum est, de ea, quae voces reparat; *resonabilis Echo* Ausonio (epigr. XCIX, 1) est. Hisce auditis magis etiam indignatus Persius exclamat: *Haec fierent*, i. e. num talia scriberentur et laudarentur, si quid, ut ait Quintilianus (I, 10, 31), in nobis virilis roboris maneret. Sensum vv. *vena testiculi paterni* honeste expressit Spartianus l. l. in ann. crit.; at Petronius (c. 44): „Si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret.“ Ut in testiculis enim vis generandi inest, ita hoc verbum omnino ad robur significandum transferebant, et in sacris quibusdam *testiculi* vocabantur *vires*, cf. van Dale diss. p. 53 sqq. Orelli ad Inscrr. Latt. n. 1443. Ea ipsa autem vis, quam in sanguine inesse credebant, etiam v. *vena* exprimitur, quod cum etiam de membro virili usurpetur

(VI, 72 cl. Heindf. ad Hor. sat. I, 2, 33), tum vario usu ad diversas res transfertur, ut ipsam vivificam vim significet, e. g. *vena eloquii* apud Symmach. epp. I, 14. *vena stili* ap. Tertull. apolog. 19. *Latinae linguae vena* ap. Macrob. Sat. praef. p. 208 ed. Zeun. V. alia apud Iuret. ad Symm. epp. IX, 65. Neque aliunde repetendus est usus voc. *vena* de metallis (v. II, 66. Iuv. IX, 31. Nic. Heins. Advv. II, 19 p. 364); nam sicut in sanguine quod venis continetur, vera vis ac vita inest, quae corpore sustentatur, ita massa corpus quodammodo est, quo metallum vestitur. Eodem pertinet usus v. *vena* de ingenio poetico, quia scilicet procreandi vis est, quam in poetis maxime admiramur (Hor. A. P. 409. Iuv. VII, 53 ib. intpp.). Bene igitur dixit *viveret. Hoc,* quod tu modo legisti, ut v. 96, *delumbe* est, cf. Sidon. Apollin. epp. VIII, 16: „Si quidem maturo lectori non tantum dictio exossis, tenera, *delumbis,* quantum vetuscula, torosa et quasi mascula placet. Ita Ciceronem *elumbem* et fractum vocavit Brutus (Tac. dial. 18). Qui sunt leves et futiles et importuni locutores, ut Gellius (I, 15) ait, quique nullo rerum pondere innixi *verbis humidis et lapsantibus diffluunt,* eorum orationem bene existimatum est *in ore nasci,* non in pectore (cf. Graecum *ῥήματα ἀπὸ χειλέων, ἀπὸ καρδίας* Plut. Cato mai. 12). Unde Quintilianus (X, 3, 2) inanem loquacitatem et verba in labris nascentia sine conscientia profectus *non a summo* petiti dari monet, et clare dixit Seneca (epp. X, 3): Non *a summis labris* ista venerunt, habent hae voces fundamentum. Idem igitur fortius expressit Persius, *natare in labris summa saliva. In udo est,* plane respondet Graeco *ἐν ὑγρῷ ἐστιν ἡ γλῶττα,* quod de loquace ait Theophrastus (char. 8), et et idem significat iis, quae praecedunt. *Udum* autem de ore et saliva dicitur, v. II, 32. Virg. Georg. III, 380. Iuv. I, 68. Mart. VIII, 44, 5. Vs. 106 Persius ea non perspici posse in hisce carminibus significat, quae, ut Quintilianus ait (X, 3, 21) ubi hoc loco utitur, altiorem animi motum sequuntur, quaeque ipsa animum quodammodo concitant. *Pluteus* quid sit, non sane clare perspicitur. Pluteos circa parietes non esse aedium docet Ulpianus (Digg. XIX, I, 17, 4); inter studiorum instrumenta refert Iuvenalis (II, 7) et *grammaticales pluteos* vocat Sidon. Apoll. epp. II, 9. Cf. etiam Böttiger. Amalth. III p. 349. Becker. Gall. I p. 199. *Ungues mordere* sive arrodere eius est, qui toto animo in rei cuiusdam cura defixus haeret, itaque de eo usurpatur, qui summa intentione de re quadam cogitat, ut h. l., Horat. Sat. I, 10, 70 sq.: Et in versu faciendo saepe

caput scaberet, *vivos et roderet ungues.* Sidon. Apoll. carm. II, 170: *Arroso* quicquid sapit *ungue* Cleanthes; cf. epp. IX, 9. Aut de eo dicitur, qui nimio animi impetu turbatur, praesertim zelotypia (v. V, 162 sq. Mitscherl. ad Hor. epod. V, 47). — De toto hoc loco, inprimis de versibus a Persio allatis, quidnam in iis vituperandum sit, a quonam scripti sint, multa in diversas partes a VV. DD. disputata sunt. Cf. Iacobi a Cruce annott. in Gruteri thes. crit. I p. 667 sqq. Breitinger, in vss. obscurissimos a Persio Sat. I citatos diatribe. Turici 1723. 8. repetita in Mus. Helvet. t. VII p. 376 sqq. Meister, Versuch über Persius Sat. I, 92—106. Frcf. ad Viadr. et Lips. 1802, cuius libelli epitome data est in Beckii commentt. soc. philol. Lips. t. II p. 103 sqq. Ritter, specimen animadvv. in A. Persii Flacci sat. I. Marb. 1833 p. 57 sqq. Leutsch, Zeitschr. f. Alterthsw. 1836 p. 168. Permulti id in his versibus vituperandum censuerunt, quod homoeoteleuta quaedam in iis apparere videantur, hodiernis (*Reime*) fere similes. V. Spanhem. les Césars de l'emper. Julien p. 56. Gebauer, antholog. dissertt. p. 283 sqq. El. Mayer ibid. p. 326. Winckelmann. opp. t. VI p. 249. Thorlacius opp. t. IV p. 43 sqq. Verum in primo exemplo recepta ex fide codd. lectione *Atis* evanescit illud homoeoteleuton, et in altero ita comparatum est, ut vix sit vituperio dignum, cum permulta apud antiquos similia exempla exstent; cf. Schrader. animm. ad Musaeum c. 3. p. 139 sqq. Bothe ad Hor. Sat. II, 8, 1 p. 139. sqq. Obbarius ad Hor. epp. I, 2, 17 p. 34. I. C. Iahn. ad Virg. Aen. IV, 256. Quid in universum in carminibus sui temporis, quorum haec exempla sunt, vituperaverit, satis clare indicat Persius et iam expositum est; de singulis iudicare, cum nobis nihil traditum sit, praeter haec frustula, anceps est ac periculosum, neque ad intelligendum nostrum poetam necessarium. Nam hoc quidem facile apparet, eam versuum pangendorum orationisque struendae artem, eam diffluentem mollitiem et delicatam lasciviam, quam prae ceteris in poetis illo tempore admirabantur Romani, et prae masculo robore verae poesis contemnebat Persius, in hisce fragmentis conspici, quare Vossius (de poett. Latt. p. 43) meliores dicere versus, quam Persius fecisset, non dubitavit. Ex vv. *et in udo est Maenas et Attin* (v. 105) concludi licet, ad duo carmina huius nominis pertinere ea, quae ab eo allata sunt. Consentaneum vero est, haec argumenta ab iis, qui Graece nugari amarent, tractata esse, cum cuiuscunque generis in numeris et oratione lasciviae haec sacri furoris descriptio largam copiam

praeberet. Utrumque videmus a Catullo celebratum, alterum singulari carmine (LXI [LXIII]), alterum episodio longiori inserto LXII [LXIV], 251 sqq.), atque observavimus, unum eorum versuum, quos affert Persius (v. 90), Catulliano simillimum esse. Ipsius quoque poetae tempore haec argumenta tractata fuisse, docet locus Dionis Cassii (LXI, 20), qui de Nerone narrat: *Ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος πολλῶν μὲν στρατιωτῶν πραιτοριανικῶν, παντὸς δὲ τοῦ δήμου, ὅσον αἱ ἔδραι ἐχώρησαν, καθημένου.* Ubi quod coniecit Scaliger (ad Catull. LXIII, 1) *Ἄττινα ἢ Βάκχας*, ne necessarium quidem est, nam *τινά* bene exprimit contemtum, cum quo Dio loquitur. Partic. *ἤ* vero significat utrumque cecinisse Neronem pro lubitu, et ipsa quoque contemtum auget; nam diversum titulum eiusdem carminis *Ἄττις ἢ Βάκχαι* commemorari non esset huius loci, neque talis per se verisimilis esset, cum vix possit intelligi, quomodo haec uno carmine tractari possint. Nam quod serioris temporis quidam scriptores, qui omnia miscere et confundere solent, docent, eundem esse Attin et Bacchum (Clem. Alex. protr. p. 6 Sylb. Macrob. Sat. I, 21, cf. Lobeck. Aglaoph. p. 1045 sqq.), hic vix videtur posse in censum venire. Ceterum quaestio, num Neronem h. l. respexerit Persius, in prolegomenis tractata est. Ad h. l. plenius intelligendum facit etiam Martialis locus (II, 86, 1 sqq.):

Quod nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotaden cinaedum,
Nusquam *Graecula quod recantat Echo,*
Nec dictat mihi *luculentus Attis*
Mollem debilitate galliambon etc.

Hic quoque ut argumenta carminum Graecam imitantiam mollitiem et artem non modo *Attis*, sed etiam *Echo*, quam apud nostrum habemus (v. 102) afferuntur.

v. 107 — 113. *Radere aures*, ut V, 15 *radere mores.* Quintilianus etiam (III, 1, 3) dixit: Quorum ne — traditio — *aures* praesertim tam delicatas *raderet*, verebamur. Cf. Wakef. ad Lucret. IV, 527. *Auriculas teneras*, ut III, 113 *tenero in ore. Mordaci vero*, cf. V, 86 *aurem mordaci lotus aceto.* Duo adiectiva coniuncta ut II, 74 *generosum honestum*; III, 32 sq. *epimum pingue.* Alia exempla v. apud Obbar. ad Hor. epp. I, 2, 21, p. 39. *Vide*, ultima correpta, ut *cave* apud Hor. Sat. II, 3, 38; 177. Epp. I, 13, 19. Ovid. Trist. I, 1, 25. *Sis*, quod est *si vis* (Cic. or. 45, 154) imperativis addebatur, quia contumeliosi sunt (Don. ad Ter. Eun. IV, 7, 29). Eandem

sententiam expressit Horatius (Sat. II, 1, 61 sq.): Metus, et maiorum ne quis amicus frigore te feriat. *Frigus* enim et *frigescere* de studio usurpantur, quod remittitur, inprimis de amore et favore, v. Lips. ad Vell. II, 83. Ruhnk. ad Terent. Eun. II, 2, 37. Frigescunt igitur limina, quas iam adire non licet. *Maiores* autem et *magni* vocabantur a clientibus divites patroni, cf. Hor. epp. I, 17, 2 et quae collegit Seebode (Schol. z. Hor. I p. 8 sqq.). Romani solebant prope limen canem habere catenarium, qui custodiam teneret, interdum pictum tantum cum inscriptione CAVE. CANEM, cuius adspectu terrerentur, quos adire nefas esset. Talem in pavimento opere musivo effictum Pompeiis inventum esse notum est. V. Mus. Borb. II t. 56. cf. Petron. c. 29 ib. intpp. Canes autem irritati sonum produnt litterae *r* similem, quod *hirrire* vocant Romani, ἀραρίζειν Graeci, cf. I. Scalig. Coniectt. p. 126 sq. Valck. animm. ad Ammon. p. 232. Haec littera canina igitur ei a limine sonabat, qui praeter voluntatem accedere voluit. *Equidem*, ut V, 45 *non equidem dubites*, at V, 19 *non equidem studio* cf. Hand. Tursell. II p. 422 sqq. *Protinus*, inde ab hoc tempore in futurum, cf. Voss. ad Virg. Ecl. I, 13. *Alba*, fausta, felicia, cf. Sil. It. XV, 53. Hor. carm. I, 12, 27 ib. intpp. *Nil moror*, formula ex sermone quotidiano petito, qua contemtus significatur, non est tanti, ut morer. Plaut. Most. III, 2, 59. Ter. Eun. I, 2, 104. Attius Myrm. fr. 1 ap. Non s. v. *pervicacia*. *Bene mirae*, cf. IV, 22 *bene discincto*. Cic. ad fam. VII, 22 bene potus. Hand. Tursell. II p. 3 sq. *Hoc iuvat* cf. Hor. Sat. I, 1, 78. Summae impietatis apud antiquos habebatur, si quis ad locum sacrum urinam faceret, v. Plutarchum (de Stoic. rep. 22): ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ πάλιν περὶ φύσεως λέγει (Χρύσιππος), καλῶς μὲν ἀπαγορεύειν τὸν Ἡσίοδον (ἔργ. 757) εἰς ποταμοὺς καὶ κρηνὰς οὐρεῖν· ἔτι δὲ μᾶλλον ἀνεκτέον εἶναι τοῦ πρὸς βωμὸν οὐρεῖν ἢ ἀφίδρυμα θεοῦ. cf. Herald. ad Arnob. p. 47. Inde in inscriptionibus sepulcralibus solent quammaxime deprecari, ne quis tali iniuria tumulum afficiat. Cf. Grut. p. 792, 1. Orell. n. 4781 HOSPES. AD. HVNC. TVMVLUM. NE. MEIAS. OSSA. PRECANTVR. TECTA. HOMINIS. (Quam iniuria spuriam censet Orell. ad Hor. A. P. 471, nam in museo Vatic. vidit et exscripsit Kellermann.). Fabretti IX p. 604, 43 DIS. MANIBVS. NE. QVIS. HIC. VRINA. FACIAT. II p. 110, 270 QVI. HIC. MIXERIT. AVT. CACARIT. HABEAT. DEOS. SUPEROS. ET. INFEROS. IRATOS. Petron. 71. Fea ad Hor. A. P. 471. Cardinali Iscr. Velit. p. 164. Inde summa iniuria fuit, si quis ad effigiem alicuius minxerit, cf. Iuv. I, 131.

Spartian. Carac. 5. Ut autem ab ea quemvis locum defenderent, anguis imago vel appicta vel apposita satisfecit. Hoc modo enim, ut notum est, significabatur *genius*, inprimis *genius loci*, v. Schol. Virg. Aen. V, 95. Klausen. Aen. II p. 1014 sqq. Ita in anaglypho *genius theatri* sub imagine anguis apparet (Mazocchi, in tit. amphit. Cap. p. 158 sqq. Winckelm. opp. I t. 11. Millin G. M. 38, 139), et in pictura quadam (Pitt. Erc. IV, 13. Ant. d'Herc. I, 33) anguis arae circumvolutus est, ea quae arae imposita sunt depascens, cum inscriptione: *Genius huius loci montis.* Ubi autem haec genii imago exstabat, is locus sacer erat et tutus ab iniuria. Quare nihil frequentius est Pompeiis, quam in aedibus et plateis vel unum vel duos angues grandes pictos videre, (cf. e. g. Mon. Ined. d. Inst. III t. 6 Schulz, rapport. Pompei. p. 10. 17. 34), et nescio an inde explicandum sit, quod etiamnunc in Italia hic illic aedium parieti angues appictos cernere licet. Quod autem optime h. l. illustrat, in pariete aliquo conclavium, quibus thermae Titi superstructae sunt, et quae olim partem domus aureae Neronis effecerunt, picti sunt duo angues, cum hac inscriptione

DVODECI DEOS ET DIANAM ET IOVEM
OPTVMVM MAXIMVM HABEAT IRATOS
QVISQVIS HIC MIXERIT AVT CACARIT.

Imaginem cum inscriptione dedit A. de Romanis, le antiche camere Esquiline. Rom. 1822, hanc solam Osannus Syll. p. 494, 45. Hodie utraque vix cerni potest. In ara sepulcrali, quam *A. Herennuleius Hermes* coniugi posuit (apud Fabrett. IV p. 281 sq.), a duobus lateribus bini serpentes insculpti sunt, quorum significationem ex h. l. recte explicavit C. H. in Misc. Obss. Nov. I p. 19. Egregie autem Persius vs. 112 antiquum rigorem legis imitatus est. Primum dictatorium illud *veto* ponit, cui adiungit antiquam futuri formam *faxit* (Hor. sat. II, 3, 38; 6, 5), de qua praeclare egit Madvig., de formarum quarund. verbi Lat. natura et usu disp. I (Havn. 1835). *Oletum* vox antiqua fuit, v. Paull. Diac. s. v. *oletum,* stercus humanum. Veranius: Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum. Cf. lex apud Frontin. de aquaed. 97: *Ne quis aquam oletato dolo malo, ubi publice saliet. Si quis oletarit, sestertiorum X milia multa esto;* ubi ipse addit: *oletato videtur esse olidam facito.*

v. 114—123. Egregie Persius poetarum, quorum exemplum sequendum sibi proposuit, diversum ingenium paucis declaravit. In *Lucilio* enim prae ceteris libertas admiranda, qua

notavit si quis erat dignus describi et famosus (Hor. sat. I, 4, 1 ff.), qua primores populi arripuit populumque tributim (Hor. Sat. II, 1, 62), et urbem multo sale defricuit (Hor. Sat. I, 10, 3). Et ut hic *secat* Lucilius, ita apud Iuvenalem (I, 165) ardens *velut esse stricto* infremuisse dicitur. Eodem verbo utitur de satiricis Arnobius (I p. 53 Elm.): Qui conscriptione voluminum — luxurias ac vitas vestras *secant*. Prae ceteris autem Lucilius agressus est Lupum et Mucium, qui Scipioni, Lucilii amico, inimici erant, cf. Schmidt. ad Lucil. frr. l. IX p. 10 sq. *Lupum*, quem famosis versibus coopertum dicit Horatius (Sat. II, 1, 68), et quater in iis, quae restant fragmentis (I, 4. IV, 6. XXVI, 57. XXIX, 1) memoratum invenimus, cf. Scalig. coni. p. 134, volunt esse L. Corn. Lentulum Lupum a. 598 (156) cos. cum C. Marcio Figulo, cf. intpp. ad Hor. l. l. *Mucius*, cuius etiam Iuvenalis meminit (I, 154), memoratur bis in fragmm. (Inc. 3. VI, 7); est vero P. Mucius Scaevola a. 621 (133) consul. Quod pro simplici *mordere* Horatius dixit (sat. II, 1, 77) *dentem illidere*, id fortius etiam expressit Persius *genuinum frangere; genuinus* enim, σωφρονιστής, inter molares fortissimus dens est, v. Cic. N. D. II, 54, 134. Iuv. V, 69 ib. intpp. Cf. Sidon. Apoll. epp. I, 11: Paeonius exarsit, cui satiricus ille *morsum dentis* iguiti avidius impresserat. I, 1. Si hisce deliramentis *genuinum* molarem invidia non *fixerit*, ubi v. Savar. Longe remotus ab hoc fervore atque impetu *Horatius*, qui ridendo verum dicit (sat. I, 1, 24), tam leniter vitia tangit, ut ipse, quem tangit, amicus rideat, et poetam, qui dum ludere videtur, intima aggreditur, lubens admittat et excipiat, cf. Teuffel, Charakteristik des Horaz p. 43 sqq. *Callidus*, ut *vafer* bono sensu intelligendum est. *Naso suspendere* Horatianum est (Sat. I, 6, 5. II, 8, 64), ridere, quia nasus, ut vidimus, ridendi sedes est (v. ad v. 41). *Excussum nasum* vocat Persius, quod fortius est, quam quod posuit Horatius (sat. I, 4, 8 cl. Phaedr. III, 3, 14) *emunctae naris*. Nam antiqui mucum et malam pituitam nasi, ut ait Catullus (XXI, 17), signa torporis et ignaviae animi habebant, et iis liberari significabat prudentem fieri, cf. Hemsterh. ad Lucian. dial. sel. p. 25 sqq. 120 (quae annot. non exstat in edit. Reitziana). Ruhnk. ad Tim. p. 164 sq. Inde Persius II, 57 *somnia pituita purgata* dicit, clara, veridica. *Mutire*, verbum antiquum, et sermonis, ut videtur, potissimum quotidiani, v. Intpp. Terent. Andr. III, 2, 25. Eadem significatione Lucilius dixit *mu facere* (fr. XI, 12). In iis, quae sequuntur, notissimam fabulam de Mida facetissime in usum

suum vertit; cf. Ovid. Met. XI, 146 sqq. Aristoph. Plut. 287 ib. schol. Petron. frgm. p. 876 Burm. Auson. epist. XXIII, 18 sqq. *Cum scrobe*, quasi cum scrobe colloquatur, dum ei secretum suum credit. *Hic tamen infodiam* h. e. litteris concredam. *Auriculas* iocose de magnis asini auribus, ut v. 59. In vita Persii narratur poetam ab initio scripsisse: *Auriculas asini Mida rex habet*, id vero a Cornuto mutatum esse in: *quis non habet*. Timuisse enim Cornutum, ne id in se dictum putaret Nero. Iam vero hoc apertum est, ita Cornutum mutare voluisse h. vs., ut tamen sententia sibi constaret, et removeretur id, quod in verbis periculosum videri posset. Et revera eadem sententia est, utrumvis legas. Nam cum tota satira in eo argumento versetur, ut demonstret eam rationem, qua plerique tum litteras amabant et tractabant, perversam esse et dignam quae castigetur, apertum est, hanc ipsam sententiam de pravo sui temporis studio illud opertum esse, quod poeta libello tradat. Si igitur dixit: *auriculas asini Mida rex habet*, orationem suam totam composuit ad fabulam illam, qua ludicre usus est, neque *Mida rex* certus aliquis homo est, sed ea, si vis, persona, in quam contulit, quicquid in studiis litterariis improbandum ac vituperandum censeret, omnia denique, quae in hac satira tractavit. Patet igitur sine sententiae detrimento potuisse poetam hoc etiam magis generaliter significare, et dicere: *auriculas asini quis non habet?* ut initio (v. 8) dixerat: *Romae quis non?* Quod non ita accipiendum, quasi tunc iam in mente habuerit, quod nunc addit: *auriculas asini habet*, sed quod tunc indignabundus reticet, id ex iis apparere vult, quae per totam satiram tractat, et nunc hoc modo dicit, quia aptus est ad fabulam, qua utitur. Neque vero illud *quis non* intelligendum est, quasi dicat, omnes insanire, se solum sanum esse, verum interpretandum ex animo indignantis, qui videt, *quantum sit in rebus inane*. Cf. v. 50 *Quid non intus habet?* Iam id mihi consentaneum videtur, Persium ab initio scripsisse quod prorsus conveniret fabulae, Cornutum vero, cum vidisset, quam multa in hac satira dicta essent, quae ad Neronem eiusque studia referri tantum non deberent, improbasse, quod etiam verba posuisset, quae Neronem quasi monstrarent, alterumque reposuisse. Itaque ab hac parte non video quid opponi possit narrationi, quam auctoritate non destitutam esse suo loco demonstratum est. — *Ridere meum* cf. v. 9. In verbis simile est illud Trimalchionis (Petron. 52): „Meum intelligere nulla pecunia vendo.“ *Ilias* est Attii iam supra memorata v. 50.

vs. 123 sqq. Diligenter de h. l. disputavit Ritter, spec. animm. p. 16 sqq. Triumviros hosce comoediae Graece coniunctos nominant etiam Horatius (Sat. I, 4, 1), Velleius (I, 16), Quintilianus (X, 1, 65). *Cratinum* cur *audacem* vocaverit, apparebit si consulueris Platon. de com. p. XXVII: *οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ — ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ κεφαλῇ* (cf. Meinek. hist. crit. p. 534. Paroemiogr. App. I, 64) *τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.* Cf. Christod. ecphr. 357 sqq. *Καὶ τύπος ἁβρὸς ἔλαμπεν ἀριστονόοιο Κρατίνου, ὅς ποτε δημοβόροισι πολισσούχοισιν Ἰώνων θυμοδακεῖς ἐθόωσεν ἀκοντιστῆρας ἰάμβους.* Quamquam nec illud negligendum, quod de Cratino tradit Anonymus de com. p. XXIX: *γέγονε δὲ ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα.* Cf. Meinek. hist. crit. p. 40 sqq. *Afflatus Cratino* dixit, ut Virgil. Aen. VI, 50 de Sibylla, *afflata numine. Iratum* dixit Eupolidem, quia is quoque, ut ait Anon. de com. p. XXIX, *ζηλῶν Κρατῖνον πολύ γε λοίδορον ἐπιφαίνει*, quocum concinit Lucian. bis accus. 33, cf. Meinek. hist. crit. p. 107 sqq. *Praegrandis senex* hic vix alius potest intelligi praeter Aristophanem, quem omittere non potuit. Iam de summa senectute, ad quam progressus sit Aristophanes, nihil quidem constat, verum eam tamen aetatem nactus est (cf. Rank. vita Arist. p. CXC sqq.), ut apte senex potuerit vocari, praesertim cum v. *senex* latius pateat et saepe honoris habeat significationem, ut ad sapientiam et vitae experientiam potissimum respiciatur. Ita Statius (Silv. I, 2, 253) *Callimachum*, de cuius aetate nihil certi constat (cf. Weichert, üb. Apoll. v. Rhod. p. 22), et Horatius (Sat. II, 1, 34) *Lucilium* senem vocat, qui annum quadragesimum quartum non superasse dicitur. Quamquam de hac Eusebii traditione dubitatum est, dubia tamen haec removit Varges in Welckeri Mus. Rhenano t. III p. 34 sqq. Id certe constat, Horatii locum non posse efficere, ut *senex* intelligatur *Lucilius*, nisi accuratius indicetur. H. l. autem non modo non videmus, cur advocaverit Lucilium, quem antea commemoravit apte, verum hic nemo potest apte nominari praeter Aristophanem, is vero non poterat omitti. Cf. Hermann, de sat. Rom. auctore p. 29. *Praegrandis* non ad aetatem, sed ad ingenium referendum, ut e. g. Thucydides Ciceroni (Brut. 83, 287) grandis dicitur. *Pallere* de acri studio, cf. v. 26. Cum acc. iunctum est *pallere* ut V, 184 *sabbata palles.* III, 43 *palleat, quod nesciat uxor*, cf. III, 85, quae paullo aliter dicta sunt, quam

pontum mediasque fraudes palluit (Hor. carm. III, 27, 27) et similia, cf. Huschk. anall. critt. p. 29. *Adspice et haec,* quae ego proferam, *si forte audis,* cf. Hor. epp. I, 17, 4 sq.: „Tamen adspice, si quid et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur;" qui indicativum habet epp. I, 7, 39: „Inspice, si possum donata reponere laetus," ubi v. intpp. De vv. *si forte* v. vs. 45. Hand, Tursell. II p. 735 sqq. *Decoctius* dixit, quia decoquendo multa eaque inutilia absumuntur, ut ea tantum restent, quae roboris et vigoris plena sunt. Ita Quintilianus (II, 4, 7): „Materiam esse volo abundantem —, multum inde *decoquent* anni." Sidonius Apoll. epp. IV, 1: „Aetatulam — castigatoria severitate *decoqueret.*" Decoquebatur vinum quoque (Virg. Georg. I, 295), quo dulcius fieret, unde Cicero (de orat. III, 26, 103) *decoctam suavitatem* dixit nimiam. Aurium sordes, quae auditum hebetant, si nimis durae factae sunt, aceto emolliuntur (Cels. de medic. VI, 7), unde stoicus *aurem aceto lotus* dicitur (V, 86). Idem *vaporatione* fit, et Persius eum, qui audire velit, *inde* h. e. poetis illis legendis aures sibi purgare iubet. *Fervere* autem, quod de acri studio ita fere usurpatur, ut in malam potius partem vergat, hic eo facilius poni potuit, cum iam in v. *vaporata* notio caloris insit, et in Virgiliano (Georg. IV, 169) *fervet opus,* quo nihil nisi alacre studium significatur, satis praesidii esse videtur, ut v. *fervere* nostro quoque loco tueamur, de eo, qui hoc ipso studio incensus est, explicantes. *Crepida,* κρηπίς, Graecum calceamenti genus (cf. Gell. XIII, 21. Becker, Charikl. II p. 370 sq.), cum Romani calceis uterentur; itaque crepida fere cum pallio coniungitur, ut Graecum designet. Sicut autem ipsi Graeculi, ita eorum habitus quoque Romanis despectui erat, non solum Scipionis temporibus (Liv. XXIX, 19, 12), verum postea quoque (Suet. Tib. 13). Inde tragoedia Graeci argumenti *crepidata* vocata est (Io. Lyd. de mag. I, 40. cl. Reuvens. collect. litt. p. 36 sqq. Neukirch. de fab. tog. p. 15). *Ludere,* quod accusativo personae, quae ridetur, iungi solet, insolentius hic praep. *in* habet adiectam, ubi res affertur, quae ioci materiam praebet. *Sordidus* i. e. cultui, quo Graeci gaudent, inimicus. Qui lusco dicere potest *lusce,* is omni decori atque pulchri sensu destitutus sit, necesse est, cum alicui naturae vium obiiciat, idque impolite faciat. Hinc sumsit Hieronymus (c. Iovin. II t. IV, 2 p. 214 Ben.): „Quid prodest, *luscum vocare luscum?*" *Possit,* cum ante dixerat *gestit,* non debebat offendere: amant ita modum variare poetae, cf. III, 66 sqq. Discite, *quid sumus, — quid habet, quantum deceat, quem deus iussit.* Alia exempla

v. apud Lachmann. ad Propert. I, 2, 9. Huschk. ad Tibull. I, 7, 22. Sese *aliquem* credens, ut Iuven. I, 74: Si vis esse aliquis. Cic. ad Attic. III, 15, 8: Meque velis esse aliquem. Ita apud Graecos δοκῶ τις εἶναι, cf. Theocr. XI, 79. Wyttenb. ad Plut. de disc. adul. p. 65 F. *Aedilis,* qui per totam Italiam harum rerum curam habebat, si quando mensuras non ad normam legis factas deprehendebat, frangebat, v. Iuv. X, 101 sq.: „Vasa minora frangere pannosus vacuus aedilis Ulubris." *Mensuras iniquas frangere* legitur etiam in Digg. XIX, 2, 13, 8: Si quis *mensuras* conduxerit, easque magistratus frangi iusserit, si quidem *iniquae* fuerunt. *Iniquus* autem iustum voc., v. Digg. XIX, 1, 32: Si quis a me oleum, quod emisset, adhibitis *iniquis ponderibus* accepisset etc. Iuv. XIV, 126: Servorum ventres *modio* castigat *iniquo*. Hemina, ut docet Paull. Diac. s. v., est dimidia pars sextarii. *Italum honorem* vocat aedilitatem, quia in municipiis atque coloniis inter summos magistratus erant aediles (de quibus exstat Ev. Ottonis liber), et ut par est in oppidulis, quale erat *Arretium* (ut Ulubrae apud Iuv. l. l., Fidenae et Gabii), maiori fastu elati erant hi homines, quam Romae. Cf. lepidam de inepta aedilis cuiusdam municipalis iactantia narrationem apud Apulei. Met. I p. 113 Elm. *Supinus,* quod de otioso et delicato frequentius usurpatur (Iuv. I, 66 ib. intpp.), hic fastidiosus, superbia inflatus vocatur, ut apud Martial. V, 8, 10. Cf. Quintil. XI, 3, 69: *Supino* (capite) *arrogantia ostenditur*. *Abacum* et *pulverem* coniungit etiam Apulei. Apol. p. 284 Elm. *Abacus* est tabula e marmore vel alia quadam materia diligenter polita, quales parietibus inseri solebant (cf. R. Rochette, peint. ant. inéd. p. 380 sq.), tum de mensa, cui talis tabula imposita est, usurpatur, et ita quidem, ut aut mensam significet, cui vasa imponebantur (cf. Becker, Gall. I p. 140), aut eam, qua mathematici utebantur. *Pulvere* enim, quem inde *eruditum* vocat Cicero (N. D. II, 18, 48) operiebant eam, in quo numeros et figuras radio scriberent. Cf. Lips. ad Sen. epp. LXXIV. Davis. ad Cic. Tusc. V, 23. Nescio vero an *tabula*, qua calculorum vel annulorum ope pueri numerare discebant (Hor. Sat. I, 6, 74), et adulti quoque utebantur ad molestiam devitandam (Iuv. IX, 40), quarum exempla servata sunt et edita apud Pignorium (de servis p. 336 sqq. ed. Amst. a. 1674, cf. anaglyphum Musei Capitol. IV, t. 20, illustratum a Böttigero, Kl. Schrr. III p. 9 sqq.) *abacus* quoque vocata sit. Polybius certe ἀβάκιον vocat (V, 26, cl. Gron. de pec. vet. III c. 15). *Meta,* figura

conica, pro figura mathematica. *Scit,* acerbe, in hac re posita est scientia eius, cf. v. 53 sq. *Risisse* cf. v. 41. *Paratus* cf. VI, 36 *nescire paratus.* Frequentissime hoc v. ita usus est Iuvenalis v. III, 106. VI, 16. 244. IX, 7. 49. XIII, 108. XV, 102. cf. Haas. ad Reisig. gr. lat. § 445 n. 601. *Cynici* tunc temporis barbam alebant, et ob id ipsum, ut omnino contemnebantur, derisui habebantur, cf. Gell. N. A. IX, 2. Böttiger. Sabin. II p. 36 sq. Ita ut hic *nonaria* (meretrix, quibus a nona inde hora prostare licebat, v. schol.), ita *pueri* apud Horatium (sat. I, 3, 133) *lascivi* cynico *barbam vellunt,* quod petulantissimae irrisionis signum erat, cf. II, 28, et notam de Gallo Papirii barbam permulcente historiam apud Liv. V, 41, 9. Talibus igitur lectoribus, qui rudes et inculti litteras contemnunt, ut Horatius siccis forum putealque Libonis (epp. I, 19, 8 sq.) ita *edictum mane* dat, quia ante meridiem plerique, praesertim ii, qui nihil serii agebant, horas quasdam in foro, ubi causae agebantur, consumebant, cf. Iuv. I, 128. Horat. Sat. II, 6, 34. Mart. IV, 8, 2. Ita edictum de praetorio intelligitur, quod lectitarunt otiosi, ut haberent, quod consulerent amicis, quamquam, id quod Marcilius voluit, etiam ea edicti significatio apta est, qua apud Senecam legi videtur (epp. CXVII, 30, p. 188 Schw.): „Nemo qui obstetricem parturienti filiae sollicitus arcessit, *edictum et ludorum ordinem* perlegit.“ Cum h. l. conferendus alius (de brev. vit. 16): „cum dies muneris gladiatorii *edictus* est.“ *Edictum* Cur. Fortunat. explicat *libellum propositum.* Erant vero libelli gladiatorum vel munerarii (Lips. Saturn. II, 18). In his gladiatorum nomina, et quae ad ludos pertinebant, recensebantur (Senec. exc. controv. l. IV praef. p. 412 Bip. Treb. Poll. v. Claud. 5). Hi libelli autem partim venditabantur (Cic. Phil. II, 38, 97), ut inter ludos, quid ageretur, scirent accurate spectatores (Ovid. A. A. I, 167), partim muris appingebantur, ut publice legi possent, sicut alia, quae edicebantur (Vulc. Gall. v. Cass. 6, cf. Böttiger, Amalth. III p. 342 sqq. de inscriptionibus muralibus). Hodie quoque eiusmodi edicta gladiatoria cum aliis Pompeiis muris inscripta permulta legere licet (e. g. Bonucci Pomp. p. 79. 127). Talia vero ab otiosis praesertim cupide lectitata esse, consentaneum est. *Calliroe* autem notum potius scortum fuisse videtur, quam, quod schol. putat, carmen Neronis.

SATIRA II.

Quod in scholis philosophorum saepissime disputabatur argumentum *de precibus*, id hac satira ita tractat Persius, ut luculentis quibusdam exemplis hominum vulgares errores perstringat. Alloquitur in principio Macrinum, cui diem natalem celebranti ex more epistolam mittit, atque inde, quod egregium virum non nisi bona rectaque a diis etiam natali die, quo potissimum vota nuncupabantur, poscere dicit, initium satirae sumit (v. 1—4). Neque enim plerique hominum ita faciunt, verum coram hominibus quidem iusta ac licita petunt, tacita vero mente ut divitias acquirant, vel propinquis mortem optant (v. 5—14). Atque haec vota sancta esse putant, si cerimonias quasdam anxie coluerint (v. 15 sq.); iidem tamen eadem nemini hominum committere auderent, quae a diis precantur, qua re, quamvis negent, ostendunt tamen, infra homuncionum censum deos haberi (v. 17—30). Itaque stultissima quaeque, et qualia, si a diis darentur, haudquaquam saluti essent, ab iis cum superstitione petuntur (v. 31—40); verum quae est hominum stultitia, dum vota diis nuncupant, ita se gerunt, ut ipsi perdant, quae petunt. Qui bonam valetudinem optat, epulis opimis, quas in sacrificiis instruit, eam corrumpit (v. 41—43), qui gregibus laetum proventum petit, is ipsas greges mactat (v. 44—51). Haec ex eo errore proveniunt, quod homines pravas suas cupiditates diis affingunt; auri sacra fames hominum animos movet, inde diis quoque nihil gratius esse putant, deorumque imagines deaurant, ut votorum compotes fiant (v. 52—58); haec atque luxuries homines corrupit et antiquam simplicitatem etiam e templis expulit, suique vitii instrumenta diis quoque sacra esse voluit; atqui diis pretiosissimorum donorum haud maior usus est, quam frivolorum, quae pia superstitio dedicat (v. 59—70). Non sunt divitiae, quae diis placent, sed pura mens et pius sanctusque animus (v. 71—75); ita unde initium habuit, eo regreditur oratio. Facile perspicitur, haec omnia arcte inter se cohaerere, quamvis abrupte singula posuisse videatur Persius, unumque in omnibus inesse, indignam, quam de diis homines habere soleant, sententiam, quam ex propriis cupiditatibus atque vitiis sibi formant, fontem esse eorum, quae tam perverse precentur. Ceterum hic quoque propria virtus Persiana inest in singulis exemplis ad vitam quotidianam cum diligentia et arte, quae minutissima quoque accurate depingit, verissime expressis.

Si quis diversa scriptorum eandem rem tractantium ingenia cognoscere cupit, is adeat Alcibiadem II, qui inter Platonicos dialogos servatus est, Luciani navigium t. III p. 247 ed. R., Iuvenalis satiram X.

De *Macrino*, cui Persius hanc satiram inscripsit, nihil notum est, praeter paucula, quae schol. tradidit.

v. 1—3. Diem natalem propriumet amicorum sanctum festumque habebant Romani (Hor. carm. IV, 11, 17. Tib. IV, 5, 1 sq. Iuven. XII, 1) et vario modo celebrabant. Cf. C. F. Schubert, diss. de ritibus Romanorum celebrandi dies natales. Helmst. 1750. Dona mittebant varia, et si qui litteris vacabant, ii libros amicorum nomine inscriptos, natalitii titulo, ut ait Censorinus (de die nat. 1), mittebant. Cf. Lucian. Macrob. 2. Dion. Hal. de comp. vv. 1 ib. Schaef. p. 5. Dies natalis *annos labentes*, sine certo discrimine fluentes (cf. Virg. Georg. I, 6), qui ex eo numerantur et ordinantur, apponit. *Candidus*, quod significat id, quod nitenti quadam luce perfusum est (Serv. ad Virg. Georg. III, 82), sicut de omnibus usurpatur, quae prospera ac laeta sunt (Tib. III, 6, 30 *candida fata*), ita aptissime de die dicitur, qui laetitiam affert (Petron. 127), unde Ovidius (Her. XVI, 318) ait: „Candidior medio nox erit illa die.“ Eodem modo Graeci λευκὴν ἡμέραν dicunt, v. Blomf. gloss. Aesch. Pers. 306. *Natalem candidum* vocant Tibull. I, 7, 63 sq. Ovid. Trist. V, 5, 13 sq., ubi genius natalis intelligendus. Diem igitur natalem *meliore lapillo signare* iubetur Macrinus. Etenim ut Phylarchus narravit (apud Zenob. paroem. VI, 13. Suid. s. v. λευκὴ ἡμέρα, cf. Lucht ad Phyl. p. 134) Scythae quovis die, prout vel laetum vel infelicem transactum censebant, calculum aut album aut atrum pharetrae immittebant, qui post mortem a propinquis dinumerabantur; et simile quid de Thracibus tradit Plinius (H. N. VII, 40, 41). Hunc morem, ut hoc loco Persius, ita alii Romanorum scriptores saepissime respexerunt, cf. Plin. epp. VI, 11, 3. Stat. Silv. IV, 6, 18. Mart. VIII, 45, 2. X, 38, 4 sq. XI, 36, 1, qui IX, 52, 3 sq. ait: „Felix utraque lux diesque nobis *Signandimelioribus lapillis.*“ Prae ceteris autem die natali suo quisque *genio* sacrificabat, et antiquo quidem more *vino* tantum et thure, neque vero hostia, quia, ut testatur Varro (apud Censorin. 2), ea die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demere nolebant; cf. Cod. Theodos. XVI, 10, 12: „Nullus — Larem igne, *mero Genium*, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat tura, serta suspendat.“ Quod tamen non semper ita observatum est, cf. Hertzberg, de diis Rom.

patriis p. 24 sq. (adde Grut. 119, 1. Marin. fr. Arv. p. CXX. Orell. 1812). *Fundere*, teste Servio (ad Virg. Aen. VI, 244), est supina manu libare, quod fit in sacris supernis. Ceterum de genio si quis varias VV. DD. sententias cognoscere cupit, adeantur Manso, Versuche üb. einige Gegenst. d. Mythologie p. 465 sqq. Hartung, Relig. d. Röm. I p. 32 sqq. Klausen, Aeneas II p. 1014 sqq. Hertzberg. l. l. c. 3 sqq. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CCXXI sq. Schoemann, de diis Manibus, Laribus et Geniis p. 17 sqq.

v. 3—7. Preces *emaces* vocantur, quia homines sacrificiis deorum voluntatem emi posse putant, cf. 29 sq. Plat. Eutyphr. p. 14 E.: *ἐμπορικὴ ἄρα τις ἂν εἴη τέχνη ἡ ὁσιότης θεοῖς καὶ ἀνθρώποις παρ' ἀλλήλων. Seducimus* eum, cui secretum committere (Iuv. IX, 96) volumus, ne alius quis audiat, cf. V, 143. VI, 42. Eo autem processit hominum stultitia, ut aedituum exorarent, ut se ad simulacrorum aures admitteret (Sen. epp. XLI), quo facilius ab iis intelligerentur susurri. *Bona pars*, ut apud Horat. carm. IV, 2, 42. Sat. I, 61. A. P. 297, haud pauci, imo plerique. *Acerra* thus continebat, nec facile sacrificium sine ea perficiebatur (cf. Ovid. epp. IV, 8, 39), quam *tacitam* dicit, quia sacrificantes vota tacita mente concipiunt. *Libabit*, futurum in sententia generali, cf. Iuven. VIII, 182: „Quae turpia cerdoni, Volesos Brutumque *decebunt*.“ At apud eundem IV, 13: „Nam quod turpe bonis — *decebat* Crispinum,“ cave cum Heinrichio legas *decebit*. *Murmur*, quo vota sua effantur homines, notat etiam Iuvenalis (VI, 583. X, 289 sq.). Quod Seneca (ep. XLIII) clare dixit, *aperto voto vivere*, quod tamen haud difficile intelligitur quid sibi velit. Ceterum haec sententia, nihil arcano ore deos rogandum esse, ut ait Martialis (I, 39, 6), a multis celebrata est. Insignis Senecae locus est ex Athenodoro (ep. X): „Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam.“ Quibus ipse addit: „Nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, deo narrant.“ Cf. de benef. II, 1. Intpp. Tibull. II, 1, 84.

v. 8—16. Quae modo in universum dixit, ea iam exemplo quodam, quod more suo mimice ad vitam describit, explicatius effert, in quo Horatii locum (Epp. I, 16, 57) respexisse videtur, qui ita se habet: „Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal, Quandocunque deos vel porco vel bove placat, Iane pater, clare, clare cum dixit, Apollo: Labra movet

metuens audiri: Pulchra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri, Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.“ Huic simillimus vir bonus apud Persium clare et ut audiat *hospes*, qui eum non novit (Hor. carm. II, 5, 22), honesta cupit. *Mentem bonam* invocat Propertius (IV, 24 [III, 23], 19): „Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono,“ eiusque venerationem testantur inscriptiones (Orell. 1818. 1819. Murat. 90, 2); cum *Fide* coniungit haec (Grut. 99, 7. Orell. 1820):

M. SEPTIMIVS. C. F
MENTI. FIDEIQVE
DEABVS. PRAESENTIBVS. EX. VOTO
S. P.

Bona mens vero non solum sana et recta est, ut natura benigna homini dat (quo sensu fere apud Petronium capienda est, v. c. 3. 70. 115. 131), verum animus, qui serio studio corroboratus ad veri rectique intelligentiam provectus est, cf. Senec. epp. XVI: „Perseverandum est et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.“ Ita saepissime legitur apud Senecam, v. de prov. 6. de tranq. an. 1. ep. 17. 23. 27. 28. 37. 41. 44 cett. Atque hanc a diis petere ipse suadet Seneca (ep. 10): „Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tunc corporis.“ Ad hanc addit *famam* et *fidem* sc. bonam, sicut mentem. Longe diversa *introrsum* (ut Seneca ait, de benef. II, 1, *intra nosmet ipsos* precari malumus) murmurat, et *sub lingua*, ita ut verba, quae lingua dentes et palatum feriente palam edicuntur, sub ea occulta maneant. Quae sequuntur avari vota sunt, ut apud Petronium (c. 88): „Ac ne bonam quidem valetudinem petunt, sed statim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius si thesaurum effoderit, alius si ad trecenties HS salvus pervenerit.“ *Ebullire animam* pro eo, quod alias dicitur *animam efflare* (Cic. Tusc. I, 9, 19), sermone populari usitatum fuisse videtur, quantum concludi licet e Senecae (apocolynt. 4 p. 246 Bip.) et Petronii (42. 62) locis, unde Persius *ebullire* solum eodem sensu usurpavit. Quod addit *praeclarum funus*, id egregie convenit talium hominum ingenio, qui prae ceteris pompam funeris admirari solent et laudare, ut apud nostrates hodieque (*eine prächtige Leiche!*). Cf. epitaphium metricum (Spon. misc. p. 219. Fabr. p. 184. Anth. L. IV, 103. n. 1236 M.): „Nomen erat puero Pagus, at nunc funus acerbum et cinis in tumulo iacet et sine nomine corpus.“

Cf. Virg. Aen. IX, 491. Prop. I, 18 [17], 8. *Herculi* decimam partem eorum, quae acquisivissent, sacrificabant Romani (Vignol. Inscrr. sel. p. 337), quia eum tanquam *πλουτοδότην* venerabantur. Thesaurum eius ope inventum exhibet etiam Horatius (Sat. II, 6, 10 sqq. ubi v. Heindorf.). *Dextro Hercule* i. e. amico, ut ait Horatius l. l., propitio atque favente, ut V, 114 *Iove dextro,* Propert. IV [III], 1, 47 *et Baccho et Apolline dextro;* cf. formulam: *Dexter ades* apud Virg. Aen. VIII, 302. Ovid. Fast. I, 69. Sil. It. I, 514. Itaque *laeva numina* dicuntur infausta, v. Gell. V, 12. Virg. Georg. IV, 7 ib. Burm. Quamquam enim ex disciplina augurali laeva auguria propitia habebantur, tamen manu dextra sacra dabantur (Marini frat. Arv. p. 592), dextro pede procedendum erat ei, qui felicem eventum sperare volebat (Sil. It. VII, 172, Iuven. X, 5) cett. *Seria,* vas testaceum, in quibus, ut ait Hieronymus (ep. XXXIX) saepe thesaurus reconditur. — In iis, quae sequuntur, tenendum est, ex lege tabularum iis, quibus testamento tutor datus non sit, agnatum legitimum esse tutorem, eundem igitur pupilli, si decesserit, heredem futurum, cf. Rein, Röm. Privatr. p. 241 sq. Quamquam corruptis hisce temporibus saepius tales tutores pupillos necaverint, ut hereditatem adirent (Suet. Galb. 9. Iuv. VI, 629), de tali facinore hic tamen non cogitandum est. Noster homo precatur tantum, ut deus aliquis benignus pupillum, qui morbis laborat, semoveat. *Expungere* est delere id quod in tabulis ceratis scriptum est (cf. Haverk. ad Tertull. apol. 2), inde in tabulis expungitur nomen eius, qui omne quod debuit persolvit (Plaut. Cist. I, 3, 41), et militis, qui dimittitur (Plaut. Curc. IV, 4, 29). Expungitur igitur etiam, qui locum in testamento amittit sive morte, sive alia ratione. V. *impellendi* bene impatientiam tutoris exprimit, nam de iis usurpatur, qui properantes in turba eos, qui praecedunt et obstant, incitant, cf. Lucan. I, 149. Iuv. III, 127. Fortius igitur idem exprimit, quod *proximus sequor.* Ut excuset quodammodo, quod mortem pupilli optet, addit, eum morbis laborare, *scabie* et *acri bile* (ut apud Io. Chrys. homil. in Matth. LXIII, quem l. Casaub., *οἱ πυρέττοντες καὶ δριμεῖαν χολὴν ἔνδον ἔχοντες*). Denique Nerii felicissimi exemplum affert, qui iam cum tertia uxore tertiam sibi dotem comparare potuerit. *Nerii* nomen ab Horatio sumsit (sat. II, 3, 69). *Ducere uxorem* ex usu loquendi nihil aliud potest significare, quam quod alibi (Caes. B. G. I, 9) plenius dicitur, *in matrimonium ducere.* De funere ubi usurpatur, additur verbum quo id accuratius indicetur. Quodsi Ser-

vius (ad Virg. Georg. IV, 256) dicit, *ducere* proprie funerum esse, notandum potius est, *ducere* de pompa adhiberi, quae sicut in funere, ita in nuptiis potissimam cerimoniarum partem efficiebat, unde de utraque re v. *ducere* in usu est. Nam ducere uxorem dictum est, quia solemni domum deductione uxor fit, cf. Hotom. de vet. rit. nupt. c. 19. *Haec*, talia vota, ut poscas *sancte*, ita ut deorum cultus postulat, Tiberi lavaris. Nam qui ad sacra accedebat, aqua se prius lustrabat (Macrob. Sat. I, 3), praesertim autem matutino tempore lavabantur (Iuv. VI, 522 sq.), cum nox non solum concubitu (Cic. p. Cael. 14, 34. Ovid. Am. III, 7, 82 sq.), sed etiam somniis (Serv. ad Virg. Aen. VIII, 69. Prop. IV, 9 [III, 10], 13) polluere crederetur. *Ter* hoc facit, quia ternarius numerus sanctus in omnibus fere cerimoniis adhibebatur, cf. Voss. ad Virg. Ecl. VIII, 73. Seebode, Schol. z. Hor. Fl. p. 12 sq. *Bis terque* autem indicat, minimum ter id fieri, v. Bentl. ad Hor. epod. 5, 33. A. P. 358.

v. 17—30. Interrumpit hanc descriptionem Persius, et quem modo precantem fecit, praesentem fingit et cum eo dialogum habere incipit, ut ostendat, quam stulte talia a diis petantur, quae ab homine nemo audeat petere. *Scire laboro*, ut apud Horat. epp. I, 3, 2. et *nosse laboro* Horat. Sat. II, 8, 19. *Quid sentis* i. e. censes, iudicas (Cic. de legg. II, 13, 32. ad divv. IV, 13, 5) *de Iove*, quem talia precaris? In sequentibus bene utitur cauta quadam quasi per ambages interrogandi ratione, quae ironiam totius loci, quae in illis *minimum est, quod scire laboro* iam significatur, magis etiam prodit. Inde illud *estne ut*, cf. Terent. Hec. IV, 1, 43. Phorm. V, 7, 32, et *praeponere cures*, cui conferri potest, quamquam fortius dictum, III, 78: „non ego curo esse, quod Arcesilas.“ Interpellat eum igitur adversarius, interrogando *cuinam?* Denique nominat *Staium*, quo nomine Persium de Staieno, qui in iudicio Oppianico iudex corruptus famosum se fecerat, cogitasse, ut tradit schol., vix possum mihi persuadere. Neque omnino Persium hic hominis vilissimi exemplum afferre voluisse, neque hunc vs. 20 sensum esse credo. Sententia haec est, Iovem cuicunque homini praeponere nemo dubitabit, verum quemcunque hominem quis eligat, ut vota sua ei commendet, numquam talia ei committet, qualia ad Iovem precatur. Non ergo pessimum et corruptum hominem nominare debebat, nam tali nec bona nec mala vota facile quis commendet, sed boni rectique iudicii, quales multos invenias. Cum Staium nominasset, addit, ne

haereas, neve quaeras alterum qui melior sit tutor aut iudex, nam vir bonus est, cui toto te tuaque committere possis. Et hoc quoque ironice dictum est, quasi vere hac de causa haereat avarus, neque potius ideo, quod omnino fallacem hanc disputationem detrectet. Cur vero Staii nomen, quod haud infrequens fuisse l. in ann. crit. l. demonstratum est, elegerit poeta, nescio, nec scire, puto, attinet. *Iovis aurem impellere*, ut Virg. Aen. XII, 616 sq.: „Arrectasque impulit aures confusae sonus urbis," cf. Georg. IV, 349. *Proh Iuppiter!* exclamatio indignantis est, v. Ovid. Met. XIII, 5, ut *bone Iuppiter! maxime Iuppiter!* (Hor. Sat. I, 2, 17 sq.). Facete igitur Iuppiter prae indignatione et ipse *Iovem clamare* dicitur (ut divum hominumque fidem clamare apud Plaut. Aulul. II, 4, 20). — Credisne, ignovisse deum, quia arbor potius insons fulmine *discutitur* (Senec. quaestt. nat. II, 40. Lucret. VI, 337), quam tu cum tuis (*cum prole domoque* ait Iuven. XIII, 206 oraculum notissimum respiciens, ubi *πᾶσαν ὀλέσει γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα*, v. intpp.). *Sulfur* vocat fulmen, quia, ut ait Plinius (H. N. XXXV, 15, 50), fulmina et fulgura quoque sulfuris odorem habent, et lux ipsa eorum sulfurea est (cf. Senec. quaestt. natt. II, 53. Lucret. VI, 219. Virg. Aen. II, 698), *sacrum* autem, quod a diis mittitur, ut Ammianus Marcellinus (XXIII, 13) fulmen *ignem sacrum* vocat. Si quis fulmine caesus erat, is ex antiquissima Numae lege (apud Fest. s. v. *oscum*) eodem loco humabatur (Artemid. II, 8. Plin. H. N. II, 54, 55), reliquiae autem fulguris colligebantur et condebantur (Iuven. VI, 587), locus sepiebatur et *bidental* vocabatur, quia oves bidentes sacrificabantur (Serv. ad Virg. Aen. IV, 57. VI, 39. Fest. s. v. *bidental*). Cf. Müller, Etrusk. II p. 12 sqq. Hartung, Rel. d. Röm. II p. 12 sq. Quia haec omnia ex Etruscorum disciplina ab haruspicibus fiebant, *Ergennae* nomine Etrusco usus est Persius, cf. Müller, Etrusk. I p. 426. II p. 15. *Fibrae*, teste Varrone (L. L. V, 79), et Servio (ad Virg. Aen. VI, 599. X, 176. Georg. I, 120), iecoris eminentiae sunt, et in auspiciis capiendis summae auctoritatis, unde in sacrificiis eae potissimum nominantur, cf. v. 45. *Triste*, ut Horatius (A. P. 471), *evitandumque* vocat bidental, quia talia loca, ut ait Ammianus Marcellinus (XXIII, 5) nec intueri nec calcari debere fulgurales libri iubebant. Audacius autem ipsum hominem bidental vocavit, quod de loco usurpari solet, ubi talis humatus est. *Vellere barbam* (cf. ad I, 133) *praebet*, simile est *os contumeliis praebere* (Liv. IV, 35, 10. Tac. Hist. III, 31, cf. Terent. Adelph.

II, 2, 7. Cic. ad Attic. I, 18, 5), quamquam id aliter videtur explicandum esse, nempe ut apud Iuvenalem (V, 171) legitur, *pulsandum praebebis caput. Emere auriculas* (cf. *precem emacem* v. 3) dictum videtur ad analogiam eius quod dicitur *praebere* (Liv. XL, 8, 3), *dare* (Cic. ad Att. I, 5, 4), *dedere* (Cic. ad Att. II, 14, 2. p. Arch. 10, 26, cf. Döderl. Syn. IV p. 135) *aures* (diverso sensu *aurem*, si vera est observatio Oudend. ad Suet. Calig. 22). *Pulmonis* etiam in sacris praecipua auctoritas (Cic. de div. II, 12, 29. Lucan. I, 622). *Lactes* ut ait Priscianus (VI p. 686 cf. Non. s. v.), partes sunt intestinorum, a Graeco *γαλακτίδες* dictae, Plinio (H. N. XI, 37, 79) teste, in homine tantum et ove ita dictae.

v. 31 — 40. Pergit Persius exemplis e vita quotidiana petitis stultitiam hominum in votis demonstrare. Primum aniculārum perversum erga infantes amorem spectat, quo inania iis precari solent, cf. Sen. epp. LX, 1: „Etiamnunc optas, quod tibi optavit nutrix tua aut paedagogus aut mater? Nondum intellegis, quantum mali optaverint?“ cett. cl. epp. XXXII, 4: „Optaverunt itaque tibi alia parentes tui, sed ego contra omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiam.“ Nusquam etiam muliercularum superstitio, quam egregie depinxit, clarius perspicitur, quam in cura infantium. Hanc in feminis Romanis haud exiguam fuisse, docet vel numinum insignis numerus, quorum tutelae committebantur infantes, v. Hartung. Rel. d. Röm. II p. 239 sqq. Ex iis *Cunina* infantes in cunis tuebatur, ac fascinum submovebat, v. Lact. I. D. I, 20, 36. August. C. D. IV, 11. Non. s. v. *rumam*. Grut. Inscr. 96, 9. Cum ergo puerum cunis eximit, ante omnia expiat eum, ne quid ei noceat. Hoc facit *infami digito* i. e. medio. Medius enim digitus tam apud Graecos (cf. Leutsch, Griech. Metrik § 421), quam apud Romanos obscoenam habebat significationem, unde *impudicus* vocabatur (Martial. VI, 70, 5. Priap. LVI, 1 sq.), et medium alicui digitum ostendere summae contumeliae atque contemtus signum fuit (Arrian. diss. Epict. III, 2, 11. Diog. Laert. VI, 34 sq. Dio Chrys. or. XXXIII p. 405 t. II p. 18 R. Iuven. X, 53. Mart. II, 28, 2). Notabat enim eum, qui muliebria patiebatur, unde Graeci medium digitum *καταπύγονα* vocabant (Poll. II, 184. Phot. s. v. *καταπύγων*. Hesych. s. v. *καταπυγής*), itaque significabat idem, quod Francogalli dicunt: *laissez vous f.*. Eodem sensu hunc gestum usurpant hodieque Itali, v. Jorio, mimica degli ant. p. 136 sq. Iam ex constanti veterum superstitione obscoena maximam vim habebant ad

avertendam effascinationem, quare tam frequens rerum turpicularum usus erat, qui in *bullis* etiam agnoscitur, quas puerorum collis appendebant (v. ad V, 31). Itaque talium gestuum, qui obscoenam et simul contumeliosam significationem habebant, frequentissimus in arcendis effascinationibus usus erat, ut hodieque apud Neapolitanos, qui, ut hoc utar, celeberrimos gestus cornuum et fici (*far le corna* et *mano in fica*) ab antiquis traditos in utramque partem adhibent, ad gravem iniuriam infligendam et ad effascinationem arcendam, v. Jorio l. l. p. 89 sqq. 155 sqq. Ita medio quoque digito utuntur in magicis potissimum artibus, ut apud Petron. 131: „Mox turbatum sputo pulverem *medio* sustulit *digito* frontemque repugnantis signat.“ *Saliva* quoque, cuius vim quandam salutarem omnes fere populi agnoscunt eaque tanquam medicina utuntur (Plin. H. N. XXVIII, 1, 2; 4, 7), praesertim in magicis adhibetur cerimoniis, ubi fere ter despuitur (Varr. R. R. I, 2, 27. Tib. I, 2, 55. Virg. Cir. 371. Prop. V [IV], 7, 37. Petron. 131. cf. Grimm, Deutsche Myth. p. 634). Praecipue autem, si quis nimium optando vel laudando invidiam se suscitasse metuebat, in sinum spuendo hanc deprecabatur (Theocr. VI, 39 ib. intpp. Luc. apol. 6. navig. 15. Iuv. VII, 112 ib. schol.), et omnino quaecunque male ominata videri poterant vel fascinantia, ea despuebant (Plaut. Asin. I, 2, 26. Tib. I, 2, 98. Theocr. XX, 11. Theophr. char. 17). Itaque teste Plinio (XXVIII, 4, 7) solebat ter a nutrice adspui infans extranei interventu aut si dormiens spectaretur. Quod modo notavimus, id hic quoque usu venit, ut idem quod fascinum arceat sit etiam quam maxime contumeliosum, nam quem quis summa efficere vult iniuria, eum conspuit, unde de persona vel re, quae cum contemtu vel contumelia reiicitur, dicitur *despuere*, *προσπτύειν*, *περιπτύειν*, *ἀποπτύειν* sim. (Hemst. ad Luc. D. M. XX, 2. Intpp. Hesych. s. v. *ἀπέπτυσε λόγους*. Catull. L, 19. Pers. IV, 35), quamquam his verbis saepe non solum contumelia indicatur, sed quod res tanquam portentum et mali ominis exsecratur. Inde salivas vocat *lustrales*, quod voc. non cogit ea, quae hic describuntur, ad diem lustricum referre, cum ea potius commemoret poeta, quae ex vulgari superstitione facere soleant mulierculae. Hoc modo tangitur *frons*, ut apud Petron. l. l., quae genio dedicata erat (Serv. ad Virg. Ecl. VI, 3), unde erant, qui fronte hominis inspecta futura praedicerent (*metoposcopi* cf. Suet. Tit. 2. Plin. XXXV, 10, 36, 88. Iuv. VI, 583). Eundem morem testatur etiam Basilius in scholiis ineditis ad Gregor. Naz. apud

Bast. ad Greg. Cor. p. 874: *Περιάμματα κατὰ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς βραχίονας καὶ τοὺς αὐχένας· κλωσμάτιά τινα βεβαμμένα, καὶ σελήνια (σπλήνια) μηνίσκων, χρύσεα καὶ ἀργύρεα ἢ καὶ τῆς εὐτελεστέρας ὕλης, τὰ ὑπὸ τῶν γραϊδίων τοῖς βρέφεσιν ἐπιδεσμούμενα, ἐπιθυριζουσῶν* (*ἐπισυριζουσῶν* Schaef., leg. potius *ἐπιψιθυριζουσῶν*) *εἰς* [*ἀποτροπιασμὸν καὶ ἅμα ταῖς γλώσσαις ἐπιλιχμασσουσῶν τὰ μέτωπα καὶ ἀποπτυουσῶν μετὰ τοῦ φυσᾶν ἑκατέρωθεν;* et Acro ad Hor. epod. 8, 18: „Lingua enim detersa fronte mulieres amputare (?) se infantibus putant fascinum," cf. locum Io. Chrys. t. III p. 320, 23: *Βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι, κατὰ τοῦ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου· κἂν ἔρηταί τις, τί βούλεται ὁ βόρβορος, τί δὲ ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀναστρέφει, φασί, καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον. Labella* dicit *uda* (cf. ad I, 105), ut solent esse infantium. Maximum autem fascinandi vim oculis inesse putabant veteres, qua de re quaesivit Plutarchus (quaestt. sympos. V, 2) et Alexander Aphrodisiensis (probl. II, 35: *διὰ τί τινὲς βασκαίνουσι καὶ μάλιστα παῖδας*). Praeterquam quod hominibus quibusdam a natura infausta illa vis adspectu nocendi data esse credebatur (Plin. H. N. VII, 2), eam invidiae potentiam putabant (cf. Lehrs, Abhdlgen d. deutsch. Gesellsch. in Königsberg IV, 1 p. 172), ut invidi oculus noceret (Theocr. V, 13 ib. schol. Virg. Ecl. III, 103. Alciphr. epp. I, 15), inprimis infantibus, cf. Plut. l. l. c. 1: *γιγνώσκομεν γὰρ ἄνθρώπους τῷ καταβλέπειν τὰ παιδία μάλιστα βλάπτοντας, ὑγρότητι τῆς ἕξεως καὶ ἀσθενείᾳ τρεπομένης ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ κινουμένης ἐπὶ τὸ χεῖρον.* Itaque in artis monumentis, quorum ad fascinum arcendum frequens usus erat, etiam malus oculus suas partes habet (Müller, archaeol. § 436, 2), et id quoque amuletorum genus, quod phallorum oculatorum nomine vocari solet (cf. Pignori, mensa Isiaca p. 32. Blumenbach. spec. hist. nat. ex artis ant. opp. illustr. p. 17 sq.) an huc pertineat, nescio. Ceterum haec superstitio apud omnes fere gentes pervulgata hodieque apud nostrates grassatur (Grimm, Deutsche Myth. p. 624 sq.), inprimis vero apud Italos (cf. Nic. Valetta, cicalata sul fascino volgarmente detta *jettatura*. Neap. 1812. et Arditi, il fascino e l'amuleto contro il fascino. Neap. 1825). *Urentes oculos* i. e. nocentes, perdentes adspectu, ex h. l. sumsisse videtur Radulfus homil. 42 a Grimmio l. c. allatus: „Cavete ab illis, qui dicunt, quosdam oculis urentibus alios fascinare." *Manibus quatit* puerum, ut solent facere, qui infantes blande

ulnis fovent; ita apud Homerum (Il. ζ, 474) Hector ὃν φίλον υἱὸν κύσε πῆλε τε χερσίν, quod explicat Eustathius, ἤγουν διεκίνησεν εἰς ἀέρα ὧδε καὶ ἐκεῖ, et addit ἀφίλειαν ὑπογράφει φιλόπαιδος καταμόνας χειριζομένου φίλον βρεφύλλιον. Cf. Hesych. s. v. ἀνοργάζειν. *Spes* qua ratione infans dicatur, facile intelligitur; eodem modo Petron. 4: „Spes quoque suas ambitione donant," ubi v. intpp. Acerbe hanc *macram* vocat poeta, ut indicet, quam parum respondeat puer ingentibus, quibus eum avia cumulat, votis. His eum mittit in Licini campos et Crassi aedes, i. e. optat, ut horum similes divitias acquirat. De *Licino* optime egit Madvig. de locis aliq. Iuv. explic. disp. II p. 31 sqq. *Licinus*, qui inter exempla summarum divitiarum refertur (Sen. epp. CXIX, 10 p. 196. CXX, 20 p. 204. Iuv. I, 109. XIV, 305 sq.), servus fuit C. Iulii Caesaris atque dispensator, postea ab eodem (Schol. Iuv. I, 109) aut ab Augusto, ut alii tradunt (Schol. n. l. Macrob. Sat. II, 4. Suet. Aug. 67 ib. Oudend.) manumissus, et Galliae praepositus est, ubi rapacissimam procurationem egit (Dio Cass. LXVII, 14, cf. Senec. de morte Claud. 6). Inter potentes libertos recenset eum Sidon. Apollin. epp. V, 7. Epigramma, quod in eum circumferebatur, servavit Schol. ad h. l., ubi v. not. Hic num idem sit cum *tonsore Licino* apud Horatium (A. P. 301), quod volunt Schol. Cruq. ib. et Schol. ad n. l., dubitari potest. Ad eum Iuvenalis (I, 25. X, 226) verba: „Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat," refert Schol. ad X, 226, idemque apud eundem Iuvenalem (VI, 373) intelligendus est, si Abbonis Floriacensis vera lectio est (Mai auctt. class. t. V p. 334): *Tonsoris damno Licini rapit Heliodorus.* De *Crasso*, qui divitiis omnes aequales superabat, omnia notissima sunt; eum iam Cicero tanquam ditissimi exemplum proponit (de finn. III, 22, 75. ad Att. I, 4, 3). Ut hic *aedes Crassi*, ita a Varrone (apud Non. s. v. *religio*) divitis atria Crassi commemorantur. De singul. *optet* cf. Bentl. ad Hor. carm. I, 24, 8. Wagner. quaestt. Virgil. VIII. Iahn. ad Virg. V, 825. *Rex et regina* cf. ad I, 67. *Rapiant*, eodem sensu quo aliis locis *diripere* positum (Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 129. Intpp. Iuven. VI, 404) de vehementi multarum in unum studio atque amore. De alia re eodem sensu v. *rapere* usus est Iuv. I, 96. cf. Lucian. navig. 43. Si quis ob egregium animi candorem et probitatem summo a dis favore et deorum simile honore ac felicitate afficiebatur, sub eius gressibus flores nasci putabantur. Ita Claudianus (l. Seren. 89 sqq.): „Quacumque per herbam Reptares, fluxere rosae,

candentia nasci Lilia. Si placido cessissent lumina somno, Purpura surgebat violae factura cubile Gramineum vernansque tori regalis imago.“ Et similiter Gregor. Nazianz. a Marcilio l.: *Πᾶσα μὲν ὑμετέροισιν ἐπίτροχος αἶα πέλοιτο Ποσσὶν ἐπειγομένοισι, καὶ ἄνθεα καλὰ φύοιτο.* Eadem in fabula Neapolitana (apud Grimm, Kinder- und Hausmährchen t. III p. 345) candidae virgini optat anus. Contrarium significat Petronianum (c. 44): „Quacunque ibat, terram adurebat.“ *Nutricem* hic commemorat, cum antea aviam materteramque nominasset, quia harum sicut illarum superstitiosa circa infantes cura, votaque ratione haud temperata esse solent, v. Senec. epp. LX, 1. Horat. epp. I, 4, 8. Infantes enim, quos antiqui Romani propinquae alicui natu maiori probatis spectatisque moribus committere solebant (Tac. dial. 28), postea nutricum curae demandabantur, quarum nomine non eae tantum mulieres vocabantur, quae lacte infantes alebant, sed omnino quae munditiem et diligentiam iis praestabant. Tales solebant *assae nutrices* vocari, ut in inscriptione apud Vignol. Inscrr. sel. p. 236 (Murat. 1512, 6): D. M. | VOLVMNIAE | DYNAMIDI | VOLVMNIA | C. F. PROCLA | NVTRICI | ASSAE. ET | LIB. V. A. CV, et apud Front. epp. ad Ant. Imp. I, 5 p. 155 ed. Rom.: „Assae nutricis est infantem magis diligere, quam adultam.“ Iuven. XIV, 208 ib. schol. et Heinr. Non. s. v. Talis muliercula igitur quae contra rationem optaverit, ea benignus deus ne det, secundum versus illos (apud Platon. Alc. II p. 143 A. Brunck. Anall. *ἀδ.* 466. Anthol. Pal. X, 108, qui nuper in tabulis ceratis comparuerunt a Massmanno editis [libelli aurarii t. 3 p. 29 sqq.], haudquaquam, quantum video, ab antiqua manu scripti): *Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.* *Albata* rogare dicitur, quia candida ac pura veste utebantur qui cum votis et sacrificiis ad deos accedebant, Plaut. Rud. I, 5, 11. Tibull. I, 10, 27. II, 1, 13 ib. intpp.

v. 41—43. *Nervi,* ut ex veterum locis apparet, sunt quos hodie musculos vocamus, in quibus robur corporis positum est; his *opem* poscis, et corpus in senectute quoque fidum. *Esto,* nihil veto, *age,* poscas haec; sed tu ipse ciborum luxurie, qua corpus corrumpis, vota irrita reddis. *Tucceta* a. v. *tucca* derivatur, quod in glossariis (p. 218 H. Steph.) explicatur *κατάχυμα ζωμοῦ,* unde in Tuccae nomine lusit Martialis (XII, 41). Secundum Arnobium (VII p. 271 Elm.) tucceta in exiguas arvina est miculas et ilia minutim insecta de more, teste schol. ad n. l. apud Gallos Cisalpinos bubula dicebatur caro condi-

mentis quibusdam crassis oblita ac macerata, quae ideo toto anno durat, quo modo etiam porcina soleat condita servari ad saturarum iura. Cf. Isidor. gloss. p. 697 Vulc. Glossaria explicant: *tuccetum*, *ζωμὸς παχύς*. Unde patet fuisse cibum perquam pinguem, quod genus cum valde amarint Romani, tanquam edulium eximii saporis commemoratur ab Apuleio (Metam. II p. 117. V p. 165. VII p. 192. IX p. 227 Elm. cf. Arnob. II p. 91), et a Fulgentio (expos. serm. ant. p. 180 Munck.) tucceta escae regiae esse dicuntur. Hisce epulas spectari quae in ipsis sacrificiis celebrabantur, quod sequitur exemplum prorsus simile suadet, et potest eo confirmari, quod Arnobius tucceta inter sacra vocabula enumerat. Eandem stultitiam notasse etiam Diogenem cynicum narrat Diogenes Laert. VI, 2, 28: *ἐκίνει αὐτὸν τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν.*

v. 43—51. Alterum stultitiae eius exemplum, quae dum a diis votis et sacrificiis expetit quae cupit, ea ipsa perdit, quorum rectus usus omnia ei suppeditaret. *Rem* sc. familiarem (Terent. Adelph. II, 2, 12. Hor. Sat. I, 4, 32. Epp. I, 179. II, 1, 107. Iuven. III, 23), *struere*, i. e. ex usu antiquorum auctore Festo s. v. *augere*, exoptas caeso bove, sacrificio, et *fibra*, cuius in sacrificiis potissima ratio habetur (cf. Virg. Georg. III, 490), quia signa praebet, unde de eventu iudicari possit (v. ad v. 26), *arcessis*, in auxilium vocas, qui praesentes sacris putabantur dii propitii, *Mercurium*. Is deus vero hic prae ceteris invocatur, quia non solum in universum lucrius est (*κερδῷος* Luc. Tim. 41 ib. Hemst. Alciphr. III, 47 ib. Bergl. cf. inscriptionem apud Murat. 346, 2. Orell. n. 1404: MERCVRIO POTENTI ET CONSERVATORI, cf. Ovid. Fast. V, 689 sqq.), unde crumenam tenens pingitur (v. ad VI, 62), sed ex antiquissima religione pecorum curam gerit (Hesiod. theog. 444 sqq. Hom. hymn. Merc. 570 sq.), unde *νόμιος* vocatur (Aristoph. Thesmoph. 977), atque *ἐπιμήλιος* (Paus. IX, 34, 2), et gregum foecunditatem indeque natas divitias hominibus dare putatur (cf. Hom. Il. *ξ*, 491). Itaque pastores ei potissimum Nymphisque sacrificia offerunt (Hom. Od. *ξ*, 435). Eodem pertinet quod Pana ex Dryopis filia, ob cuius amorem greges pascebat (Hom. hymn. VII, 28 sqq.), et ex Polymele Eudorum filium (Hom. Il. *π*, 179 sqq.) procreasse dicitur. Cf. Müller. prolegg. p. 355. Schwenck. myth. Skizz. p. 29 sqq. Preller. Demet. u. Perseph. p. 201 sqq. Gerhard. Auserl. Vasenb. I p. 70 sqq. *Da*, Hor. epp. I, 16, 60: Pulchra Laverna da mihi fallere; cf. Ovid.

Met. I, 486 sq. *Fortunare* deorum est et in precibus videtur solemne fuisse, v. Afranius ap. Non. s. v. *fortunare* (p. 195 Neuk.): Deos ego omnes, ut fortunassint precor. Cic. epp. ad divv. II, 2: Tibi patrimonium dei fortunent. Liv. VI, 41, 12: Quod vos faxitis, deos velim fortunare; cf. XXXIV, 4, 21. Commodum hic, ubi de augenda re familiari sermo est, nominavit *penates* a *penu* dicti, cui praesunt et cuius curam gerunt, ad quem pertinent quae ad sustentandam familiam perpetuum in usum asservantur; cf. doctam Klauseni disputationem (Aeneas II p. 635 sqq.). *Quo pess. pacto*, ut Horat. Sat. II, 7, 22: „Quo pacto pessime?“ Qui potes gregum laetum proventum sperare, cum *iunicum* i. e. vaccarum nondum ad maturam aetatem provectarum, quarum ad sacrificia potissimus usus erat (cf. titulos apud Murat. 21, 5; Marin. fr. Arv. p. 212. Orell. n. 1518), *omenta*, pinguis, qua intestina involvuntur membrana (Plin. XI, 37, 80. Arnob. VII p. 271 Elm. Senec. Oed. 370), quae in sacrificiis urebatur (Iuven. XIII, 117 sq.), *in flamma liquescant* (cf. Catull. XC, 6: „omentum in flamma pingue liquefaciens“), cum ipse interimas, in quibus spes gregis posita est. Tamen hic *vincere*, i. e. assequi quod vult (Ovid. Met. VI, 513. Trist. III, 9, 23) *intendit, extis*, quae sacrificabantur (Cat. R. R. 134. Virg. Georg. II, 194) sive porriciebantur (Klausen de carm. fr. Arv. p. 11), et *opimo ferto*, quod erat, auctore Festo s. v., libi genus, quod crebrius ad sacra ferebatur (vel *obmovebatur*, quod erat iustum de hac re vocabulum, v. Cat. R. R. 134. 141), nec sine strue, altero genere libi; utrumque coniungitur etiam in tabulis fratrum Arvalium, v. t. XXXII. XLII cf. Marin. p. 403. Suo more Persius ipsa verba affert, quibus laetam spem suam exprimit stultus, ut praesentia sibi fingat, quae optat, donec omnibus pessumdatis, quae possidet, sero iam spem suam frustratam videt, et suspirat: nequicquam in imo fundo sc. arcae nummus est, h. e. nequicquam profudi opes meas. Conferri potest Hesiodium (opp. 369): *δειλὴ δ' ἐνὶ πύθμενι φειδώ*, quod expressit Seneca (epp. I, 4): Sera parsimonia in fundo est.

v. 52—75. *Crateras* producta ultima ut apud Virgilium (Ecl. V, 68. Aen. I, 728), qui eam corripit (Aen. IX, 165) hemistichio ab Ennio desumpto. Hic accusativus num a forma *cratera* derivandus sit, dubitari potest. Romani enim nominum Graecorum tertiae declinationis accusativum haud raro nominativum primae habebant, inprimis in nominibus propriis, quod tamen seriorum temporum scriptores potissimum fecisse viden-

tur, v. exempla apud Muncker. diss. de Hygin. p. 10 sq. et quos laudat Haas. ad Reisig. gramm. lat. § 77. *Cratera* autem apud Ciceronem (Verr. IV, 59, 131), Horatium (Carm. III, 18, 7. Satt. II, 4, 80) aliosque legitur. *Dona pingui auro incusa* ad vasa aspera pertinere facile intelligitur; si accuratius inspicias, ad Graecorum ἐμπαστικήν referenda videntur, v. Lobeck ad Soph. Ai. 847. Nam vasa e pretioso metallo facta cum anaglyphis ornari solerent, potuit hoc diverso modo fieri, aut ita ut ex ipso metallo caelo vel malleo elaborarentur figurae, cuius generis haud pauca hodieque supersunt vasa, aut anaglypha seorsim perfecta extrinsecus adderentur vasculis, quae *crustae* vel *emblemata* dicebantur (Cic. Verr. IV, 23, 52); quod hoc modo ornatum erat, dicebatur ἐμπαστόν, *incusum*. De eadem re loquitur Seneca (epp. V, 2): „Non habeamus argentum, in quod solidi auri caelatura descenderit.“ Exemplo sit patera aurea apud Millinum (Mon. Inéd. I p. 225 sqq.), cui inserti sunt emblematum loco nummi aurei. *Pectus laevum* dicit, ut Virgilius (Ecl. I, 16. Aen. II, 54) ait, „Si mens non laeva fuisset,“ ex usitato more loquendi, quo pectus animum eiusque affectus notat, qui ex sententia quorundam sub pectore latebat (cf. Lange verm. Schr. p. 112 sq.). Ita Lucretius (III, 137 sqq.). Dico, ait, caput esse quasi et dominare in corpore toto Consilium, quod nos animum mentemque vocamus, idque situm *media regione in pectoris* haeret. Hic exsultat enim pavor ac metus, *haec loca circum Laetitiae mulcent*. Antiquos homines, ut nos, prae gaudio sudasse et lacrimasse, ita enim intelligendum est *guttas excutere*, non est quod locis allatis doceatur. *Praetrepidum cor* v. ad I, 20. *Hinc*, ex hoc perverso affectu *subiit* animum, quod aliis locis additur (Liv. XXXVI, 20, 3. Ovid. Met. XII, 472), aliis omittitur (Ovid. Trist. III, 8, 38. Plin. H. N. XXV, 3, 7. XXXV, 7, 31), quod *sacras* deorum *facies perducis* (Virg. Georg. IV, 416) *auro* (cf. Virg. Ecl. VII, 35 sq. Priape, Nunc te marmoreum fecimus, at tu, Si fetura gregem suppleverit, aureus esto), quod *ovatum* audacter dixisse videtur, ut Ovidius (epp. ex Ponto II, 1, 41) *triumphatum aurum*, quod in ovationis pompa allatum et circumductum fuit. Aurearum statuarum exempla apud antiquos commemorantur haud ita pauca, cf. Martin. ad Ernesti arch. litt. p. 171 sq. Ceterum cf. Senec. epp. CXV, 11: „Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt et teneris infusa cupiditas sedit crevitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors in hoc convenit; hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc diis velut

rerum humanarum maximum, cum grati videri volunt, consecrant.“ *Fratres aeni* quinam intelligendi sint, dubium est. Acron, ut testatur schol. ad h. l., tradidit in porticu Apollinis Palatini L Danaidum fuisse effigies et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti. Danaidum statuae in illa porticu positae etiam ab aliis commemorantur (Propert. III, 29 [II, 23], 4. Ovid. A. A. I, 73 sq. Am. II, 2, 4. Trist. III, 1, 60 sqq.), unde discimus, fuisse eas inter columnas porticus collocatas, unaque cum iis patrem Danaum stricto ense. Permirum vero accidit, quod nusquam Aegyptiadarum mentionem faciunt scriptores, qui Danaides admirantur, atqui quinquaginta statuae equestres aeneae etiam Romae res erat admiratione sane digna. Porro cur Aegypti filiis statuae equestres ponerentur, nulla quantum video causa inveniri potest. Quare vereor, ne in hac narratione error quidam insit, et statuae Aegyptiadarum non nimis firmo talo consistant. Verum ut fuerint, hic eos in mente habere Persius non potuit. Primum enim non est credibile Aegypti filios somnia misisse et tanquam deos fatidicos venerationem accepisse, tum ex tali quinquaginta statuarum serie ad ordinandam porticum collocatarum, inter se igitur simillimarum, unum alterumve eximie beneficum habitum fuisse, et tali prae ceteris barbam pro lubitu deaurare licuisse, vix mihi persuadeam. Nihil magis videtur consentaneum, de quo etiam schol. cogitavit, quam *fratres* intelligere *Dioscuros* sive *Castores*. Hi enim magna apud Romanos et per totam Italiam veneratione fruebantur (Klausen. Aen. II p. 663 sqq.), *dii magni* vocabantur (Grut. 98, 9. Orell. n. 1565), vitam salutemque dabant, et sicut populum Romanum de victoria monebant, somnia quoque fatidica mittere poterant. Neque deerant Romae eorum signa aenea, inter quae Hegesiae (Plin. XXXIV, 8, 19) celeberrima (cf. Welcker, akad. Kunstmus. p. 133 sqq. ed. nov.). Verum hi dii semper iuvenes repraesentabantur, nec possunt intelligi, ubi de aurea barba sermo est. Videntur potius fratres aeni ioculariter dii in universum vocati esse, quibus omnibus statuae ex aere ponebantur (cf. Varr. R. R. I, 1: Neque tamen eos urbanos [deos invocabo], quorum imagines ad forum auratae stant, sex mares et feminae totidem), quique fere omnes somniis et nocturnis visibus homines monere credebantur. Neque necessarium est, de incubationibus cogitare, quales in Aesculapii potissimum atque Serapidis templis locum habebant (cf. Wolf, verm. Schr. p. 382 sqq. Thorlacius opp. III p. 127 sqq. Böttiger. Ideen I

p. 88 sqq.), sed de ea superstitione, qua homines de rebus noxiis vel salutiferis se per somnium a diis moneri putabant, unde illud in titulis tam frequentatum EX. VISV vel SOMNIO. MONITVS, quod ad omnes fere deos pertinere innumera docent exempla (cf. Grut. 2, 4). Solebant autem antiqui deorum statuas, quibus praecipuas gratias debebant, vel totas vel partes quasdam deaurare. Athenagorae locum (c. 26 p. 30 ed. a. 1615) cum nostro contulit Lobeck. (Aglaoph. II p. 1171): *Οἱ μὲν ἄλλοι ἀνδριάντες τοῦ Νερυλλίνου κόσμημά εἰσι δημόσιον· εἰς δὲ αὐτῶν καὶ χρηματίζειν καὶ ἰᾶσθαι νομίζεται, καὶ θύουσιν αὐτῷ καὶ χρυσῷ περιαλείφουσι καὶ στεφανοῦσι τὸν ἀνδριάντα οἱ Τρωαδεῖς.* Cf. titulum (Don. I, 23. Murat. 144, 1) ACCA. L. F. PRIMA. | MINISTRA. MATRIS. | MAGNAE. MATREM. | REFECIT. MAGNAM. | ET. INAVRAVIT. ET. ATTI | NI. COMAM. INAV | RAVIT. Huc pertinet etiam mutilatum epigramma, basi statuae Aesculapii inscriptum, quae nunc in museo Chiaramonti asservatur:

... *ΩCΩTHPACKΛHIIIE*
PTCON EXETEN
... *IOC TTIEPTEKNΩN ΓIΛOTIOT*
ETΞAMENOC

quod cum Visconti (Mus. Pio Cl. II p. 35 ed. Mil.) ita retintegrasset: *Ὦ σωτὴρ Ἀσκλήπιε σῷ κράτι χρυσὸν ἔχευσεν Τερπνὸς ὑπὲρ τέκνων Γιλουίου εὐξάμενος,* hunc in modum restituit Od. Müller. (Bullett. d. inst. 1840 p. 12): *Ἐν ποδὶ σῷ, σωτὴρ Ἀσκλήπιε, χρυσὸν ἐχεῦεν Γαῖος ὑπὲρ τέκνων Γιλουίου εὐξάμενος.* Prae ceteris autem barbam deaurari solitam fuisse videtur Suetonii quoque (Calig. 51) locus probare: „Plerumque vero aurea barba fulmen tenens aut fuscinam aut caduceum deorum insignia — conspectus est.“ Cf. Petron. 58: „Non deridebis licet barbam auream habeas.“ Ut hodie notum est solebant antiqui statuarum partes quasdam auro vel coloribus perducere, et capilli quidem quammaxime deaurabantur, cuius rei exempla hodieque suppetunt, cf. Winckelmann, opp. t. V p. 51 sq. Kugler, über die Polychromie d. alt. Archit. u. Sculptur p. 62 sq. Ita Veneris Mediceae comam deauratam fuisse, certum est, Minervae Herculanensis (Millingen anc. uned. mon. II, t. 7) capillos auro obductos fuisse, testis oculatus affirmat Winckelmann. (opp. t. V. p. 52. 137), neque dubitari potest de Diana Herculanensi (R. Rochette peint. ant. inéd. t. 7 p. 412 sq.). Auri autem vestigia, quae celeriter evanescunt, in sigillis fictiliciis praesertim conspiciuntur, cf. luculentum exemplum apud Bröndsted (Voy. et rech. t. II p. 133 t. 39).

Inde liquet etiam barbam saepissime fuisse deauratam, quo spectat notissima de Dionysio tyranno fabella, qui Aesculapii statuae auream barbam detraxit, Cic. N. D. III, 34, 83 ib. intpp. — *Somn. pit. purg.* cf. ad I, 118. *Pituita,* tribus syllabis pronuntiandum cf. Hor. Sat. II, 276 ib. Heind. Both. ad II, 8, 1. *Vasa Numae* fictilia sunt, quibus ille in sacrificiis uti iussit, saepe a Romanis scriptoribus tanquam antiquae simplicitatis testimonia commemorata, quorum tamen certis sacrificiis etiam serioribus temporibus remanebat usus. Nominantur autem praecipua *capedines* (Cic. N. D. III, 17, 43. Parad. I, 2, 11) et *simpuvia* (Cic. rep. VI, 2, 11. Iuv. VI, 343. Plin. H. N. XXXV, 12, 46. Apul. apol. p. 285. Elm. Prudent. perist. II, 514, cf. Ruben. Electt. II, 8. H. Iun. animm. II, 10. Beier. ad Cic. Lael. 25, 96). Omnino privati quoque antiquam severitatem servantes fictilibus sacrificabantur, quibus luxuria aurum atque argentum substituerat, v. intpp. Tibull. I, 1, 38. Mediae Italiae populos antiquis temporibus *aere* solo tamquam moneta usos fuisse, et serioribus tantum temporibus nummos argenteos aureosque in commercium venisse notum est, neque desunt hodieque antiqui aeris exemplaria (cf. Niebuhr Röm. Gesch. I p. 474 sqq. Müller Etrusk. I p. 304 sqq. Marchi et Tessieri L'aes grave del museo Kircheriano. Rom. 1839. Lepsius Inscrr. Umbr. et Oscae t. 29. 30.). Haec *aera Saturnia* vocat Persius, quia, ut ait Macrobius (Sat. I, 7) Ianus, cum primus aera signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies ex altera vero navis exprimeretur. Aerarium autem in aede Saturni fuit, Plut. qu. Rom. 42. Macrob. Sat. I, 8. Varr. L. L. V, 183 ubi narrat, antiqui moris per trutinam solvendi ibi vestigium manere trutinam propter pensuram positam. *Aera* plurali numero eadem significatione etiam apud Horatium est, Carm. IV, 8. 2. Epp. I, 2, 23. A. P. 345. *Impulit,* ita ut de loco moveantur, aboliantur, cf. Cort. ad Lucan. I, 149. Plin. H. N. XXXIII, 11, 53, qui de eadem re loquens, Immenso, ait, et Achaicae victoriae momento ad *impellendos mores*. *Vestales* ex antiquo ritu *fictilibus urnis* utebantur, Valer. Max. IV, 4, 11. cf. Klausen, Aen. II p. 622. 631. *Tuscum fictile,* ut apud Martialem XIV, 98, cf. Iuv. XI, 109. Hic tamen, ubi praecesserunt vasa Numae Vestalesque urnae, de variis operibus fictilibus cogitandum videtur, in quibus ars Etruscorum summopere laudabatur, qua antiquis temporibus uti solebant Romani, v. Müller, Etrusk. II p. 242 sqq. Itaque templorum fastigia et antefixa

argillacea erant, ut ipsae deorum statuae, atque valde in eo sibi placent scriptores, ut eorum temporum sanctitatem praedicent, quae dis fictilibus contenta erant, cf. Propert. V, 1, 5. Ovid. Fast. I, 202. Iuv. XI, 116. Sen. epp. XXXI, 10, cons. ad Helv. 10. Plin. XXXIV, 7, 16. XXXV, 12, 45. Triller. obss. critt. IV, 6 p. 328 sq. *Animae curvae in terris et coelestium inanes* illustrantur Horatii loco (Sat. II, 2, 77 sqq.): „Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una Atque affigit humo divinae particulam aurae.“ Eadem ratione loquitur Plato (rep. IX p. 586 A.): *Οἱ ἄρα φρονήσεως καὶ ἀρετῆς ἄπειροι, εὐωχίαις δὲ καὶ τοῖς τοιούτοις ἀεὶ ξυνόντες, κάτω, ὡς ἔοικε — φέρονται — πρὸς τὸ ἀληθῶς ἄνω οὔτε ἀνέβλεψαν οὔτε ἠνέχθησαν — ἀλλὰ βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ εἰς τραπέζας* (cf. Suid. s. v. *θρέμματα*) *βόσκονται*. Cf. Seneca (epp. XC, 10 p. 5 Schw.): „Quicquid aliud corpore incurvato et animo humum spectante quaerendum est.“ Prudent. Hamart. 383 sq.: „Perituraque pronus (Ovid. Met. I, 84) Diligit et curvo quaerit terrestria sensu.“ *Coelestium inanes*, cf. Hor. carm. III, 11, 22. Ovid. Heroid. III, 60. *Quid iuvat hoc*, cf. I, 112. Hor. Sat. I, 1, 78. *nostros* cf. ad I, 9. *Pulpa*, ut grammatici explicant, caro sine ossibus est, mollis igitur et enervis, h. l. fere ut in bibliis sacris *σάρξ*, *caro*, usurpatur. Conferri potest Ausonii locus (epist. IV, 93 sq.): „Nec fas est mihi regio magistro *Plebeiam* numeros docere *pulpam*.“ Sequuntur iam exempla eorum, quae hominum cupiditas luxuria perdita summa bona censet. *Casia*, quae ex Arabia afferebatur (Plin. XII, 19, 43. Theophr. h. pl. IX, 5. Salm. exercc. Plin. p. 401 sq.) cum *oleo* permiscebatur, ut suave oleret. Ita nativum olei odorem corrumpi indignatur Persius, ut Lacedaemonii, v. Athen. XV, p. 686 F. *οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξελαύνουσι τῆς Σπάρτης τοὺς τὰ μύρα κατασκευάζοντας ὡς διαφθείροντας τοὔλαιον, καὶ τοὺς τὰ ἔρια δὲ βάπτοντας ὡς ἀφανίζοντας τὴν λευκότητα τῶν ἐρίων* (cl. Clem. Alex. paedag. II p. 77. Strom. I p. 126 Sylb. Senec. Nat. quaestt. IV, 13). Cf. Virg. Georg. II, 465 sq.: „Alba nec Assyrio fucatur lana veneno, Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.“ Quicquid enim nativum odorem vel colorem mutat, dum aliud quid admiscetur, id corrumpitur et vitiatur. Ita Homerus loco celeberrimo (Il. *δ*, 141): *ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μίηνῃ* (Virg. Aen. XII, 67 sq. Stat. Achill. I, 308), et pictores ubi diversos colores miscent, vocatur *φθείρειν*, *φθορά*, Plut. Symp. quaestt. VIII, 5. de EI ap.

Delph. 20. de def. orac. 47. Hemst. ad Luc. Prom. 5. Hic exspectares potius *vellus murice vitiari*, sed murex quoque dum lanam tingit, corruptus dici potest, eo magis quod Calabrica lana, Tarentina inprimis, colorem quendam pulliginis habebat (Plin. H. N. VIII, 48, 78). Generis eximii, inquit Columella (VII, 2), Milesias, *Calabras*, Apulasque (lanas) nostri existimabant, earumque optimas Tarentinas, cf. c. 4. Varr. R. R. II, 2. Lorenz, de civit. vett. Tarent. p. 6 sqq. *Bacca conchae*, margarita, cf. Virg. Aen. I, 635, haec *raditur*, quia teste Plinio (H. N. IX, 35, 54) crassescunt in senecta conchisque adhaerescunt nec his avelli queunt nisi lima. De insana Romanorum in unionibus luxurie conferri potest Böttiger, Sabin. II p. 122 sqq. Ut Plinius narrat (XXXIII, 4, 21), aurum canalicium, quod effodiebatur, marmoris glareae inhaerebat; quod effosum erat, tundebatur, lavabatur, urebatur, in farinam molebatur, coquebatur. Hinc intelligitur, quid sit *pulvis crudus*, in quo auri particulae iunctae sunt cum aliis, quae segreganda sunt, quod coquendo massam fit, nam *massa* de metallis dicitur, quae igni coquuntur et emolliuntur (V, 10, Val. Fl. II, 399). Inde igitur puri metalli *venae* (v. ad I, 103) separantur, *stringuntur*, quod v. de iis usurpatur, quae tam arcte coniuncta atque mixta sunt, ut non nisi summa contentione discerni possint; cf. Lucret. I, 486 sq.: „Sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis Stringere; nam solido vincunt ea corpore demum.“ Nam huc non pertinet ea verbi significatio, qua id de solo ferro in usu fuisse dicit Plinius (XXXIV, 14, 41): „Stricturae vocantur hae omnes, quod non in aliis metallis, a stringenda acie vocabulo imposito; quod Graecis στόμωσις est.“ *Haec* pulpa igitur *peccat, vitio tamen*, luxuria, *utitur*: at *auri*, quod in templis dedicant homines, non maior deis usus est, quam frivolorum, quae iis donare solet superstitio (cf. Plat. Eutyphr. 148. *φράσον δέ μοι, τίς ἡ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς συγχάνει οὖσα ἀπὸ τῶν δώρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν;*). Si quis enim novum rerum statum ingrediebatur, is eius quem modo reliquit quasi quaedam symbola deo dedicavit, quem propitium sibi putabat, et cuius sub tutela se potissimum vixisse gratus agnoscebat. Ita qui vel aetate provectiore commoti vel alia de causa id vitae genus, quod antea coluerant, deseruerunt, huius symbola deo dedicabant, ut Veianius gladiator Herculi arma, Hor. epp. I, 1, 5. cf. Anth. Pal. VI, 178. Permulta huius usus exempla praebet Anthologiae Palatinae liber sextus, unde haec selegi. Piscatores artis suae instrumenta dis marinis (27),

Neptuno (4. 30. 38. 90), Nymphis (25. 26) aut Mercurio (5. 23. 28. 29) donant, qui et ipse piscatorum deus est (Rathgeber, Zeitschr. f. AW. 1839 p. 334 sq. Notti Napoletane I. 1842); venabula, retia, alia eiusdem generis Pani (107), Herculi (93), Mercurio (296) dedicantur a venatoribus, ut a milite arma Marti (VI, 81), lyra a citharoedo Apollini (81), aratrum a ruricola Cereri (95. 104). Fabri instrumenta artis suae Vulcano (92. 101. 117), aut Minervae (103. 204. 205) dedicant, eidemque deae tubicen tubam (46), feminae calathum, colum cett. (47. 48. 174. 274) donant, sicut artis scribendi instrumenta Musis (62. 66) aut Mercurio (63. 64. 65. 67. 68) dicantur. Eodem pertinent faceta epigrammata, quibus Lais anus facta speculum, cuius iam nullus ei usus est, Veneri donat (1. 18. 20). Similiter qui servitutem effugerat, catenas ut symbolum diis consecravit (Hor. Sat. I, 5, 65 sq. Mart. III, 29). Iuvenes quoque qui ad virilem aetatem transgrediebantur, capillos quos aluerunt, tunc detonsos, ut pueritiae signum, deo cuidam, praesertim Apollini (A. P. VI, 198. 278. 279. Non. s. v. *cirros*. Casaub. ad Theophr. 21) dedicabant, quod in delicatis pueris saepius commemorant poetae Romani (Iuv. III, 186. Mart. V, 48. IX, 15; 16. XII, 84. Stat. Silv. III, 4). Verum hic mos, capillos in honorem deorum tondendi latius patebat. Etenim si quis quasi novam vitam incipere videbatur, is comam tondebat et dis dedicabat, id quod tunc potissimum locum habebat, cum quis a magno periculo deorum ope integer evaserat et vitam quasi denuo sibi donatam censebat. Itaque parentes liberorum gravi morbo sanatorum capillos dis dedicant (Anth. Pal. VI, 155. 156), qui ex itinere periculoso salvus rediit (Anth. Pal. VI, 199) et praesertim qui ex tempestate salvus effugerat caput radebat (Anth. Pal. VI, 164. Lucian. de merc. cond. 1. Hermot. 86. Iuv. XII, 81 sq. Artemid. II, 23). Etiam qui manumissi erant capite raso pileum accipiebant (Serv. ad Virg. Aen. VIII, 564. Plaut. Amph. I, 1, 306. Plut. Flamin. 13 ib. Bähr.), non, ut Nonius (s. v. *qui liberi*) ait, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, sed quia novam vitae conditionem accipientes, antiquae signa dis sacrabant. Virgines quoque ante nuptias comas tondebant (Poll. III, 38. Hesych. s. v. *γάμων ἔθη*. Paus. I, 43, 4. II, 32, 1), in honorem Iunonis (Anth. Pal. VI, 33), Dianae (Anth. Pal. VI, 276. 277), Minervae (Stat. Theb. II, 253 sqq. Anthol. Pal. VI, 59), quod eadem ratione explicandum est; quo pertinet etiam quod Vestales capillos demebant, cum captae essent (Plin. XVI, 44, 85. Fest. s. v.

capillatam), nisi cum Hartungio (Rel. d. Röm. II p. 117) inde explicetur, quod sui iuris fiebant virgines Vestales. Zona virginalis duplici sensu adhibetur apud antiquos, aut ita, ut virginem notet, quae virum nondum experta est, aut eam quae nondum peperit, unde *μίτραν λύειν, zonam solvere*, de ea dicitur, quae virginitatem amittit et de ea, quae primo partu uterum solvit, cf. Schrader. ad Mus. c. 20 p. 340 sqq. Itaque zonam dedicabant virgines nupturae Veneri (Theocr. XXVII, 55) aut Minervae (Paus. II, 33, 1 cl. Welcker. Aesch. Tril. p. 292), nec minus feminae post primum partum Dianae (Schol. Apoll. Rhod. I, 288. Anth. Pal. VI, 201. 202. 204. Schläger, de Diana *λυσιζώνῳ*. Hamb. 1725) eius cui iam valedixerant conditionis signum. Qui autem togam virilem sumserunt, ii insignia pueritiae, bullam (cf. V, 31) et ludicra (Anthol. Pal. VI, 309) diis donabant, similiterque virgines adultae ea, quibus parvae puellae luserant, Veneri aut Dianae dedicabant, cf. Anthol. Pal. VI, 280:

Τιμαρέτα πρὸ γάμοιο τὰ τύμπανα, τήν τ᾽ ἐρατεινὴν
σφαῖραν, τόν τε κόμας ῥύτορα κεκρύφαλον
τάς τε κόρας, Λιμνᾶτι, κόρᾳ κόρα, ὡς ἐπιεικές,
ἄνθετο, καὶ τὰ κορᾶν ἐνδύματ᾽, Ἀρτέμιδι.

Ibi ut n. l. memorantur *pupae*, quibus, ut apud omnes fere omnium temporum populos (cf. Grimm, Kinder und Hausmärchen II p. LVII), apud Graecos quoque et Romanos infantes et praesertim puellae gaudebant. Dicebantur *pupae* et *pupi* (Non. s. v.) *κόραι, νύμφαι, πλάγγονες* cett. et qui eas fecerunt *κοροπλάθοι* cf. Dio Chrys. XXXI t. p. 647 R. Schol. Theocr. II, 110. Spanh. ad Iul. Caes. (preuv. p. 107). Piers. ad Moer. p. 235 sq. Intpp. Thom. Mag. p. 552. Ruhnk. ad Tim. p. 165 sq. Osann. auct. lex. Graec. p. 9. Hodieque talia sigilla, ossea praesertim, ex antiquitate supersunt, cf. Caylus Rec. VI, 90, 3. Boldetti osserv. p. 496. R. Rochette, ant. chrét. III t. 8, 4. Quare aptissime sane *pupos* Veneri consecrabant virgines, quod moris fuisse dicit Varro apud schol. (cf. schol. Hor. Sat. I, 5, 65). Quo pertinet locus Dionysii Halic. (XI, 39 p. 719 sq.), si vera est Ruhnkenii ingeniosa coniectura. Ibi de Virginiae funere ab omnibus cum luctu celebrato sermo est: *Ἐξεπήδων γὰρ ἐκ τῶν οἰκιῶν γυναῖκές τε καὶ παρθένοι τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας, αἱ δὲ κόρας ἀθύρματα παρθενικὰ* (ita Ruhnk. pro vulg. *αἱ δὲ ἀθύρματα κόμης παρθ.*) *καί που τινὲς καὶ πλοκάμων ἀποκειράμεναι βοστρύχους·* ubi

egregie quadrant pupae ceteris virginitatis insignibus. — Multum celebrata apud antiquos scriptores sententia est, non sacrificiis amplis, sed pia puraque mente deos gaudere; cf. Plat. Alc. II p. 149 E. *καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχήν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ.* Seneca epp. CXV, 6: „Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate.“ epp. XCV, 50: „Vis deos propitiare, bonus esto.“ Hoc carm. III, 23, 17 sqq. ib. intpp. Hoc suo modo expressit Persius. Sacrificia opima dis offerre potest quivis *magnus,* dives et nobilis (I, 108. Seebode, Schol. z. Hor. I p. 9 sq.) *de magna lance* (cf. Ovid. epp. IV, 8, 39: Nec quae de parva diis pauper libat acerra, Tura minus grandi quam data lance valent), etiamsi corrupti sit animi. Exemplum affert *Messallae lippam propaginem.* Intelligit autem, ut schol. notat, L. Aurelium Cottam Messallinum. Hic fuit M. Val. Messallae Corvini, egregii illius viri, triumpho, eloquentia, totque illustrium poetarum, quos fovit et auxit, amicitia insignis, alter filius, a matris fratre L. Aurelio Cotta adoptatus. Patris fratrisque dissimilis a tanti generis virtutibus degeneravit, atrocis ingenii et foedus Tiberii adulator (Tac. Ann. V, 3. VI, 5). Is inter insignes helluones recensetur (Plin. X, 22, 27), unde vitio oculorum laborabat, quod ex intemperantia potissimum oriebatur (V, 77), quare *lippus* vocatur. Cf. Wiese, de M. Val. Messallae Corvini vita et studiis doctrinae p. 36 sq. Quae talis homo non potest sacrificare, ea diis offerenda sunt, *ius* et *fas,* i. e. divina et humana iura (Serv. ad Virg. Georg. I, 269), *animo* inter se *composita,* sicut ipsa mens composita dicitur (Sen. ep. II, 1). *Recessus mentis* ut *φρενῶν μύχος* (Theocr. XXIX, 3). *Pectus incoctum,* ita ut penitus perfusum sit (Virg. Georg. III, 397. Bünem. ad Laet. I. D. II, 8, 62. de ira dei 13, 4), *generoso honesto,* ut Lucan. II, 389: rigidi servator honesti. Exempla adiectivorum duorum ita coniunctorum, ut alterum substantivi vice fungatur, v. ap. Obbar. ad Hor. ep. I, 2 p. 39. Cf. III, 31 sq. *Haec cedo,* da, ut *templis admoveam* (cf. Cort. ad Lucan. I, 608), et *farre,* quod est simplicissimum et vilissimum, et antiquitus dis offerebatur (Hor. carm. III, 22, 19. Plin. XVIII, 2) *litabo,* sacrificando deos propitios habebo, cf. Virg. Aen. V, 745. Liv. XXVII, 23, 4. Plaut. Poen. II, 41 sq.

SATIRA III.

ARGUMENTUM.

Ut huius satirae argumentum recte intelligatur, cavendum est, ne ab uno quodam exemplo, quo poeta utitur, sumtum constituatur, verum omnibus exemplis, quae in hac satira ad unam rem tractandam proponuntur, diligenter examinatis, quodnam ex hisce summum argumentum appareat, quaerendum est. Persius enim ex more suo initio satirae non argumentum proponit, de quo dicturus est, sed lectorem quasi in medias res acturus, ab exemplo initium facit, quod etsi ad summam quaestionem, quam tractaturus est, pertinet sane, non tamen totam repraesentat, sed ex parte tantum, itaque ea quoque, quae sequuntur, accuratius consideranda sunt, ut id, quod in animo habet poeta, probe atque ex omni parte cognitum habeamus. Quodsi tenemus, facile observamus, exempla sua ita disponere poetam, ut alternent eius hominis imago, qui dum bene novit quae sequenda sint, tamen a se impetrare non potest ut assidue sequatur, atque eius, qui quid rectum sit, quid falsum omnino non potest discernere et inde, si peccat, excusationem habet. Apparet iam in diiudicanda quaestione de argumento huius satirae, non esse nimium tribuendum primo iuvenis in discendo desidiosi exemplo, sed quaerendum, quid statuendum sit, omnibus inter se collatis. Scripta vero est haec satira de iis hominibus, qui cum philosophia magistra, quae sola ad recte vivendum viam monstrat et munit, cognitum habeant quid bonum sit, quid pravum, tamen, quae est humanae naturae debilitas, optimam ducem sequi non sustinent, et bene conscii, quid delinquant, perditorum tamen exemplum imitantur, qui inde tamen excusantur, quod nesciunt quid perdant. Iam videamus, quomodo singula tractaverit poeta.

Exemplo a vita quotidiana petito fingit iuvenem, qui e more eius temporis studiis litterariis operam dat, quae tamen negligit, et usque ad meridiem hesternam crapulam edormit, unde indignabundus eum suscitat magister (v. 1—7). Ille quid faciendum sibi sit non ignarus, ad studia se componit, verum sicut infantulus iracundus quaecunque ad scribendum necessaria sunt ut inutilia culpat et reiicit, frustra animi desidiam dissimulare studet (v. 7—19). Itaque admonetur a comite, ne se ipsum fallat, suasque res sedulo agat nunc ubi tempus sit

discendi (v. 19—24), nam neque quod modico contentus tantum a maioribus acceperit, ut securus vivere possit (v. 24—26), neque quod e nobili genere ortus sit, excusationem ei praebere (v. 27—29). Talibus enim fallitur populus, non iis, qui bene cognitum habet, te longe aliter sentire et desidia tantum motum talia fari (v. 30). Nam Natta, qui dissolutam vitam agit, ea tantum re excusatur, quod omnino non potest discernere inter bona et prava, et ita vitiis obrutus est, ut inde emergere nequeat (v. 31—34). Verum haec omninum gravissima poena est, scire aliquem, quid sit virtus, quam ipse reliquerit, et peccatorum conscientia torqueri (v. 35—43). Pueris quidem, qui non nisi puerilia curant, nec sciunt quid faciant, iure condonabitur, si quoquo modo seria effugiant et vitare studeant (v. 44—51); verum is, qui iam imbutus philosophia cognitum habet, quae sequenda sint quaeque evitanda, non debet omissis seriis inania sectari, verum certo consilio, quod semel probavit, sequi (v. 52—62). Etenim ita sumus comparati, ut, nisi ab initio diligens et assidua cura adhibeatur, crescant vitia et vincant, sicut morbo a principio neglecto medicus postmodo non potest mederi (v. 63—65). Sola autem philosophia est, quae docet, quid rectum sit, cuius studium semper et omni tempore hominem securum praestat, non negligendum prae iis, quae suppeditant ea, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt (v. 66—76). Quamquam talia praecepta ridentur ab iis, qui ut hircosi centuriones omnem animi culturam respuunt, et cum melius quid et altius cognoscere omnino non possint, sua inscitia contenti sunt (v. 77—87). Verum quis tandem exitus manet eum, qui cum se aegrotum esse intelligat, tamen morbo iustam medelam adhibere non vult? Primum quidem, quae iussit medicus, perficit, mox vero non potest abstinere iis, quae nocitura esse ipse bene scit, et admonitus excandescit, denique monitore remoto, omnes libidines implet. Nec tamen poena caret, quae necopinantem occupat, cum inter ipsas delicias mors eum abripit (v. 88—106). Fortasse dicas, quid haec ad me? Ego sanus sum (v. 107 — 109). Sit sane, sed animi vitiis nonne laboras? Accuratius te ipsum examina, ab avaritia et libidine te laborare, timore et ira animum tuum commoveri invenies (v. 109 — 118). Atqui (haec cogitatione supplenda sunt) animi vitia eandem curam, idem studium poscunt, ne vincant.

Apparet ab altera parte iuvenis desidiosi exemplum, qui contra suam ipsius conscientiam se atque alios fallere studet,

quod postea ad eum, qui philosophiae praecepta bene sibi cognita negligit, ita transfertur, ut idem videri possit, et aegroti repraesentari, qui cum morbum perspexerit, tamen ut animo indulgeat, dissimulat et ne monitus quidem agnoscere vult, donec mors eum opprimit, quod eadem ratione de animi vitiis valet. Ab altera parte Nattae vitiis perditi hominis, puerorum, qui ludicra curant, centurionum omni animi cultura destitutorum exempla proponuntur eorum hominum, qui inter bonum et malum, rectum et pravum discernere omnino nequeunt. Videmus hic quoque Persii morem, quo unam quidem rem, sed non uno modo tractat, diversis potius exemplis e vita quotidiana, cuius diligens observator fuit, petitis illustrat. Itaque nec in hac satira dialogus cum una eademque persona a principio usque ad finem habetur, sed oratio vivida, sicut naturae cuiusque exempli convenit, mox dialogi formam induit. Neque ordo, quo res tractat, arte caret. Nam cum primum iuvenis desidiam et inaequalitatem ad vivum pinxerit, exemplo Nattae, quod commode attulit, digitum in id intendit, quod summum in hac satira est, idque breviter quidem sed egregie et mira cum vi exprimit. Ab hac sententia, quam in universum enuntiavit, ad singula rursus descendens, contrariam viam init, et ab imagine pueri incipiens, quem aetas et animus puerilis excusant, ad eum iterum transit, qui praeceptis philosophiae neglectis, sine certo consilio in diem vivit, quem, quid faciendum sit, graviter admonet. Cui admonitioni optime tertium exemplum adiungit eorum, qui inscitia et torpore submersi, dum sibi placent, talia contemnunt et rident. Quare omissa philosophia aliunde petitum exemplum affert, de aegroto, qui morbum, quem agnovit, ipse negligit, donec morte opprimitur, quod denique ad animi vitia applicandum esse raptim monet et ita, ut quid velit, ex iis, quae antecedunt, colligendum magis sit, quam expressum.

Ut schol. narrat, transtulit poeta hanc satiram ex Lucilii libro IV, in quo luxuriam divitum et vitia castigavit. Fragmenta, quae ex hoc libro servata sunt, ex parte pertinent ad tale argumentum, neque tamen ita comparata sunt, ut illam Persii imitationem probent. Neque sufficiat haec notitia, ut fragmentum Lucilii (inc. 1) ad v. 67 sqq. laudatum ideo quarto libro lectum esse putemus.

SATIRA III.

v. 1—9. Romani proceres haud facile in publicum prodibant sine *comitibus;* itaque non servi solum dominum sequebantur, sed amici quoque et clientes hoc officium patronis praestabant, unde frequens comitum mentio est, cf. ad I, 54. Iuvenes comitabantur prae ceteris ii, qui puerorum curam gesserant, paedagogi et praeceptores, cf. V, 32. Mart. XI, 39, 2. Inter eos non deerant philosophi, quibus vix carebat familia dives (Böttiger, Sab. II, p. 36 sqq.), quales a superbis adolescentulis indigne habitos describit Gellius (VI, 10): „Nunc videre est philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores iuvenum divitum, eosque ibi sedere atque operiri prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.“ Ita hic comites iuvenem divitem convenire finguntur, qui cum eo tempore dormiat adhuc, quo ceteri negotia sua fere perfecerunt, unus ex eorum numero irae non temperat, et iurgiis desidiosum suscitat. *Nempe* initio orationis positum (cf. Hor. sat. I, 10, 1 ib. intpp.) egregie convenit indignanti, qui quod saepe iam vituperavit, denuo observat; cf. Dissen. ad Tibull. I, 2, 61. *Clarum mane* cf. Auson. ephem. 1: „Mane iam clarum reserat fenestras.“ *Fenestrae* tabulis clausae sunt, per quarum *rimas* lux intrat, easque patentiores apparere facit i. e. *extendit,* cf. Winckelm. epp. II p. 478 sqq. Similiter Mart. Cap. II p. 47 H. Gr.: „Aurora primo convenustans habitu Surgens fenestras dissecaret lumine.“ *Stertimus,* prima pluralis persona cum indignatione loquentis est. Summum pretium habebat *vinum Falernum* (Plin. XIV, 6, 8), Horatio *ardens* (carm. II, 11, 19), *severum* (carm. I, 27, 9), *forte* (sat. II, 4, 24), Lucano etiam *indomitum* (X, 163): „Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.“ *Despumatur* vinum, dum coquitur (Virg. Georg. I, 296), tum h. v. omnino de iis usurpatur, quorum nimius fervor minuitur atque componitur (Senec. de ira II, 20. epp. LXVIII, 11. XCIX, 24). Romani quammaxime horologiis utebantur solariis, in quibus umbra gnomonis lineas tangit, quae horas designant; eorum ratio ex permultis, quae servata sunt, perspici potest, cf. Becker Gall. I p. 186 sq. *Quinta linea* proxima est meridiei, et in hanc, ut ait Martialis (IV, 36, 3), varios extendebat Roma labores, tum vario modo a seriis requiem et relaxationem quaerebant (Plin. epp. IX, 36. Auson. ephem., loc. ordin. coqui v. 1 sq.). *En* aptum est in

oratione commotiore, cf. Ruhnk. ad Terent. Phorm. II, 5, 15. *Insana canicula*, quam Horatius (epp. I, 10, 16) rabiem canis dicit, cuius tempore maxime fervet aestas, *messes coquere* dicitur, ut apud Martialem (X, 62, 7) tostam fervens Iulius coquit messem. Circa meridiem vero pecudes umbras et frigora captant (Virg. Ecl. II, 8). Hisce comitis verbis expergefactus iuvenis exsilit, quasi summo studio opus aggressurus, et qui ipse desidiosus tempus suum perdidit, excandescit cum non statim accurrit servus. *Vitrea bilis,* ut apud Horatium (Sat. II, 3, 141 ib. intpp.) *splendida,* vocatur a colore splendescente, unde nomen accepisse videtur Schwenckio (Mus. Rhen. a. 1832 p. 100 sqq.). *Vitreus* non de iis usurpatur, quae e vitro facta sunt, sed quae vitri colorem splendoremque prae se ferunt, Iacob. quaestt. epic. p. 82. Denique nimia ira abreptus exclamat iuvenis: *findor,* ut Chrysalus apud Plautum (Bacch. II, 3, 17 sqq.): „Heu cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur, Istius hominis ubi fit quaque mentio," et nos: *Es ist zum bersten!* Similis voc. *rumpere* usus est, v. Weichert. poett. latt. rell. p. 401. Hoc ad vocis contentionem referens subiicit alter: *ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.* Arcadici enim asini maxima apud antiquos fama gaudebant, Varr. R. R. II, 1, 14; 6, 1. Plin. VIII, 43, 68. Plaut. Asin. II, 3, 67. Iuven. VII, 160. Auson. epigr. LXXVI, 3 sq. *Arcadiae pecuaria* hinc desumsit Luitprandus a Casaub. l. (Hist. I, 40): „Uxor tua quia regem noluit, aut, ut magis credendum est, non potuit, asinum te, ne mentiretur, effecit, dum te etiam cum Arcadiae pecuaribus ad praesepe declinare coegit." *Rudere,* quod est v. legitimum de asinorum clamore, producta antepenultima habet etiam Auson. l. l., correpta Virg. Georg. III, 374. Aen. VII, 161. Ovid. Fast. VI, 336.

v. 10—24. Iam studiorum instrumenta in manus sumit quasi opus aggressurus, sed propriam ignaviam dissimulans, ea accusat, quibus usurus est. De instrumentis scriptoriis, quae hic commemorantur cf. in universum Becker. Gall. I p. 165 sqq. *Membranae* altera tantum parte inscribebatur (v. intpp. Iuv. I, 5), ea, qua pili erant, pumice diligenter levigata, et in usum certe elegantiorum hominum variis coloribus pingebatur, unde *bicolor* vocatur. Cf. Isid. Orig. VI. 11. Ovid. Trist. III, 1, 13: „Quod neque sum cedro flavus, nec pumice levis." Luc. de merc. cond. 41: *Ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τούτοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοί, πορφυρᾶ δὲ ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα.* Neque minus ad cultum pertinebat, quod *positis capillis* (de

ambiguitate h. vv. cf. Madvig. ad Cic. de finn. II, 20, 64) exprimitur, membranae politura, cf. Tib. III, 1, 10. Mart. VIII, 72, 1 sq. Capilli etiam alibi de animalium pilis usurpantur, cf. R. Tit. ad Liv. XXXII, 1, 10. De *chartis* agit Plinius XIII, 11, 21 sqq., idem de *calamis,* quibus ad scribendum utebantur veteres, XVI, 36, 64, cf. Schwarz de varia supellectile rei libr. ap. vett. § 7; hic *arundo,* ut vs. 14 *fistula,* sicut apud Marcell. Empir. 10 *calami scriptorii fistula; nodosa,* ut apud Ausonium (epp. IV, 75) *nodi Cnidii* de calamo scriptoris. Comparari possunt picturae antiquae, quae instrumenta scriptoria repraesentant, Mus. Borb. I t. 12. De variis *atramentorum* generibus v. Vitruv. VII, 10. Plin. XXXV, 6, 25 (cl. XXXVII, 7, 28). Qui si affirmat, ex *sepia* non fieri atramentum, considerandum est, eum ibi de pictorum coloribus potissimum agere, atramenti librarii non nisi obiter mentionem facere. Non solum Persius h. l., sed etiam Ausonius (epp. IV, 74. VII, 54) testantur sepia scripsisse antiquos. Morosus ille igitur primum nimis *crassum humorem calamo haerere* queritur, tum aqua infusa nimis pallidum factum et tantopere dilutum esse, ut guttas distillans calamus chartam maculet. *Miser* de eo, qui prava stultitia laborat, ut v. 66, 107. V, 65; Graecis *τάλας,* e. g. Arrian. diss. III, 2, 9; 16. *ultra miser* i. e. longius miseriae progressus. Tu, inquit poeta, ea ratione te geris, quae infantem decet delicatum, nam, quod ait Seneca (de ira II, 21), nihil magis facit iracundos, quam educatio mollis et blanda, ideo unicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est; non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas semper sollicita mater abstersit, cui de paedagogo satisfactum est. Tales sunt *regum,* divitum ac procerum (v. ad I, 67. II, 37) *pueri,* cf. Hor. carm. II, 18, 34. Dio Chrys. or. XL. p. 514, t. II p. 205 R.: *πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως — διαφερούσης οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην τῶν παίδων τῶν βασιλέων.* Hi blandis nominibus vocari solent, quale est *columba,* v. Plaut. Asin. III, 3, 103. Casin. I, 50. *Tenero* cf. ad I, 98. Infantes fracta voce balbutientes *papa* dicunt non patrem solum, sed cibum quoque, ut docet Non. s. v. *buas,* potionem positam parvulorum. Varro Cato vel de liberis educandis: cum cibum ac potionem buas ac papas docent (dicunt) et matrem mammam, patrem tatam. Inde verbum *papare* factum, quo utitur Plautus (Epid. V, 2, 62): „Novo liberto opus est, quod papet;“ cf. gloss. H. Steph. p. 152 *pappat, μασᾶται. Minutum,* quia ciusmodi

cibos manducant infantes. *Mamma* et ipsa vox puerilis, ut apud Graecos *μάμμη* (cf. Piers. ad Moer. p. 258 sq. Lob. ad Phryn. p. 133 sqq.), matrem, aviam et nutricem significat (cf. gloss. vet. apud Scalig. epp. IV, 327 p. 639: *ἡ τροφός· mamma*). Frequens mammarum mentio in titulis est, ubi persaepe dubius haereas, quonam referendum sit vocabulum, v. exempla apud Grut. 662, 9, 10. 663. Nutrices autem inquietis infantibus cantilenis somnium conciliabant, quod Graecis *βαυκαλᾶν* est, cf. Athen. XIV p. 619 E. Valcken. anim. ad Ammon. I, 10 p. 46. Intpp. Moer. p. 102 sq. Hoc Persius vocat *mammae lallare,* eumque imitatus Hieronymus ep. V (I) t. IV, 2 p. 7 Ben.: „Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammae lallare congeminet.“ Similiter Ausonius epp. XVI, 90 sq.: „Nutricis inter lemmata, Lallique somniferos modos.“ Cf. de hoc v. Turneb. Advv. XVIII, 34. XIX, 21. Scaliger lectt. Auson. II, 11. Dunkel de v. *lallare* disceptatt. critt. in Opuscc. soc. litt. Duisb. fasc. I p. 65 sqq. Vides imaginem infantis irati, qui, dum nutrix cantando sopire studet, clamore papare poscit. Ille acerba hac admonitione nihil motus tamen pergit: *An tali studeam calamo?* ut apud Horatium (sat. II, 3, 7) „culpantur calami.“ *Cui verba* sc. das, quis est, quem fallere cupis, IV, 45. Plaut. Epid. I, 1, 88. IV, 2, 85. Hor. sat. I, 3, 22. Sen. epp. XXXII, 1. Mart. II, 76. *Ambages* ad fallendum (Liv. IX, 11, 12), *succinere,* non clara voce, sed demissa, quasi ipse sibi sit conscius; nam succinere is dicitur, qui alterum praecinentem comitatur, cf. Petron. 69. Varr. R. R. I, 2: „Agricultura succinit pastorali vitae, quod est inferior, ut tibia sinistra dextrae.“ *Tibi luditur,* tua res est, quae agitur, non aliena. *Effluis* referendum ad sequentia, in quibus homo cum vasculo fictili comparatur, quod nondum bene coctum est, itaque inutile est nec liquorem continere potest. Eadem translatione quamquam alio sensu utitur Terentius (Eun. I, 2, 25): „Plenus rimarum sum huc atque illuc perfluo.“ *Effluere* autem sicut *manare* et similia non solum de liquore, qui fluit, sed etiam de re, quae fluere facit vel sinit, vel adiecto accusativo ponitur, e. g. Petron. 71 „amphorae ne effluant vinum,“ cf. Claud. de cons. Probi et Olybr. 51 sq. Heins. ad Ovid. Met. VI, 312. Munck. ad Hygin. 9. Intpp. Tac. Ann. II, 23, vel nullo casu adiecto. *Contemnere* ab Horatio desumptum (sat. II, 3, 14) non immerito a schol. vituperatur, quippe quod comparationem cum vasculo institutum turbat. Vasa enim fictilia ab emptoribus percutiendo examinabantur, et si quae non bene cocta

erant, corrupto sono vitium, quod oculos effugiebat, patefaciebant. Geopon. VI, 3, 2. *Τινὲς μὲν οὖν ἀρκοῦνται τῇ δοκιμασίᾳ τοῦ καλῶς κεκεραμευμένου πίθου τῷ κρουσθέντα αὐτὸν ἀποδοῦναι ἦχόν τινα ὀξὺν καὶ τορόν.* Cf. Schol. Arist. Nubb. 317. Suid. s. v. *κροῦσις.* Hoc a scriptoribus antiquis, philosophis praesertim, praeeunte Platone multifariam adhibitum est. Cf. Theaet. p. 179 D. *Σκεπτέον τὴν φερομένην ταύτην οὐσίαν διακρούοντα, εἴτε ὑγιὲς εἴτε σαθρὸν φθέγγεται.* Phileb. p. 55 C. *Γενναίως, εἴ πή τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περικρουῶμεν.* Lucian. paras. 4. *Εἰ συνάδει σκοπῶμεν καὶ ὁ περὶ αὐτῆς λόγος, ἀλλὰ μὴ καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι διακρουόμεναι μὴ σαπρὸν (σαθρόν* leg. cum Casaub.) *ἀποφθέγγηται.* Damasc. apud Suid. s. v. *πρόσοιτο: Ἦν δὲ ἱκανὸς ἰδεῖν, ὅπη τε σαθρὸν φθέγγεται ὁ λόγος καὶ ὅπη ὑγιές.* Plut. de adul. et am. disc. 34 p. 64 D.: *Κἂν διαπειρώμενος κρούσῃς, σαθρὸν ἔκ τινος προφάσεως ὑπηχεῖ καὶ ἀγεννές.* Cf. ib. Wyttenb. p. 392 sq. Lips. Toup. ad Longin. p. 192. Haec accurate expressit Persius. *Sonare vitium* (ut mortale sonans Virg. Aen. VI, 50. pingue sonantibus Cic. p. Arch. 10, 26. raucum sonare Ovid. A. A. III, 289. sincerum sonere Lucret. III, 886. cf. ad I, 90. Reisig. gr. lat. § 382), est *σαθρὸν φθέγγεσθαι, respondere* sc. percutienti *ὑπηχεῖν. Malignus* non solum de animi vitio usurpatur, sed de rebus, quae ita comparatae sunt, ut iis parum sufficiant, quibus a natura destinatae esse videntur; ita *maligna lux* apud Virgil. Aen. VI, 270, *malignus ignis* apud Martial. X, 96, 7 i. e. parcus, vix sufficiens, *colles maligni* i. e. steriles apud Virg. Georg. II, 179. Quamquam semper fere in his naturae malevolentia quaedam attributa videri potest, ut h. l. fidelia vitium suum invito venditore quasi quadam invidia prodit. *Viridis limus* recens est, ut viridis caseus apud Colum. VII, 8, viride oleum, viridis olivarum sapor XII, 47, crudus (cf. Sil. It. V, 569, qui utrumque iungit); quod hic vv. *non coeta,* additur, quo significatur, etiam colore vitium istud patefieri. *Viridis* enim de pallore quoque dicitur, cf. Virg. Cul. 142. Cir. 224. Eadem comparatione pergit: nondum perfectus es, ut vas illud nondum coctum, sed argilla mollis adhuc, ex qua acri studio perficiendum est. *Lutum,* quo utuntur figuli (Iuv. XIV, 35), aqua adspergitur, ut molle maneat et tractabile. *Fingendi* v. frequentissime de educatione adhibetur, e. g. Senec. ep. XXV, 1. Sil. It. VII, 358. v. Rup. ad I, 441, comparatione non tantum a figulis petita, ut h. l., sed de artificibus, qui cera argillave vultus exprimunt, cf. V, 40. *Properandus et fingen-*

dus, ut apud Plaut. Aulul. II, 3, 3: „Vascula intus pure propera atque elue."

v. 24—34. Ex mente iuvenis excusationes affert Persius, quibus desidia potissimum utebatur, ut studium et laborem a se arceret. Duo autem exempla proponit prae ceteris frequentia, primum eius, qui patrimonio, quod a maioribus accepit, modico contentus, cum habeat unde vivat, cetera securus tranquillam vitam degit, nec quidquam ulterius appetit, alterum eius, qui nobilis prosapiae fastu elatus ac tumidus, cum omnia prae se contemnat et spernat, omne studium inutile habet nec ad se pertinere putat. Itaque in primo illo exemplo omnia eo spectant, ut antiquam simplicitatem atque modestiam ante oculos ponant. Huc referendum *rus paternum* (Iuv. VI, 55) et *modicum far*, nec minus *salinum* et *patella*, quibus simplicissimi victus signis nulla domus carere potuit, ut quae in quavis familia antiquo honore fruebantur, v. diligentem disputationem Klauseni (Aen. II p. 631 sqq.). Curabatur ergo inprimis ut *salinum*, quod ex argento factum esse solebat (Val. Max. IV, 4, 3. Plin. H. N. XXXIII, 12, 54), *sine labe*, integrum, et *purum* (Catull. XXIII, 19) servaretur, cum *patella*, in qua olus et pisces decoquebantur ideoque dapes delibatae diis in foco ponebantur, unde *cultrix foci* vocatur, et *secura*, ut apud Horatium (sat. II, 7, 29 sq.) legimus: „Si nusquam es forte vocatus Ad coenam, laudas *securum olus*;" quo tranquillus et modico contentus animus egregie exprimitur. Qui ita moratus est, *quid metuat*, cur vires intendat, altiora appetat? Cui indignabundus poeta: *Hoc satis est?* obiicit, nihil ulterius est, quo tendas, praeter hanc tranquillam vitam, nihil maius est quod animum commoveat? In altero exemplo inepta iactantia notatur, quam fortiter exprimit vv. *pulmonem rumpere ventis*, pro eo quod vulgo dicitur *inflari*, Graece φυσᾶν ἑαυτόν (Bergl. ad Alciphr. I, 37. Lennep. ad Phalar. p. 206). *Stemmata*, quae post Ciceronis tempora demum in usum venisse probabiliter censet Ernestius (ad Suet. Ner. 37), quamquam contradicere videri possit Plinius (XXXV, 2, 2), discernenda sunt ab imaginibus maiorum et similia nostris stemmatibus erant, quamvis aliter existimet Eichstadius (de imagin. Rom. p. 114). In tabula enim (Iuv. VII, 6) avorum nomina (Senec. de benefic. III, 28) aut imagines pictae (Plin. XXXV, 2, 2. Suet. Ner. 37) ita disponebantur, ut lineae multis flexuris discurrentes ordinem familiae ostenderent, talesque tabulae in atrio non minus quam maiorum imagines proponebantur (Sen. l. l. Suet. Galb. 2. Mart. IV, 40, 1).

Cf. R. Rochette peint. ant. inéd. p. 342 sqq., qui tamen Plinium inutili coniectura tentat et a re aliena immiscet. Eodem quo Persius v. *rami* utitur Isidor. Origg. IX, 6: „Stemmata dicuntur ramusculi, quos advocati faciunt in genere cum gradus cognationum partiuntur.“ *Tuscum* stemma dicit, quia Tusci prae ceteris nobilitatis antiquae gloriam captabant, v. Müller. Etrusk. I p. 402 sq., et quia ipse genere Tuscus fait, cuius originis haud unum satiris vestigium impressum est. Vox *millesime* quamquam non sane premenda erit, quousque tamen insaniae etiam Romani progressi fuerint, docet vel Galbae exemplum, qui stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Iovem, maternam ad Pasiphaen retulit (Suet. Galb. 2), et Euclidis apud Martialem (V, 35, 4), qui longum pulchra stemma repetebat a Leda. Sequenti vs. *equitem* municipalem intelligendum esse docuit Niebuhr. (Mus. Rhen. I p. 354 sqq.), cl. Strab. III p. 169 A. Suet. Aug. 46. V. Marquardt hist. equitum Rom. p. 87 sqq. Similiter I, 129 sq. fastum magistratuum provincialium derisit, qui ineptissime superbire solent. Tunc v. *tuum* sensum habet aptum, oppiduli tui *censorem*, nam municipiorum quinquennales, qui censuram agebant, censores vocabantur, cf. Savigny, Gesch. d. R. Rechts im Mittelalter I p. 41 sqq. Dirksen ad tabb. Heracl. p. 184 sqq. *Trabea* autem induti erant equites in solemni transvectione ante censorem, cf. Marquardt, hist. equitum Rom. p. 66 sqq. Usitata est antiquis scriptoribus tam Graecis quam Latinis haec attractio vocativi, qualis h. l. in *millesime* et *trabeate*, cf. intpp. Theocr. XXVII, 66. Virg. Aen. II, 283. Hor. Sat. II, 6, 20. Tib. I, 7, 53. Heinr. ad Iuven. VI, 277. Permire vero repetita est particula disiunctiva *censoremve — vel*, quod non nisi ex illaudabili quadam negligentia explicari potest, quare haud mirum, si simile exemplum non potest afferri; nam quod affertur Tibulli (IV, 1, 91): „*Aut* quis equum celerem*ve* arcto compescere freno possit,“ in eo variant libri nec critici consentiunt. *Phalerae* sunt praemia militaria, praesertim equitum, cf. Ernesti clav. Cic. s. v. Haymann Anm. z. Nieupoort p. 148. Lersch, Centralmus. II p. 2. Similiter dicit Plutarchus (de cup. div. 10) *τὰ τοῦ πλούτου φάλαρα*. His atque talibus non fallitur nisi populus imperitus, ego novi te *intus* (v. 42. V, 129) et *in cute* cf. V, 116 sq. *Natta* ex Horatio (sat. I, 6, 124) desumtum nomen est. *Discinctum* autem procedere luxuriosae et dissolutae vitae signum erat, cf. Sen. epp. CXIV, 4. 6. Dio C. LXIII, 13. intpp. Hor. epod. I, 34. *Stupet vitio*, vitiis obrutus ne sensum quidem

eorum habet; similiter Ovid. Her. VIII, 111: „Saepe malis stupeo.“ *Opimum pingue,* ut *pingue densum* apud Virg. Georg. III, 124, cf. ad II, 74, *increvit fibris,* in quibus potissimum vis sentiendi inest (cf. ad I, 47), quae pinguedine nimia obtorpescit (cf. ad I, 56 sq. 96). Is igitur, quia omnino nullum vitii sensum habet, *caret culpa,* cf. Menandr. *γνωμ. μονοστ.* 430: *ὁ μηδὲν εἰδὼς οὐδὲν ἐξαμαρτάνει,* et ita vitiis obrutus est, ut non possit emergere. Comparationem desumit ab iis, qui in aqua demersi, plus semel ad superficiem redeunt, donec alto sepulti iaceant. *Altum* et *summum* ita sibi opponuntur, cf. Sen. de ira I, 16. *Bullit* naturae convenienter dixit, nam quae in aqua surgunt, bullas faciunt.

v. 35—43. Magna cum vi summum huius satirae argumentum exprimit, miserrimam eorum esse conditionem, qui cum intelligant, quid rectum sit, tamen non sequuntur. Summa igitur poena, qua deus aliquem afficere potest, ea est, ut virtutem agnoscat, quam ipse deserit. Respexit h. l. Augustinus de magistro 9: „Persius omnibus poenis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quae vitare non possunt, coguntur agnoscere.“ *Magne pater divum* ut Lucilius apud Lactant. I. D. III. 4, 12 *pater optimus divum. Velis* cf. V, 170. Heindf. ad Hor. sat. I, 4, 111. *Libido tincta veneno movet ingenium,* i. e. animi indoles prava peccandi cupiditate incitata corrumpitur. *Tingi* dicuntur, quae penitus colorem imbibunt, quod ad animum saepe transfertur, cf. Sen. epp. XXXVI, 4: „Non illa, quibus perfundi satis est, sed haec, quibus tingendus est animus.“ Gravius sententia *virtutem videant* ita enunciatur, quam si particula cum praecedentibus coniungeretur. *Intabescant,* ut Ovidius (Met. II, 780) de Invidia: „Sed videt ingratos, intabescitque videndo Successus hominum.“ Notissima et per totam antiquitatem celebrata fabula est de *tauro,* quem Perillus Phalaridi confecit, de qua copiose egerunt Böttiger. Ideen z. e. Kunstmyth. I p. 359 sqq. Ebert *Σικελ.* p. 40 sqq. Pauly, Kunstbl. 1835 n. 57. Nec minus nota historia de *Damocle* Dionysii parasito est, qui cum a Dionysio expetiisset, ut unum diem tyrannum ageret, in summo lautitiarum cumulo ensem e lacunari seta equina aptum supra caput summa cum auxietate pendere vidit; cf. Cic. Tusc. V, 25 ib. Dav. Wyttenb. ad Plut. S. N. V. p. 54. Intpp. Hor. carm. III, 1, 17. *Purpureae cervices* i. e. purpura indutas, ut purpurei tyranni (Hor. carm. I, 35, 12), purpureus scurra (Iuv. IV, 31). *Imus prae-*

cipites cf. Suet. Tib. 67. *intus* v. 30. *Pallere* c. accusativo coniunctum, v. V, 184, Huschk., anall. critt. p. 29. Scelus, cuius conscientia te angit, ne uxor quidem scit, quae tibi proxima est.

v. 44—51. Pueros, quibus nihil praeter ludos curae est, decet etiam per fallacias iis se subtrahere, quae serio agenda sunt. *Saepe oculos tangebam,* leviter ungebam, ita ut apparerent vestigia (cf. Ovid. A. A. I, 661 sq.: Si lacrimae — Deficient, uda lumina tange manu. Iuv. II, 93 ib. intpp. Cort. ad Lucan. III, 238), *olivo*, ut vitiosi viderentur, nam oleum variis modis inter oculorum medicamenta adhibebatur, v. Plin. XXIII, 4, 38; 40; 42; 47. His atque similibus fraudibus utebantur pueri ut discendi labore liberarentur. Pueri enim, qui primis rhetorices elementis imbuebantur, declamationes, quarum facilius genus suasoriae putabantur, elaborabant, quarum argumenta haud raro ex historia patria petebantur, et celeberrimis nominibus splendebant, ut vel Sullae et Hannibalis exempla apud Iuvenalem docent (I, 16. VII, 161 sqq. X, 167). Cf. de toto genere Quintil. III, 8. Ita hic quae *Cato* Uticensis *moriturus,* ad mortem paratus (cf. Wagner, quaestt. Virg. XXVIIII p. 512 sqq.), secum deliberavit, argumentum declamationis affertur, aptissimum sane, in quo exornando *grandia verba,* magnifica et tumida (cf. I, 14.) profunderentur, atque frequenter adhibitum in loco de contemnenda morte, ut docet Seneca (epp. XXIV, 6). Etenim cum declamationes in ostentationem maxime componerentur, magis magisque gliscebat studium oratione nimis florida atque turgida audientium aures mulcendi, quo nativa ingenuaque orationis puchritudo in dies magis corrumpebatur, cf. Petron. c. 1 sqq. Quint. II, 10, 9 sqq. Atque hanc corruptionem quam maxime parentum imperitorum inane studium atque gaudium (Quint. II, 4, 16) provocabat. Nam pueri ea quae composuerant, ediscebant et certa quadam, ut ex Iuvenalis loco (VII, 160 sq.) apparere videtur, sexta quaque die declamabant, et solebant ad audiendas has declamationes parentes cum amicis invitari; Quint. II, 7, 1. X, 5, 21. Talia *laudantur* a *magistro* (cf. intpp. Petron. 55) *non sano* (cf. v. 118. Prop. I, 1, 26; 3, 8; 4, 18), cum doctores, ut ait Petronius (c. 3) cogerentur cum insanientibus furere. *Sudat* pater prae nimio animi tumultu (v. II, 53), qualem Statius describit (Silv. V, 3, 215 sqq.) patrem suum allocutus: „Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres, Mulcerem, felixque tui spectator adesses Muneris! heu quali confusus gaudia fletu, Vota piosque metus inter laetumque pudorem!“ *Iure* hoc feci, nam puer quidem excusandus est, si ceteris

ludos pueriles anteponit, quorum quaedam exempla affert. Ludebant pueri *talis* diverso modo, cf. Becker Gall. II p. 221 sqq. *Senionem* et *canem* coniungit Martialis quoque XIII, 1, 6. Omnium enim iactuum infelicissimus, ubi omnes quatuor tali singulas monadas exhibebant, appellabatur *canis*, quem *damnosum* vocant etiam Propertius (V [IV], 8, 46) et Ovidius (A. A. II, 208. Trist. II, 474). Hic igitur *radebat*, imminuebat pecuniam; *senio* autem, ubi quivis talus sena puncta monstrabat, *dexter* erat, propitius (II, 11), summus iactus in eo ludi genere, quo numerabantur puncta, quod πλειστοβολίνδα παίζειν vocat Pollux IX, 95. Senio ergo *quid ferret* (ut ferre fructus, fraudem v. intpp. Liv. XXIV, 28, 9), *scire, summum in voto erat*, item *orcae angusto collo non falli*, quod ad alterum ludi genus pertinet. Id ita explicat Pollux IX, 7, 103: Ἡ τρόπα καλουμένη παιδιὰ γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι' ἀστραγάλων, οὓς ἀφιέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου, πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις καὶ βαλάνοις ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ ῥιπτοῦντες ἐχρῶντο. cf. Schol. Plat. Lys. p. 320 Bekk. 95 R. Hic ludus, qui hodieque apud pueros in usu est, etiam ita exercebatur, ut pro illa fossula vas apponeretur, in quod tali vel nuces iacerentur, cf. carmen de nuce 85 sq.: „Vas quoque saepe cavum spatio distante locatur, In quod missa levi nux cadat una manu;“ cuius quo angustior erat apertura, eo maiore diligentia et arte opus erat in iaciendo. Aptissime igitur locutus est Persius. *Orca*, vas fictile, amphorae species (Isid. Orig. XX, 6), angusto collo, quam καυκαλίῳ confert Schol. Cruq. Hor. sat. II, 4, 66 (v. Salm. ad Spart. Pesc. 10 t. I p. 668 sq. Treb. Cl. 14 t. II, p. 282 sq.) ad varias res condendas aptum (cf. v. 76). Cum Pollux l. l. testetur talorum in hoc ludo usum fuisse, non video cur Pomponii versus, ceteroquin obscurus (apud Prisc. III, p. 615. Munck. de fabb. Atell. p. 161): „Interim, dum contemplor orcam, taxillos [ego] perdidi,“ huc non possit referri. Tertium non ut antea infinitivo adiungit, sed orationis forma paullum inflexa, *neu quis callidior* subiungit, a vv. *summum in voto erat* aptum. *Callidior torquere* (v. I, 118) *buxum*, turbinem buxo factum. Turbo enim βέμβιξ, στρόμβος tam apud Graecorum (Callim. epigr. I, 9. Schol. Arist. Avv. 1448. Aesch. Prom. 887. Suid. Hes. Etym. M. 1. v. βέμβιξ), quam Romanorum (Virg. Aen. VII, 378 sqq. Tib. I, 5, 3.) pueros usitatus fuit (quare inter Zagrei crepundia numeratur, v. Lobeck. Aglaoph. p. 699 sqq.), ut hodieque est, et flagellis agita-

batur, sicut videre est in pictura antiqua (Antiquités d' Herc. I, t. 32). Errat autem Schol. Cruq. Hor. A. P. 385, si eundem facit trochum et turbinem ; trochus enim rota fuit, quem virga movebant et regebant pueri, ut hodie quoque (cf. Hor. carm. III, 24, 57. Prop. IV, 13 [III, 14], 6. Ovid. Trist. II, 486. III, 12, 20. Rigalt. ad Artem. t. II p. 35 ed. Reiff. Heins. Advv. III, 11 p. 477. Elmsl. ad Eur. Med. 46). Is in artis monumentis saepe conspicitur in manibus puerorum e. g. Ganymedis (Maisonn. Introd. t. 30. Inghir. Mon. Etr. V t. 15. Elite céram. I, 18), Amoris (Panofka, Argos Panopt. t. 4, 2. R. Rochette Mon. Inéd. t. 44), cf. Winckelm. Mon. Ined. 194. 195. 196. R. Rochette Mon. Inéd. p. 233 sqq.

v. 52 — 62. Tu tamen non potes comparari puero, qui philosophiae operam dedisti, et quid rectum sit bene nosti; tua igitur desidia nullo modo potest excusari. *Mores curvos,* quos *intortos* alibi vocat (V, 38) *deprendere* didicisti apposita verae rationis regula, cf. IV, 11 sq. Horat. epp. II, 2, 44: „curvo dignoscere rectum." Nota tibi sunt dogmata philosophiae Stoicae, quae ut notum est nomen accepit a porticu *ποικίλη* dicta, in qua Zeno docuerat, Diog. L. VII. 5 ib. Menag. Haec Athenis in Ceramico sita (Forchhammer in Kiel. phil. Stud. p. 334 sq.) depicta erat a Polygnoto, Micone et Panaeno (cf. Zeitschr. f. Alterthsw. a. 1840 p. 830 sqq.). Eminebat autem inter quattuor picturas pugna Marathoniaca (Böttiger Archaeol. d. Mal. p. 246 sqq. Siebelis, Amalth. II p. 252 sqq. ad Paus. I, 15.), hinc dicit Persius porticum *Medis illitam. Illinendi* voc. ad quaestionem diiudicandum, utrum parietes picti fuerint an tabulis pictis vestiti, nihil videtur conferre. Nam illini quidem de iis rebus usurpatur, quarum superficies coloribus auro, similibus inducitur; *marmor, tectum, porticus auro* (Plin. XXXIII, 3, 20. Senec. epp. CXIX, 11. Calpurn. ecl. VII, 47) *cados gypso* (Plin. XVIII, 31, 73), *tabulam atramento* illinere (Plin. XXXV, 10, 36, 97) non aliter potest intelligi (unde R. Rochett. animadversio, peint. ant. inéd. p. 158, nihil valet), quare etiam h. l. simplicissimum est de picturis in ipso pariete confectis cogitare ; verum hoc non potest urgeri in poeta, praesertim cum ipsum illinendi voc. de talibus picturis non sit proprium. Itaque porticus Medis illita nihil significat nisi porticum pictura decoratam, quae Medos repraesentabat, modum non indicat. Synesius autem (epp. LIV. CXXXV.) tabulas pictas fuisse narrat, haud multo ante a. p. Chr. 402 sublatas. Cf. Letronne, lettres d'un antiq. p. 194 sqq. R. Rochette, peint. ant.

inéd. p. 150 sqq. lettres archéolog. I p. 32 sqq. Welcker, Hall. A. Litt.-Ztg. a. 1836 Oct. p. 181 sq. *Bracatos* dicit Medos, quia bracae ἀναξυρίδες, θύλακοι barbarorum, inprimis Persarum, insigne vestimentum erant, cf. Perizon. ad Ael. V. H. VII, 32. Böttig. kl. Schr. II p. 259 sqq. Severitas stoicorum sequentibus exprimitur; *iuventus insomnis invigilat* studiis philosophicis, *detonsa,* quia stoici capillos tondebant, barbam alebant, cf. Luc. Hermot. 18. vitt. auctt. 20 ib. Sol. t. III. p. 447. Bip. Scilicet ἐν χρῷ κείρεσθαι athletarum mos erat (cf. H. Iunius de coma p. 515. Müller arch. § 330, 1), itaque eum tamquam virilem sequebantur stoici eo magis, quod negligentior habitus simul erat, quare lugentes, avari (Theophr. char. 10), et omnino qui corporis cultum non curabant hac tonsura utebantur, v. Hor. epp. I, 18, 6 sq. Victus asperitas demonstratur eo quoque, quod *siliquis pasci* dicuntur *et grandi polenta,* ut Horat. epp. II, 1, 123: „Vivit siliquis et pane secundo.“ *Siliquae,* κεράτια (v. Salmas. Exercc. Plin. p. 459 sqq.) de vili cibo, cf. Iuven. XI, 58. *Polenta* ex hordeo facta, quod antequam molebatur, torrebatur (Plin. XVIII, 7, 14. XXII, 25, 59) a Graecis ad Romanos perlata est (Plin. XVIII, 8, 19) et inter simplicissimos et tenuissimos cibos numerabatur, unde Attalus apud Senecam (epp. CX, 16) dicit: „Habemus aquam, habemus polentam: Iovi ipsi controversiam de felicitate faciamus;“ cf. epp. XLV, 11. — Antiqua erat doctrina de ardua difficilique semita, quae ad virtutem duceret, et lata facilique via ad vitium, quam post Hesiodum (Opp. 285 sqq. cf. Anth. L. n. 1077 M.) multi commemorarunt, cf. Xen. Mem. II, 1, 20. Plat. rep. II p. 364 D. legg. IV p. 718 E. Huius symbolum litteram Y habuisse dicitur Pythagoras Samius (cf. Lange, verm. Schr. p. 154), quare Ausonius (eid. XII, de litt. monos. 9) dicit: „Pythagorae bivium ramis pateo ambiguis Y,“ et noster *Samios ramos.* Hoc explicat accuratius carmen antiquum (Anth. L. V, 140 B. 1076 M.): „Littera Pythagorae discrimine secta bicorni Humanae vitae speciem praeferre videtur. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem Difficilemque aditum primum spectantibus offert, Sed requiem praebet fessis in vertice summo. Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta Praecipitat captos volvitque per aspera saxa.“ Cf. Serv. ad Virg. Aen. VI, 136: „Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y litterae; scilicet quod prima aetas incerta sit, quippe quae adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Bivium autem Y litterae a iuventute incipere, quo tempore

homines aut vitia i. e. partem sinistram, aut virtutes i. e. dextram partem sequuntur.“ Eadem tradit Isid. Origg. I, 3. Cf. etiam Lactant. I. D. VI, 3, 6 sqq. Hinc explicandus est etiam nostri locus V, 34 sq. Cum Persius dextro limite surgentem callem dicat, et ceteri quoque dextrum ramum arduum vocent, antiquior litterae Y forma cogitanda est ϒ, qualis reperitur e. g. in vasculo Agyllano (Lepsius Ann. d. Inst. XIII p. 186; t. B. Franz, elemm. epigr. gr. p. 22). Quamquam igitur philosophiae operam dedisti, eiusque studio quid rectum sit, edoctus es, tamen *stertis* et hesterna crapula oscitas? Cum hac descriptione crapulantis, quam paucis sed nimis fere fortibus verbis confecit Persius, altera Lyconis potest comparari apud Rutil. Lup. II, 7. *Laxum caput,* ut *flexa cervix* apud Lyconem, *compage soluta* (quod de nave dicit Senec. de ira II, 10), quia temulentorum artus dissolvuntur, ut ait Lyco, *oscitat hesternum* (v. ad I, 90); cf. Ciceronis frgm. or. p. Gallio (apud Quint. VIII, 3, 66. fr. 1 p. 454 Or.): „Videbar videre — quosdam hesterna ex potatione oscitantes.“ Illud oscitare accuratius etiam describitur addito *dissutis undique malis,* quod ingentem oris rictum pingit. — *Est aliquid quo tendis,* num certum consilium habes? Cf. Sen. de vita beata 1: „Decernatur itaque et quo tendamus et qua.“ Quam sententiam comparatione illustrat a venatione desumpta. Utrum scis, quo *arcum dirigas,* an *corvos,* aves inutiles, *passim,* ut obviam fiunt (*passim vagari* Sen. de vita beata 1), *testa lutoque,* arrepto quidquid in manum venit, *insequeris?* Comparatur Graecum proverbium τὰ πετόμενα διώκειν, cf. Blomf. gloss. Aesch. Agam. 385. *Securus,* non sollicitus (cf. VI, 12 sq. Hor. carm. I, 26, 5 sq.), *quo pes ferat,* ut illi, qui, ut ait Seneca (de tranq. an. 12), sine proposito vagantur, quaerentes negotia, nec quae destinaverunt agunt, sed in quae incurrerunt. *Ex tempore vivis,* nullo certo consilio adhibito, ut tempus fert, cf. Hand Tursell. II p. 650.

v. 63—76. *Hellebori* utriusque, candidi atque nigri, eam esse vim dicit Gellius (XVII, 15), ut humores noxios, in quibus causae morborum sunt, extrahat; nigrum hydropicis mederi tradit Plinius (XXV, 5, 22) Dioscoridem (IV, 151) secutus. Hydrops autem, ex quo *cutis aegra tumescit,* fieri potest longus, teste Celso (III, 21), nisi primis diebus succurritur, quare hic prae ceteris valet illa e re nata atque multum celebrata sententia, *venienti occurrere morbo;* cf. Theogn. 435 sq. (1133 sq.), ubi similia subscripsit Welcker. Ovid. rem. am. 91. Quod si feceris, nihil opus est medicorum, ut ait Seneca (brev.

vit. 8), genua mortis periculo propius admoto tangere. *Craterus* medicus maximae auctoritatis nominatur apud Ciceronem (epp. ad Att. XII, 13, 1; 14, 4) et Horatium (Sat. II, 3, 61), eundemque a Porphyrio (de abstin. I, 17 p. 29 G.) commemorari suspicatur Victorius (VV. LL. IX, 12); Persius hoc nomen ut *θετικόν* usurpavit (Weichert. poett. Latt. rell. p. 420). *Magnos promittere* montes ex proverbiali locutione; v. Terent. Phorm. I, 2, 18: modo non montes auri pollicens (cf. Plaut. Mil. IV, 2, 73: argenti montes non massas habet. Iuven. XII, 129: montibus aurum exaequet); Sall. Cat. 23, 3: maria montesque polliceri coepit. Eadem ratione vitiis obviam eundum est studiis philosophicis, quae virtutem docent et alunt. *Discite* cf. v. 73. V, 91. *Miseri* v. 15. *Causas cognoscite rerum,* quia philosophia studium sapientiae est, ut ait Cicero (de off. II, 2, 5), sapientia autem rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus hae res continentur, scientia. Stoici enim duo esse in rerum natura dicebat, ex quo omnia fierent, causam et materiam (Sen. epp. LXV, 2). Ita Virgilius (Georg. II, 490) felicem praedicat, qui potuit rerum cognoscere causas. Sequentibus vss. primaria philosophiae praecepta complectitur, similiter ac Lucilius vss. apud Lactantium (I. D. VI, 5, 2. fr. inc. 1 Dous.), qui eos explicat, servatis; cf. Seneca epp. LXXXII, 5: „Sciat, quo iturus sit, unde ortus, quod illi bonum, quod malum sit, quid petat, quid evitet, quae sit illa ratio, quae appetenda ac fugienda discernat, qua cupiditatum mansuescit insania, timorum saevitia compescitur.“ Arrian. dissert. I, 6, 25: *Οὐκ αἰσθήσεσθε τοίνυν, οὗτε τίνες ἐστέ, οὔτ' ἐπὶ τί γεγόνατε, οὔτε τί τοῦτ' ἔστιν, ἐφ' ὃ τὴν θέαν* (facultatem divina spectandi) *παρειλήφατε; Quid sumus et quidnam victuri,* quem in finem victuri, *gignimur* cf. Cin. de finn. IV, 10, 25: „Sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos quales oportet esse servemus.“ Arrian. diss. II, 10: *Σκέψαι τίς εἶ.* M. Antonin. VIII, 52: *Ὁ δὲ μὴ εἰδὼς, πρὸς ὅ τι πέφυκεν, οὐκ οἶδεν, ὅστις ἐστὶν οὐδὲ τί ἐστι κόσμος.* In iis, quae sequuntur, comparationem duxit a ludis circensibus et aurigandi arte, de quibus in universum cf. Krause Gymn. u. Agon. d. Hell. I p. 147 sqq. 557 sqq. In hac re autem duo erant inprimis observanda, *ordo* (liminis ordo apud Statium Theb. VI, 390), nam locus, quem sorte ducta obtinebant aurigae, diversam praebere potuit opportunitatem haud negligendam. Summa autem aurigae ars et attentio desiderabatur, ubi quam brevissimo gyro circa metam flectebat equos, quod cum summo

periculo coniunctum erat (cf. Soph. El. 710 sq. ib. Herm.). Diligenter igitur observandum fuit, *metae flexus* (*metam flectere* dicit Stat. Theb. VI, 440) *qua*, quo loco, *mollis*, minus periculosus atque facilior (ut *molles aditus* apud Sil. It. IV, 489), et *unde*, ex quo loco, quod potissimum est, currus flectendus esset. Haec ad vitam facili comparatione traducuntur. *Quis modus argento*, ut Lucil. l. l.: „Virtus (est), quaerendae finem rei scire modumque.“ *Quid fas optare*, qua de re sat. II agit. *Asper* de nummo novo, qui nondum detritus est, igitur suum pondus habet; Suet. Ner. 44: Exegit ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum. Senec. epp. XIX, 9: Nec voles quod debeo nisi in aspero ac probo accipere. *Patriae* cett. cf. Lucil. l. l.: Commoda praeterea patriae sibi prima putare Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra. *Carisque propinquis* ut Hor. sat. I, 1, 83. *Quem te Deus* (cf. Lact. I, 5) *iussit* arcte cum sqq. iungenda sunt. *Qua parte locatus es*, τεταγμένος (Arrian. diss. I, 9, 16. Antonin. XI, 3), *in re humana*, homo inter homines. Variatio indicativi et coniunctivi, quae his vss. locum habet, non hic solum invenitur, cf. v. 73 sqq. I, 126 sq. Lachmann. ad Prop. I, 2, 9. Huschk. ad Tib. I, 7, 22. Madvig. ad Cic. de finn. II, 10, 61. *Disce* v. 66, *nec invideas* sc. discere (cf. Lucan. II, 550 sq.), noli discendi laborem fugere, quia agendo causas acquirere possis, unde vivas. Solebant clientes causarum patronis victualia afferre, cf. Iuv. VII, 119 sqq.: „Quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas Pelamydum et veteres, Maurorum epimenia, bulbi, Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenae.“ Mart. IV, 46. *Fidelia*, vas Samium, teste Non. s. v., ad plurimos usus aptum (V, 183), *multa* singulari numero, qui singula magis notat, quorum magno numero densa multitudo efficitur, cf. IV, 49. VI, 8. Iuv. IV, 47. Intpp. Tib. I, 3, 27; *putet* copiam exprimit, cum tot serventur fideliae ut iam putrescere et foetere incipiant; *in locuplete penu*, ubi omnia, quae ad victum pertinent, praesertim talia, qualia affert Persius, servantur, cf. Klausen Aen. II p. 637 sqq. *Umbri* sicut Etrusci *pingues* erant (Cat. XXXIX, 11. Virg. Georg. II, 193), ut ex statuis, quae cistis mortuariis impositae esse solent, hodieque apparere monuit Müllerus (Etrusk. I p. 275). *Piper*, ut adnotavit Meister (üb. A. Pers. Fl. p. 55) non Indicum est, quod pondere emebatur, ut aurum vel argentum, sed Italicum illo longe inferius (Plin. XII, 7, 14 cl. XVI, 32, 59), quod *Marsus cliens*, qui veterem simplicitatem servavit (cf. Iuv. III, 169. XIV, 180), attulit cum *perna*, quae et ipsa sim-

plicissimis cibis annumerabatur (cf. Iuv. XI, 82 sqq. Ovid. Met. VIII, 647 sqq.) *Maena*, piscis marinus (Plin. IX, 26, 42. XXXII, 11, 53), parvi aestimatus (Cic. de finn. II, 28, 91. Mart. XII, 32, 15), *non defecit prima orca*, quod copiam indicat. *Orca* ad varias res condendas in usu erat (Fest. s. v.), e. g. muriam (Hor. sat. II, 4, 66), ficos (Colum. XII, 15) cett. Graecum est ὑρχή, de qua testimonia collegit Panofka (rech. sur les vér. noms de vases grecs p. 14. 47).

v. 77—87. Inducit Persius aliquem ex istis sordidis (I, 128), qui cultum et studia, Graeca praesertim, negligunt atque contemnunt, philosophos irridentem, cuius rudem et vanam orationem ad verum expressit. Exemplo esse voluit, ut alibi (VI, 189 sq.), *centuriones*, quos nec Horatius (sat. I, 6, 73) ab animi cultura commendavit. Harum *gentem* vocat *hircosam*, quippe quae munditie et cultu neglecto, incomtum habitum prae se ferebat cf. Iuv. XIV, 194 sq., ubi pater ad filium, qui militiae operam daturus est, ita loquitur: „Sed caput intactum buxo naresque pilosas Annotet et *grandes* miretur Laelius *alas*.“ Grandium autem alarum amatores solebant foetore laborare, quem hircum vocabant veteres, quemque foedissimae incuriae signum habebant (cf. intpp. Catull. LXIX, 6. Petron. 128. Casaub. ad Theophr. char. 19). Itaque hircosi vocantur incompti, ut a Seneca (apud Gell. XII, 2, 11): „Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere;“ et Prudentio (apoth. 201): „Consule et hircosus cynicus quos somniat.“ Digna tali viro sententia: *Quod satis est sapio mihi. Non ego* (v. I, 45) *curo esse* (II, 18) *quod Arcesilas et Solones*. Duo nomina philosophorum nominat, quae forte audivit, *Arcesilae*, qui novam academiam instituit (de quo exstat R. Broderseni commentatio. Alt. 1821. 4), et *Solonis*, cuius nomen notissimum, hic minus quidem conveniebat, neque quod *aerumnosos* dicit, quod tamen in omnes philosophos cadere videtur centurioni. *Solones*, philosophi, qualis Solon fuit, notissima figura, cf. Iacob. de usu num. plur. p. 41. *Obstipum* vocatur id, quod a recto deflectit, ut apud Lucret. IV, 517: „omnia mendose fieri atque obstipa necessum est,“ et Cicero Arati verba λοξὸν κάρη (Phaen. 58) vertit: „obstipum caput et tereti cervice reflexum (N. D. II, 42, 107).“ Itaque *caput obstipum* hic ut apud Horatium (sat. II, 5, 92) deorsum declinatum est, quod cogitanti convenit, apud Suetonium (Tib. 68) reclinatum. *Figentes lumine terram* structura insolita, ut apud Statium (Silv. V, 1, 140):

„Domum, torvo quam non haec lumine figat," pro his, quae vulgaria sunt: figit lumina terra (Ovid. Met. XIII, 541), in humo lumen figit (Ovid. Trist. IV, 2, 29), figunt in terram oculos (Sen. ep. XI, 5). Nostrum fortius est, et cogitabundum repraesentat, cf. Plat. Alc. II p. 138 A.: *Φαίνει γέ τοι ἐσκυθρωπακέναι τε καὶ εἰς γῆν βλέπειν, ὥς τι ξυννοούμενος.* Hom. Il. *β*, 217 ib. Eust. Vs. 81 imitatus est Ausonius (Id. XVII, 24, quod carmen sub nomine Prisciani exstat in Anth. L. V, 139 B. 285 M.): „Murmure concluso rabiosa silentia rodunt." *Murmure* enim cogitatio indicatur, cf. Quint. X, 3, 15: „Resupini, spectantesque tectum et cogitationem murmure agitantes." *Silentia rabiosa* dicuntur faceto centurioni, quia sicut canes rabiosi silent (*ἄφωνοι τουπίπαν εἰσί — χωρὶς ὑλάγμου* Paul. Aegin. V, 3), ita silentium cogitantis rabiem portendere videatur. Insolens locutio est *silentia rodere*, inde explicanda quod cogitationi acriter intenti labra movent et dentes collidunt, quo referendum *labello porrecto*, quia ii, qui tacitam mente cogitationem volvunt, labia protendere solent. Cf. Lucian. Hermot. 1: *Καὶ τὰ χείλη διεσάλευες ἠρέμα ὑποτονθορύζων.* Aristaen. epp. II, 3: *Ἠρέμα τῷ χείλη κινεῖ καὶ ἄττα δήπου πρὸς ἑαυτὸν ψιθυρίζει.* Locutio *verba trutinari* impense placuit Hieronymo. Cf. epp. XCV (IV) t. IV, 2 p. 775 Ben.: Alii sublatis in altum humeris, et intra se nescio quid cornicantes stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur. Epp. XXVI (C) t. IV, 2 p. 63: Cava verba et in modum vesicarum tumentia buccis trutinantur inflatis. Epp. critt. CXXV t. II, 1 p. 568: Laudentur, ut volent, et inflatis buccis spumantia verba trutinent. Apol. adv. Rufin. I t. IV, 1 p. 387: Quid — concava verba trutinatur? c. Iovin. I t. IV, 2 p. 183: Inflata verba trutinantem. Hic tamen intulit, quae h. l. non insunt, ubi de inflatis verbis sermo non est, sed tacitus et cogitabundus labrorum motu tantum prodit, se, ut ait Varro in libro *περὶ φιλοσοφίας* (apud Non. s. v. *rostrum*), unumquodque verbum statera auraria ponderare. *Aegri somnia* de rebus vanis dicit etiam Horatius (A. P. 7); cf. Lact. de ira dei 10, 3: „Qui (Leucippus) ea loqueretur, quae nec aeger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare. Cic. N. D. I, 16, 42. *Vetus aegrotus* est, qui diu aegrotavit, ut apud Iuven. IX, 16 *vetus aeger;* ita *vetus amicus*, qui iam diu amicus fuit (Hor. sat. II, 6, 81. Iuv. III, 1. VI, 346) *vetus hostis* (Hor. carm. III, 8, 21), *vetus cliens* (Iuv. I, 132, ubi falsus est Heinrich. V, 64), *vetus dominus* (IV, 52). Utitur hac sententia *nihil de nihilo gigni* (cf. Lucret.

I, 151. Serv. ad Virg. Georg. II, 49. Antonin. IV, 4) centurio, ut saepe repetito voc. *nihil* risum captet, cf. I, 27. *Pallere* de studiorum assiduitate, v. ad I, 26, cf. Sen. epp. XLVIII, 1: „Hoc est, quod tristes docemus et pallidi?“ *Cur quis non prandeat,* quod a philosophis meditando absumptis facile negligebatur (*impransus magister* Hor. sat. II, 3, 257), a centurionibus non item. *His ridet populus,* talia cum iactantur, risu excipit, cf. Hor. sat. II, 8, 83: „ridetur fictis rerum.“ *Iuventus multum torosa,* quae, ut hircosi isti, toris gaudet et lacertis, cf. Hieron. epp. LXXXIX (XLVII t. IV, 2 p. 732): „Dolet sibi praelatum iuvenem non quidem comatum, non vestium sericarum, sed torosulum et in sordibus delicatum“ adv. Iovin. II (t. IV, 2 p. 207). „Formosuli nostri et torosuli et vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt et syllogismi in calcibus.“ Vs. 87 mimice risum pingit, *tremulos cachinnos naso crispante,* ut V, 91 rugosa sanna. H. l. imitatus esse videtur Sedulius, ubi dicit (I, 316) *crispare cachinnum.*

v. 88—106. *Inspicere* de medico etiam Plaut. Pers. II, 5, 15. De signis adventantis morbi cf. Cels. II, 2. III, 6. *Exsuperandi* voc. utitur Persius ad exprimendum aegri halitum, qui post anxium laborem cum fervore ex imis prorumpit. Solet h. v. cum accusativo coniungi, ubi de re sermo est, quam quis transgrediendo vel ascendendo superat, quale est clivum exsuperare (Sen. epp. XXXI, 4), quo sensu cum dici nequeat fauces exsuperare halitus, absolute positum est *exsuperare,* et ablativus *aegris faucibus* adiectus, quo significatur, unde ortus sit halitus. *Gravem* halitum dixit etiam Celsus II, 2, qui non sine contentione emittitur, quod *trepidanti pectori* convenit. Qui hoc modo morbi signa ipse indicavit medico, tamen non sustinet curam eam adhibere qua eget. *Iussus* a medico *requiescere,* nam quies et abstinentia primum remedium (Cels. III, 2, 21), postquam *tertia nox,* quae in febri observanda est, *venas compositas,* nimio impetu sedato placide *currere* vidit, vinum afferri iubet. *Currere* de venis insolens est, similiter autem Celsus (III, 6) venas lentas celerioresve dixit. Vituperat acriter h. vs. Heinsius de sat. Hor. II p. 235 sq. *De maiore domo,* a divite quodam amico (I, 108), qui copia optimorum vinorum instructi aegris amicis mittere solebant (Iuv. V, 32. Mart. II, 40), *rogavit Surrentina,* quae a medicis veteribus maxime probari, stomachum nullo modo implere nec caput tentare tradit Plinius (XXIII, 1, 20), idemque dicit (XIV, 6, 8), convalescentibus ea maxime probata esse propter tenuitatem et salubritatem. *Lenia*

vina opponuntur asperis sive austeris (cf. Terent. Heaut. III, 1, 49 sq. cl. Cic. de finn. II, 12, 36), et ex H. Peerlkampii (ad Hor. carm. III, 29, 2) sententia ea fere sic nominantur, quae vetustate mitigata sunt ideoque aegris optime conveniunt, cf. Athen. I p. 26 A. *ὄντως δὲ ὁ παλαιὸς οἶνος οὐ πρὸς ἡδονὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ὑγιείαν προσφορώτερος. Surrentinum* vero vinum inde a vicesimo quinto anno demum bonum erat teste eodem Athenaeo I p. 26 D. Dioscor. V, 10. *Lagena modice sitiente*, non nimium capaci. His omnibus indicatur, aegrotum morbi sui bene conscium, quantum fieri possit, cupiditati temperare, quam prorsus vincere nequeat. *Domo modice*, tales earundem syllabarum repetitiones non anxie vitasse Romanos, interdum quaesiisse, multa docent exempla. V. quae congesserunt Beier ad Cic. Lael. 21, 79. Obbar. ad Hor. epp. I, 2, 17 et in Iahn. annall. a. 1830, II p. 400. Naeke in Mus. Rhen. a. 1829 p. 380 sq. Iahn. ad Virg. Aen. VI, 310. *Loturus* rogat vinum ex pravo more istius temporis, cf. Sen. epp. CXXII, 6: „Atqui frequens hoc adulescentium vitium est, qui vires excolunt (cf. v. 86), ut in ipso paene balinei limine inter nudos bibant, immo potent;“ et ipsum lavacrum aegrotis periculosum fieri potest, ut ait Plutarchus (de san. tuend. p. 123 B. t. VII p. 374 Hutt.): *πολλοὺς δὲ καὶ λουτρὸν ἀπώλεσεν, οὐδὲν ἐν ἀρχῇ μέγα κακὸν ἔχοντας. Heus bone*, *ὦ γαθέ* (VI, 43), *tu palles*, quod hic de morbo intelligendum est. *Nihil est*, respondet is, qui dum verum esse sentit, quod ille monet, noneri tamen non vult. *Pellis lutea*, subflava, quod v. de pallore aegrotorum, ex nostro sensu minus apte, verum ex natura illarum terrarum optime adhibetur, cf. Hor. epod. X, 16 *pallor luteus*; intpp. Tib. I, 8, 52; *tacite surgit*, inflatur sensim, ita ut ipse non videaris sentire. Iam benevolo monitori ex more talium hominum, qui, quorum ipsi rei sunt, in monentes transferre amant, respondet. *Tu deterius palles. Ne sis mihi tutor*, cf. Hor. sat. II, 3, 88: Ne sis patruus mihi (I, 11), *iam pridem hunc sepeli* proverbiali locutione, cf. Isid. Orig. X, 5 litt. T: „Tutor, qui pupillum tuetur, hoc est, intuetur, de quo in consuetudine vulgari dicitur: Quid me mones? et tutorem et paedagogum olim obrui.“ *Tu restas*, cf. Hor. sat. I, 9, 28: „Omnes composui. Felices! nunc ego resto.“ *Perge* facere, quicquid voles, ego *tacebo*. Invaluit tunc temporis mos post coenam ardentissimis lavacris utendi, quod saepissime subitam mortem afferebat, cf. Hor. epp. I, 6, 61. Petron. 72. Columell. praef. § 16. Iuven. I, 143 sq. Wyttenb. ad Plut. I p. 827.

Turgidus etiam apud Iuven. l. l. est, Hor. l. l. *crudi tumidique lavamur. Albo ventre,* quia antiquis, qui corpora oleo et sole colorata habebant, albus color (*λευκός*) mollitie enervati vel morbo depravati esse videbatur, cf. Hor. carm. II, 2, 15. Sen. epp. CXXII, 4: „Istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, foeda visuntur. Quippe suspectior illis quam morbo pallentibus color est: languidi et evanidi albent.“ Cf. Intpp. Lucian. Anach. 25. Iacobs. ad Philostr. Imagg. I, 4 p. 230. Heindf. ad Hor. sat. II, 2, 21. Böttiger, Aldobr. Hochz. p. 57 sq. *Gutture sulfureas exhalante mephites,* quod crudorum vitium esse solet. Cf. Virg. Aen. VII, 84: „saevamque exhalat opaca mephitim,“ ubi Servius notat, mephitim proprie esse terrae putorem, qui de aquis sulphuratis nascatur. Quod Iuvenalis l. l. breviter dixit: *hinc subitae mortes,* amplius describit Persius, et hominem luxuriae deditum, quem coenantem mors occupat, depingit. *Inter vina,* cf. Hand Tursell. III p. 402 sq., *tremor* mortis appropinquantis signum *subit* necopinanti, ita ut excutiat e manibus *triental,* vas trientem capiens. His potissimum potando usos esse Romanos docet vel frequentissima apud Martialem mentio, qui semper *trientes* dicit; apte autem voc. *triental* hic usus est, quod alibi non legitur, et ipsum vas significat, cum alias mensura potissimum respiciatur, quamquam Martialis (X, 49, 1) etiam *amethystinos trientes* dixit. *Calidum* dixit trientel, quia calidam aquam vino miscere in deliciis erat, cf. Gebauer, de caldae et caldi apud vett. potu. Lips. 1721. Intpp. Iuv. V, 63. Böttig. Sabin. II p. 34 sq. Becker Gall. II p. 175 sq. *Dentes crepuere retecti,* ut solent in acri febri. *Labris* morbo *laxis cadunt pulmentaria,* qua v. proprie significatur quodcunque cum pane seu pulte comedebatur (*ὄψον* cf. Heindf. ad Hor. sat. II, 2, 20), inprimis cibi lauti et opipare praeparati, cf. Iuv. VII, 183. Quare vocantur *uncta*, cuius generis cibi in magno favore erant apud Romanos, cf. II, 30. IV, 17. VI, 16. Hor. epp. I, 15, 44. Mart. V, 44, 7. De ritibus funerum conferri possunt Creuzer Röm. Antiq. p. 437 sqq. Becker Gall. II p. 271 sqq. *Tubae* possunt ad conclamationem referri; statim enim post mortem tubicines et cornicines cantant, et propinqui, qui adsunt, defuncti nomen clamant. Cf. Petron. 78. Hygin. fab. 74. Serv. ad Virg. Aen. VI, 218. V. anaglypha apud Maffeium Mus. Veron. 420 sq. Tubarum verum etiam in funeris pompa usus, sicut facium et *candelarum* (cf. Serv. ad Virg. Aen. XI, 143.). Acerba autem seu immatura funera ad faces et cereos deducebantur, cf. Sen. de tranq. 11:

„Toties in vicinia mea conclamatum est, toties praeter limen immaturas exsequias fax cereusque praecessit;“ cf. epp. CXXII, 10. de brev. vit. 20; quod huic loco convenit. *Beatulus* pro mortuo, v. Amm. Marc. XXV, 3: „Quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset praefectus, intellexit occisum;“ Graecis *εὐδαίμων* (C. I. n. 2610), *μακάριος* (Artem. IV, 72), *μακαρίτης* (Aesch. Pers. 635. Theocr. II, 70. Ruhnk. ad Tim. p. 59). *Lecto componebantur* mortui, cf. Ovid. Met. IX, 505, et ita ponebantur ut *pedes portam* spectarent, cf. Hom. Il. *τ*, 212. Hesych. s. v. *δι' ἐκ θυρῶν*. Sen. ep. XII, 2. Plin. H. N. VII, 8, 6. Mortuorum cadavera aromatibus ungebantur, praesertim *amomo* (cf. Iuv. IV, 109), de quo v. Theophr. h. pl. IX, 7. Intpp. Virg. Ecl. III, 85. Salmas. exerc. Plin. p. 401. *Crassis amomis*, ut crassum unguentum (Hor. A. P. 375), pingue amomum (Stat. Silv. I, 2, 111). *Lutare* est luto oblinere, v. Cat. R. R. 92. Lamprid. Heliog. 14 cl. c. 13. Calp. Ecl. V, 17. Cum contemtu h. v. usus est Persius, cf. Martial. XIV, 50: „Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos.“ *Hesterni* (cf. Heins. advv. II, 4 p. 233 sq.) *Quirites* sunt qui nuper demum testamento defuncti manumissi sunt (Rein, Röm. Privatr. p. 274 sq.); ii *capite induto* i. e. pileati, quod erat libertatis signum, funus comitabantur, Dion. Hal. IV, 24 p. 228 Sylb. Liv. XXXVIII, 5, et, quod propinqui alias fecerunt (Serv. ad Virg. Aen. VI, 22. cl. Vell. I, 11, 7) lectum portarunt. *Subiere illum*, quod Virgilius dixit (Aen. VI, 222): Pars ingenti subiere feretro.

v. 107—119. Ab hoc exemplo, quod de corporis morbis petiit, transit ad animi vitia. Qui medico inquirenti sanum se profitetur, eum, si animus examinetur, pravis cupiditatibus laborare apparebit. *Tangere venas* de medico usitatum, v. Sen. epp. XXII, 1: „Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est.“ *Miser* v. 15. *Et pone in pectore dextram*, quod et ipsum medicorum est; Iulian. Misopogon. (p. 68 ed. P. Mart. a. 1583) in historia nota de amore Seleuci quem detexerit Erasistratus medicus: *Ταῦτα ὁρῶν ὁ ἰατρὸς προσάγει τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα καὶ ἐπήδα δεινῶς ἡ καρδία καὶ ἔξω ἴετο*. Inter pessima aegrotantium signa refert Celsus (II, 4), si praecordia inflammata sunt, et venae quoque ibi vehementer agitantur, sicut et caput, et pedes manusque frigidas habere ventre et lateribus calentibus. Haec igitur locum hic non habent, corpus sanum est, non item animus. Eadem atque quae proxime sequuntur exempla posuit Arrianus (diss. III,

2, 8): *Περὶ κερμάτιον ἀνεξαπάτητος εἶ; ἐὰν ἴδῃς κοράσιον καλόν, ἀντέχεις τῇ φαντασίᾳ; ἂν ὁ γείτων σου κληρονομήσῃ, οὐ δάκνῃ; Visa est si forte pecunia,* cf. IV, 47. Arrian. diss. II, 16, 3: *Ὅταν σοι προφάνηται ἀργύριον, μεμελέτηκας ἀποκρίνεσθαι τὴν δέουσαν ἀπόκρισιν, ὅτι οὐκ ἀγαθόν; Candida puella,* i. e. formosa, v. Catull. XIII, 4 Pers. IV, 20, *vicini,* cuius num uxor, an filia, an amica sit, nec scimus nec attinet quaerere. *Subrisit,* leniter risit (Döderl. Syn. III p. 252) *molle,* cf. dulce ridere Catull. LI, 5. XXI, 219. Hor. carm I, 22, 23. cl. Ovid. A. A. III, 289. ad I, 90. *Cor tibi rite salit,* quo animus commotior indicatur, v. Iuliani l. l. cf. ad II, 54. *Positum est* (cf. ad I, 53) *durum olus,* cibus vulgaris nec bene coctus, *algente camino,* quod Romanis, qui cibos ferventes amabant, intolerabile erat, cf. I, 53. Mart. V, 88, 6. *Farina populi cribro,* panis *decussa* minus diligenter praeparatus, ut Plinius dicit (XIX, 4, 19, 53) alium esse panem procerum, alium vulgi, tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona; et Seneca (epp. CXIX, 3) panem plebeium siligineo opponit. Hic vero cribri tenuitate excellebat (Plin. XVIII, 11, 27; cl. 11, 29, 115). Quodsi hisce cibis vilioribus *fauces tentemus,* excusabis te, *ulcus tenero* (I, 107) *in ore latere* dicens, *quod haud deceat beta,* communi olere vilisque saporis (Martial. XIII, 13), quae ideo *plebeia* dicitur (cf. Mart. XIII, 8 *plebeias ollas,* Petron. 119, 9), *radere,* quod de omnibus dicitur, quae aspera sunt. Ita vox fauces radit (Lucret. IV, 527). Timori te subiectum esse, clare demonstras, cum *algeas* et inhorrescas. *Aristas excutere* ex usu sermonis vulgaris dictum esse videtur; explicatur loco Varronis (L. L. VI, 49): „Tremor dictum a similitudine vocis, quae tunc cum valde tremunt apparet, cum etiam in corpore pili ut arista in spica ordei horrent.“ *Timor albus,* v. ad prol. 4. *Iram* calore, timorem frigore nasci, veterum opinio fuit, cf. Senec. de ira II, 19: „Iracundos fervidi mixtura faciet, est enim actuosus ac pertinax ignis; frigidi mixtura timidos facit, pigrum est enim contractumque frigus. „*Sanguis fervescit face supposita,* omisso ut saepe v. *tamquam* contracta orationis forma, cf. V, 59. Similiter Iamblichus protr. symb. X p. 336 Kiessl.: *Ζεῖ γὰρ ὁ θυμὸς ὥσπερ λέβης πυρὶ θαλπόμενος. Scintillant oculi,* Ovid. A. A. III, 504 de irato: Lumina Gorgoneo saevius igne micant. Cf. Sen. de ira I, 1. III, 4. Iram brevem insaniam esse dixerunt philosophi antiqui (Sen. de ira I, 1), quod ita expressit Persius, ut ea iracundum facere dicat, quae vel insanus non esse sana cognoscat. Insani exemplum ponit *Ore-*

stem, e tragoedia notissimum, similiter Platon. Alcib. II p. 143 D. Hadrianus imperator ex oraculo iussus in furiosi alicuius domum vel nomen irrepere Orestam urbem condidit, Lampr. Heliog. 7. Varro librum inscripsit *Orestes vel de insania.* Gell. XIII, 4. *Non sanus,* v. 46.

SATIRA IV.

ARGUMENTUM.

In hac satira Persius vulgare vitium notat, quo homines se ipsos noscendi laborem fugientes, propriae vanitati atque aliorum assentationi fidunt, et aliena vitia curare atque corrigere quam propria malunt. Quam rem ita aggreditur, ut a dialogo, qui inter Platonicos Alcibiadis prioris nomen fert et simile argumentum tractat, initium sumat, et summam eorum, quae ibi inter Socratem et Alcibiadem disceptantur, quatenus in rem suam faciunt, repraesentet, ita tamen, ut, cum singula fere inde mutuasse eum satis clare appareat, suo tamen more modoque omnia exprimat, demat pro lubitu addatque, et se non praescripta imitatum, sed propositis liberaliter usum esse demonstret. Itaque ne personas quidem Socratis et Alcibiadis ita servat, ut non quaedam admisceat, quae Romam sapiant potius quam Athenas. Sicut vero in dialogo illo Socrates Alcibiadem de rebus publicis concionaturum convincit nihil eum de his, quae egregie callere sibi videatur, certi scire, ita de eadem re loquentem inducit Socratem, qui acerba ironia usus, eum nihil eorum, quae populum docturum se iactat, cognita habere contendit (v. 1—15). Tangit deinde perversum quod de se habeat iudicium, et eo procedit, ut dicat, eum quamvis externa specie, divitiis, et nobilitate confisum, si consilium spectetur, ad quod vitam suam dirigat, nihil differre a miserrima plebecula, quae, ut bona vita fruatur, se suaque in quantum possit iactet, quod exemplo docet aniculae, quae olera vendens mercem suam, ut bene vivat, emtoribus cum clamore ingerit (16—22). Hoc exemplo proposito aperte enuntiat sententiam, cui explicandae illud adhibuit, neminem se ipsum suaque vitia cognoscere, sed se ipso contentum aliena taxare (v. 23. 24). Quod deinde aliis exemplis illustrat, quae cum Platonico dialogo nihil habent commune, et e vita quotidiana petita, vividis coloribus depicta praecipuam Persii virtutem, quae in talibus

perspicitur, demonstrant. Quod si quis de cuiusdam divitis praediis quaerat, ille, quem interrogabit, nihil antiquius habebit, quam ut de istius avaritia sordida tristique vivendi ratione multa narret (v. 25—32); contra cum ipse laute et delicate vivat, alii de eius infami mollitie acerbissime queruntur (v. 33—41). Nam ii sunt hominum mores, nec aliter vivi posse credunt; dum alios vituperant, se ipsos praebent vituperandos, et frustra vitia sua dissimulari posse sperant, ut gladiator, qui vulnus adversario non observatum splendido balteo texit, nequicquam tamen naturam se fallere posse putat, ut homines (v. 42—46). Nam hominum laudibus de te nulla fides est: si pravis cupiditatibus obnoxius es, si lucri spes vel libido animum movet, si litigator es, frustra ab aliis te laudari iactabis. In te ipsum descende, neglecto aliorum iudicio, et videbis quot et quanta animi vitia tibi superanda sint (v. 46—52). Atque haec postrema ita comparata sunt, ut rursus ad Alcibiadem dicta videri possint et finem satirae principio coniungere.

Ceterum memorandum, etiam alios philosophos dialogos scripsisse, in quibus Socrates cum Alcibiade colloquebatur (Brandis, Mus. Rhen. I p. 120 sq.), ita ut talia in scholis saepius tractata esse videantur.

Quod primus, ut videtur, Britannicus annotavit, tangi hac satira Neronem, ea sententia multos patronos nacta est, in his Casaubonum, Marcilium, Selisium (diss. sur Perse. Paris 1783), et novissime Meisterum, qui duobus scriptis (Commentatio in A. P. Fl. sat. IV. Trai. ad V. 1807. Letzte Studien üb. A. P. Fl. Lips. 1812 p. 44 sqq.) acumine et doctrina ad eam sustentandam mirifice abusus est. Recentiores plerique omnes eam improbarunt, explicatius Schützius (opp. p. 325 sqq.) et Weberus in annott.

v. 1—22. Ut in dialogo Platonico, qui Alcibiades primus inscriptus est, quem prima huius satirae pars, quod ante alios observavit Politianus (misc. I, 4), imitatur, Socrates Alcibiadem aggrediens fingitur, mox rempublicam capessiturum, ut ei demonstret, quam parum res, de quibus acturus sit, quam parum se ipsum noverit, ita Persius Socratem cum Alcibiade de iisdem facit colloquentem, sed ita ut singula Persianum stylum referant. *Rem populi* i. e. rem publicam (Cic. rep. I, 25, 40) *tractas?* Ita apud Platonem (Alc. I p. 106 C.) Socrates: *Διανοεῖ γὰρ παριέναι συμβουλεύσων Ἀθηναίοις ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου.* cf. p. 118 B.: *Διὸ καὶ ἄττεις πρὸς τὰ πολιτικὰ πρὶν παιδευ-

θῆναι. Cf. Symp. p. 216 A., ubi Alcibiades de Socrate dicit: *Ἀναγκάζει γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτὸς ἔτι ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω. Barbatum magistrum* vocat Socratem tanquam philosophum, quorum *πωγωνοτροφίαι* (Plut. de Is. et Osir. 3) notissimae sunt; ita barbati magistri etiam apud Iuven. XIV, 12. *Cicuta,* ut ait Seneca (epp. XIII, 14), magnum Socratem confecit. *Quem tollit,* praesenti de re praeterita posito, quod fit interdum, ubi per pronomen relativum explicationis gratia rei praeteritae mentio breviter adiicitur, cf. Virg. Aen. IX, 266: Dabo cratera, quem dat Sidonia Dido. XI, 172: Quos dat tua dextera leto. Hor. sat. I, 6, 13: Valeri genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fugit. I, 2, 56: Amator Originis ille, Qui patrium mimae donat fundumque laremque. V. Madvig. de locis quibusd. gramm. Lat. admonitt. et obss. (Havn. 1837, 4) p. 15 sq. Iahn. ad Virg. Aen. II, 275, qui tamen quaedam nimis subtiliter disputasse videtur. *Quo fretus?* cf. Plat. p. 123 E.: *Τί οὖν ποτ' ἔστιν, ὅτῳ πιστεύει τὸ μειράκιον; Magni pupille Pericli,* cf. Plat. p. 104 B.: *Ξυμπάντων δὲ ὧν εἶπον μείζω οἴει σοι δύναμιν ὑπάρχειν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτροπον κατέλιπε σοί τε καὶ τῷ ἀδελφῷ. Scilicet* (ironice) *ingenium* et *rerum prudentia,* quae iunguntur etiam apud Virgilium (Georg. I, 416): „Haud equidem credo, quia sit divinitus illis Ingenium aut rerum fato prudentia maior", *venit ante pilos,* quod h. l. de barba intelligendum est, quae hominis adulti est et prudentiam secum ferre putatur. Cf. Plat. p. 110 C.: *Ὥριον ἄρα ἐπίστασθαι καὶ παῖς ὤν, ὡς ἔοικε, τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα. Dicenda tacendaque* (cf. Hor. epp. I, 7, 22 dicenda tacenda locutus) *calles,* cf. Quintil. II, 20, 5: „Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis virtutis est, quae pars eius prudentia vocatur, eadem in dicendis ac non dicendis erit." *Ergo ubi plebecula* (contemtim, ut apud Cic. ad Att. I, 16, 11 misera ac ieiuna plebecula) *commota fervet bile* (cf. Hor. carm. I, 13, 4: fervens difficili bile tumet iecur; Hildebrand. ad Apul. Met. VI, 9), *fert animus,* quod graviter dictum, ironiam sermonis auget, cf. Ovid. Met. I, 1. Lucan. I, 67 ib. Cort., *calidae turbae silentium fecisse* (ad I, 42) *maiestate manus,* ut apud Lucanum (I, 297 sq.). Caesar tumultum composuit vultu, dextraque silentia iussit. Ita Seneca (controv. exc. IX, 4 p. 482 Bip.) dixit silentium manu facere, cf. Cort. ad Lucan. l. l. Apud Amm. Marc. XXVI, 2 Valentinianus, praemeditata dicere parans, brachium exsertat et elata prospere dextra ausus incre-

pare quosdam. Is est gestus pacificator, quem describit Quintilianus (XI, 3, 19), qualem agnoscere videor in M. Aurelii statua celeberrima (Maffei stat. 14), diversus ab illo gestu oratorio, quem describit Apuleius (Met. II p. 124 Elm.). *Quid deinde loquere?* exprimit iuvenis inconsiderantiam, qui non praeparatus ad populum accedit. Adiecto v. *Quirites*, sicut aliis quibusdam, quae ad res Romanas pertinent, demonstrat Persius, qua mente Platonem imitatus sit, simulque ironiam mirifice auget, qua etiam vs. 9 levitatem oratoris perstringit. *Puta* idem fere valet, quod *exempli causa, ut hoc utar*, cf. Heindf. ad Hor. sat. II, 5, 32. *Hoc iustum est*, de qua re etiam in dialogo Platonico quaestio instituitur (p. 109 B. sqq.), v. inprimis p. 113 B.: *Οὐκοῦν ἐλέγχθη, ὅτι περὶ δικαίων καὶ ἀδίκων Ἀλκιβιάδης ὁ καλὸς ὁ Κλεινίου οὐκ ἐπίσταιτο, οἴοιτο δέ, καὶ μέλλοι εἰς ἐκκλησίαν ἐλθὼν συμβουλεύσειν Ἀθηναίοις περὶ ὧν οὐδὲν οἶδεν; Illud male, rectius illud*, cf. Mart. VII, 10, 2: „quid faciant ille vel ille." *Scis iustum gemina suspendere lance ancipitis librae*, i. e. ubi utraque librae lanx tam aequo pondere pendet, ut anceps ac difficile iudicium sit, quorsum vergat ligula, tu quo es acri et constanti iudicio decernere non dubitas. *Rectum discernis ubi inter curva subit*, ubi sensim aberrat; conferenda proverbialis locutio *invenimus, qui curva corrigat* de eo, qui solus scilicet quicquid pravum est emendare scit, apud Senecam (apocol. p. 250 Bip.) et Plinium (epp. V, 21, 6). Vel ibi rectum agnoscis nec falleris, ubi regula, ex qua iudicatur rectum, depravata est. *Regula*, proprie bacillus rectus, quo aequale exploratur (Sen. epp. LXXI, 19), hic intelligenda est de *norma*, quae est regula duplex ad angulum rectum iuncta, vel ad modum circini mobilis; haec *fallit pede varo*, prave distorto, ubi eum angulum non indicat, quem debebat. Ita recte interpretatur Gesner. thes. s. v. *Varus*, cf. etiam Goes. ind. scriptt. rei agr. s. v. *varatio*. *Theta* nominibus mortuorum praefigebatur (*Θ—θάνατος*) in breviculis militum, titulisque sepulcrorum, et iudicis signum erat, si quem mortis damnabat (Mart. VII, 37), unde Persio *nigrum*, Martiali l. l. *mortiferum* et *letale*, Ausonio (epigr. CXXVIII, 3) *sectile* vocatur. Cf. Spec. epigr. p. 54 sq. *Quin tu igitur*, minus eleganti elisione, cuius tria praeter hoc exempla exstant apud Persium (I, 66; 131; II, 8), aliorum poetarum composuit M. Haupt. obss. critt. c. 3 p. 15 sqq. *Igitur*, quasi iam fassus esset ille, se non bene nosse, quid iustum esset. *Summa pelle nequicquam decorus*, introrsum turpis, cf. Hor. sat. II, 1, 64 sq.: (Lucilius

ausus est) Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis. Epp. I, 16, 45: Introrsum turpem, speciosum pelle decora. Cur igitur non (de significatione v. *quin* v. Haas. ad Reis. gr. lat. n. 492) potius *desinis popello* (VI, 50. Hor. epp. I, 7, 65) *blando*, qui externa specie deceptus tibi blandit, *ante diem*, antequam tempus venit, *caudam iactare?* Pro eo, quod vulgare est *se iactare* (Brockh. ad Prop. II, 19, 15), *sich brüsten*, cui adiungitur dativus personae, coram qua quis se iactat suaque gloriose venditat (Liv. XXXIX, 43, 2. Hor. carm. I, 2, 17 sq. Iuven. I, 62), dixit *caudam iactare*, quod vel cum Casaubono a pavone, vel ab equo desumtum videri potest, qui tum superbe incedit caudam iactat. Cur igitur pergis populum fallere specie decora, tu *qui melior es sorbere* (Val. Fl. I, 424 melior contundere, cf. I, 59), quem sorbere melius foret, *Anticyras*, quod audacter positum pro helleboro, quod ibi optimum nascitur et insaniae medetur, cf. Hor. sat. II, 3, 83: Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem. A. P. 300: tribus Anticyris caput insanabile. Ovid. epp. IV, 3, 53 sq.: I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos, Quicquid et in tota nascitur Anticyra. Iuv. XIII, 97. Plin. XXV, 5, 21. Duae erant Anticyrae, ad sinum Maliacum altera, in Phocide altera sita (Steph. Byz. s. v.); maxima fama gaudebat helleborus Phocicae urbis (Paus. X, 36, 3. Alciphr. III, 2). Strabo (IX p. 418 D., narrat, optimum quidem nasci Oetaeum, optime autem praeparari in Phocica Anticyra (cf. Plin. XXII, 2 4, 64. Diosc. IV, 152). *Meracas*, ad insaniae vim notandam, cf. Hor. epp. II, 2, 137: Expulit helleboro morbum bilemque meraco. *Summa boni* summum bonum (cf. Böttich. lex. Tac. p. 448). *Uncta vixisse patella*, delicatis cibis frui, cf. III, 102. *Curare cutem* sive *pelliculam* de cura corporis in universum dicitur, cf. Hor. epp. I, 2, 29; 4, 15. Sat. II, 5, 38. Iuv. II, 105, ita ut nimiam fere significet. Quod hic ad accuratiorem explicationem additur *assiduo sole* spectat ad Romanorum morem, quo uncti in sole ambulabant, quem in usum aedificabantur solaria (Plaut. Mil. II, 3, 69. Suet. Claud. 10 ib. Ern.), quod quamvis ad valetudinem firmandam pertineret, otiosorum tamen potissimum (v. 33. Plin. epp. III, 5, 10) et seniorum fuit (V, 179. Plin. epp. III, 1, 8. Cic. Cat. mai. 16, 56). *Exspecta* ex usu vulgaris sermonis, cf. Sen. de benef. V, 12: „Dicis me abesse ab eo, qui operae pretium facit, immo totam operam bona fide perdere? Exspecta: etiam hoc verius dices“ etc. *Haec anus*, ex infima plebecula, quae modo occurrit, *haud*

aliud respondeat, nihil aliud sibi propositum esse dicet. *I nunc,* frequentissima irridentis vel exprobrantis formula, semper imperativum alterum adiunctum habet, vel addita particula copulativa (Hor. epp. II, 2, 76. Prop. III, 27 [II, 29], 22. Ovid. Her. III, 26. IV, 127. XVII, 57. A. A. II, 222. Iuv. VI, 306. X, 310. XII, 57. Mart. VIII, 63, 3. Senec. epp. LXXXVIII, 33. cons. ad Helv. 6, 10 qu. natt. I, 16. Petron. 115), vel simpliciter adiectum (Virg. Aen. VII, 425. Hor. epp. I, 6, 17. Prop. IV, 17 [III, 18], 17. Ovid. Her. IX, 105. XII, 204. Am. I, 7, 35. A. A. II, 635. epp. I, 3, 61. cons. 363. Mart. II, 6, 1; 17. IX, 2, 13. XI, 33, 3. Plin. epp. IV, 27, 4. Claud. in Ruf. II, 301) et h. l. accurate iungendum est cum *suffla,* unde pendet. *Dinomaches ego sum. Suffla,* iacta (*φυσᾶν,* cf. ad III, 27). *Dinomaches ego sum,* ut a Socrate vocatur *ὁ Δεινομάχης υἱός* (p. 123 C.) et *ὦ φίλε παῖ Κλεινίου καὶ Δεινομάχης* (p. 105 D.), nam ex Dinomache matre ad genus Alcmaeonidarum pertinebat Alcibiades, cf. de genere eius Wiggers de Corn. Nepotis Alcibiade quaestt. p. 42 sqq. *Sum candidus,* pulcher, v. III, 110. Revera dicitur Alcibiades pulcherrimus fuisse, cf. Plat. p. 104 A.: *Οἶει γὰρ δὴ εἶναι πρῶτον μὲν κάλλιστός τε καὶ μέγιστος, καὶ τοῦτο μὲν δὴ παντὶ δῆλον ἰδεῖν ὅτι οὐ ψεύδει,* et quavis aetate eius pulchritudinis exemplum, quae illam aetatem deceret, cf. Plut. Alc. 1, qualis tamen in protome, quae eius imaginem referre putatur, non perspicitur, cf. Visc. Mus. PioCl. VI t. 31. Icon. Gr. t. 16. *Esto, εἶεν,* II, 42. *Dum ne deterius sapiat,* breviter dictum pro: dummodo concedas haud deterius sapere. *Dum ne* ponitur, ubi sententia ita conceditur, ut terminus significetur ultra quem extendi nequeat, vel conditio additur, sine qua non valeat, v. Hand Tursell. II p. 325 sq. *Baucis* nomen Graecum muliebre est, quod legitur in epigrammate Anth. Pal. VII, 710. 712, in titulo Attico (Boeckh. C. I. n. 958) et in inscriptione Latina (Fabr. p. 630 n. 254). Notum est maxime ex fabula apud Ovidium (Met. VIII, 630 sqq.). Persius hic pro anicula posuit, fortasse Graecum quoddam exemplum imitatus. *Pannucius* est pannis obsitus (Ter. Eun. II, 2, 5. Suet. Calig. 35), unde de veste dicitur (Petron. 14. Isidor. IX, 22), tum vero de iis, quae rugosa sunt, quare pomorum genus, quod celerrime in rugas marcescit, pannuciorum nomen accepit, Plin. XV, 14, 15. Macrob. Sat. II, 15. Hinc Martialis (XI, 46, 3) mentulam anum vocavit pannuciam. H. l. utro modo explicetur aniculam nobis pingit, haud sane ita comparatam, ut ei conferri gaudeat Dinomachae filius.

Qualis sit clarius indicatur iis, quae adduntur. *Ocima vernae cantat*, h. e., ut Seneca (epp. LVI, 3) ait, mercem sua quadam et insignita modulatione vendit. Id enim est cantare unde etiam de convicio antiqui *occentare* dicebant, quia id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri queat (cf. Fest. s. v. *occentassint*): ita cantare etiam perversum illum recitandi morem significat, quo id cum modulatione fit, cf. Heinr. ad Iuv. I, 3. VII, 153. *Ocimum* quaenam herba sit, non potest accurate decerni (cf. Beckmann, Beitr. z. Gesch. d. Erf. II p. 535 sq.); Plinius tradit (XXV, 20, 48) eam a quibusdam inutilem et nocentem habitam fuisse, et venerem stimulare (cf. Eubuli iocum apud Athen. XIII p. 567 C. Meineke frgmm. com. gr. III p. 229 sq.). Id vendit *vernae bene* (cf. I, 111) *discincto*, dissoluto (cf. III, 31).

vs. 23—24. Postquam hucusque exemplum eius hominis descripsit, qui semet contentus se ipsum cognoscere non studet, ut Socrates Alcibiadi Delphicum illud *γνῶθι σαυτόν* in mentem revocat (p. 124 B.), ita Persius illud iam exprimit: *Ut nemo in se descendere tentat!* cui alterum statim vitium adiungit, quod cum hoc coniunctum esse solet, ut dum sua quis vitia cognoscere negligit, aliena vituperet, quod deinde illustratur. *Ut nemo tentat*, cum indignatione (Cic. p. Mil. 24, 64. Hor. sat. II, 8, 62), *in sese descendere*, ut se penitus cognoscat. Aesopi fabula fuit, unumquemque hominem duas habere manticas vitiis repletas, alteram, in qua aliena vitia insint, supra pectus pendentem, alteram, in qua propria congesta sint, in tergo. Cf. Phaedr. IV, 9. Catull. XXII, 21. Hor. sat. II, 3, 299. Sen. de ira II, 28. Plut. Crass. 30. Themist. or. I p. 42 Pet. cf. Schwabe ad Phaedr. t. II p. 232. Qua fabula ita usus est Persius, ut fingeret, hominem sua tantum vitia in mantica portare, quae a tergo pendeat, ut propria vitia nunquam videat, sed ea tantum quae praecedens in tergo portet. Ad h. l. respexit Hieronymus ep. LXIX (XCI) t. IV, 2 p. 608 Ben.: „Si nostram peram non videntes aliorum, iuxta Persium, manticam consideremus," qui tamen alieni quid admiscuisse videtur.

v. 25—32. Exemplo iam demonstrat, ut homines quavis occasione arrepta in aliorum vitia invehantur, quo lepide sermonem vulgarem imitatur, et imaginem avari egregie depictam proponit. Hic, cum de praediis Vettidii quaeratur, statim alter de avaritia eius loqui incipit. *Dives arat* i. e. agros possidet, cf. Sen. epp. LXXXVII, 6: Divitem illum putas, — quia in omnibus provinciis arat. Horat. epod. IV, 13. *Cures* cur nomi-

naverit poeta, nescio, nisi quod fortasse ad parcum et severum Sabinorum victum respexit, Iuv. III, 179 ib. intpp. *Quantum non milvus oberret,* ex proverbiali locutione de latifundiis, *quantum milvi volant,* cf. Petron. 37. Iuven. IX, 54 sq. Schol. Iuv. I, 109. *Iratos deos habere* vel *iratis dis natus esse* putabatur, quicunque insigni calamitate affligebatur, cf. intpp. Horat. sat. II, 3, 8. Phaedr. IV, 19, 15. Itaque in iureiurando deos iratos adprecabantur, nisi dictis starent (Drak. ad Liv. II, 45, 14), et in titulis deorum iram minitari solent ei, qui laeserit aut iniuriam fecerit (Spec. epigr. p. 68). Ut omnino miseros deos iratos habere dicebant, quod sermone populari inprimis usitatum fuisse videtur, ita etiam eos qui inconsulte vel parum prudenter agere viderentur (cf. intpp. Terent. Andr. IV, 1, 40). Idem significat *habere genium sinistrum* (cf. ad II, 11. Iuv. X, 129 fato sinistro genitus), quod tamen ad avarum magis etiam spectat, quia genius laute vivendo gaudere putabatur (v. ad V, 151). Avaritiam eo maxime significat, quod in ipsis Compitalibus eum parce vivere dicit. De festo *Compitalium* cf. D. Luigi Nardi, dei compiti, feste e giuochi compitali degli antichi e dell' antico compito Savignanese. Pesar. 1827. 4. Hertzberg, de diis Rom. patr. I c. 17 sqq. Merkel ad Ovid. fast. p. CLVI. CCXIX sq. Institutum dicitur a Servio Tullio instauratumque postea ab Augusto (Suet. Aug. 31), et in honorem Larum celebrabatur, feriis conceptivis (Marin. fr. Arv. p. 128. Merkel ad Ovid. fast. p. CLIV sqq.) in eiusque sacris servorum praecipua officia erant qui tunc eadem qua in Saturnalibus libertate gaudebant, cf. Dion. Hal. IV, 14: *Ἔπειτα κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς ἱερὰς κατασκευασθῆναι καλιάδας ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις, καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, πελάνους εἰσφερούσης ἑκάστης οἰκίας. Τοῖς δὲ τὰ περὶ τῶν γειτόνων ἱερὰ συντελοῦσιν ἐν τοῖς προνωπίοις οὐ τοὺς ἐλευθέρους, ἀλλὰ τοὺς δούλους ἔταξε παρεῖναί τε καὶ συνιερουργεῖν — ἦν ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων, σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ, Κομπιτάλια προσαγορεύοντες αὐτὴν ἐπὶ τῶν στενωπῶν· — καὶ φυλάττουσιν τὸν ἀρχαῖον ἐθισμὸν ἐπὶ τῶν ἱερῶν, διὰ τῶν θεραπόντων τοὺς ἥρωας ἱλασκομενοι καὶ ἅπαν τὸ δοῦλον αὐτῶν ἀφαιροῦντες ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις.* Quare Cato (r. r. 5, 4) de vilico dicit: „Rem divinam nisi compitalibus in compito ne faciat.“ Solebant agricolae epulari in compitis (cf. inscr. Grut. 106, 13. Fabr. 232, 610), unde uncta compitalia audiunt (Anthol.

L. II, 246, 27 B. n. 105, 27 M.), et Cato (r. r. 57) compitalibus vini congios singulis servis supra id quod quotidie iis dabatur praeberi iubet. Longe aliter hic avarus. *Quandoque* positum est pro *quandocunque*, ut V, 73 *quisque* pro *quicunque*; cf. quos affert Haas. ad Reisig. gr. lat. p. 352, adhibita disputatione Madvigii (ad Cic. de finn. exc. VI p. 846 sqq.). *Compita*, ubi viae competunt (Varro L. L. VI, 25, cf. Philarg. ad Virg. Georg. II, 382) saepe de arcu, qui ibi cum aediculu aedificari solebat (Grut. 107, 1. Fabr. 232, 610), *pertusa*, pervia, quia in omnes partes patent. *Iugum figere* quin requiem a labore significet, non est dubium, quomodo explicandum sit potest tamen ambigi. Schol. teste solebant agricolae fracta instrumenta in compitis suspendere et consecrare, quod quamvis alibi relatum non sit in sacris compitaliciis factum esse, haud male tamen quadrare videtur cum more pilas et laneas effigies pro hominum salute laribus suspendendi (cf. Fest. s. v. *pilae laneae*). Ita Veianius arma ad postem Herculis fixit (Hor. epp. I, 1, 5). Quamquam omnino instrumenta laboris suspendere requiem significat, v. Tibull. II, 1, 5. Ovid. fastt. I, 665; et in ruricolarum feriis boum iuga rite solvuntur. *Seriolae* vinariae (Terent. Heaut. III, 1, 51) *veterem limum*, qui diu servate adhaesit (Hor. sat. II, 4, 80) *deradere metuens*, non nisi aegre deradens (cf. Horat. sat. II, 5, 65 metuentis reddere soldum), *ingemit*, quod cum laetitia exclamari solet, quia invitus vinum promit, *Hoc bene sit. Bene esse* pro laute vivere cf. Plaut. Cas. II, 3, 37: Ubi illi bene sit ligno, aqua calida, cibo, vestimentis. Hor. sat. II, 2, 130 sq.: Bene erat non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque haedo. Ovid. fast. IV, 399. Eadem acclamatione *bene sit!* bibentes utebantur, cf. Plaut. Pers. V, 1, 20. Stich. V, 4, 27. Tib. II, 1, 32. Ovid. A. A. I, 601. fast. II, 635. *Caepe*, qui est vulgaris et vilis cibus (Hor. epp. I, 12, 21), *tunicatum*, cum pelle. Idem v. *tunicae* usus apud Iuven. XIV, 153, tunica lupinae; Stat. Silv. IV, 9, 29, bulborum tunicae. *Ollam farratam* audacter dixit ollam, in qua *farrata*, ut ait Iuvenalis (XI, 109), puls e farre apponebatur, agricolarum cibus (Iuv. XIV, 171). Hanc *pueri*, servi, qui summa licentia in hoc festo fruebantur, *plaudunt* i. e. cum plausu excipiunt, ut Ovidius (Trist. IV, 3, 49): manibus circumplaudere tuorum; Statius (Silv. V, 3, 140): Nec fratrem caestu virides plausere Therapnae. Similiter idem (Theb. IV, 11): Bellona plaudit equos, quod schol. explicat: plausibus excitat. Ceterum cf. Calpurn. ecl. IV, 125 sq.: Utque bono

plaudat paganica turba magistro, Qui facit egregios ad pervia compita ludos." Interea dominus *sorbet faecem aceti morientis,* vini acore ita corrupti, ut iam vix acetum sit, *pannosam,* mucore quasi pannis obsitam. Nam *pannosus,* quod pannis vestitum significat (Iuv. X, 102), ad ea transfertur, quae rugosa sunt, v. Mart. III, 72, 3: Pannosae dependent pectore mammae. Sen. de clem. II, 6: arida ac pannosa macies.

v. 33—41. Dum tu de Vettidi avaritia tam maligne iudicas, alius in mollitiem tuam acriter invehitur. Inducit Persius aliquem de populo, qui vitium, teste Timaeo (apud Athen. XII, p. 518 A. B.) apud Italos potissimum usitatum et apud delicatos tunc frequens taxat, verbis quidem vehementissimis, qualia ex sermone rudiore nimis fideliter fortasse expressit (quae iniquius taxat Heins. de sat. Hor. p. 232 sqq.). Solebant enim molles corpora levigare, neque crura solum atque brachia (Iuv. IX, 13 sqq. Mart. V, 61, 6. II, 29, 6), verum, quod infamis libidinis signum habebatur, podicem quoque (Iuv. II, 12. Mart. VI, 56, 4) et inguina (Mart. II, 62, 2. IX, 27, 1 sq. Dio Chr. XXIII p. 412 t. II p. 31 R.). Fiebat hoc vel forcipe, volsella (Mart. IX, 27, 5. Tert. de pall. 4) vel psilothro (Lampr. Heliog. 31) seu dropace (Mart. X, 65, 8), qui resina oleo liquata (Plin. XIV, 20, 25, unde resinata iuventus apud Iuven. VIII, 114) vel pice (Iuv. IX, 13) calida conficiebatur. Ita vasa Samnitica calefactandae resinae ac pici divellendis hominibus ac levigandis habebat Commodus (Iul. Capit. Pertin. 8). Cf. Hildebr. ad Apul. Met. IX, 28. Ex his singula apud Persium explicanda su t. De molli et otiosa apricatione, sive, ut Seneca (de brev. vit. 13) ait, excoquendi in sole corporis cura, v. ad v. 18, quod *in cute solem figere* dicit Persius. *Est prope te ignotus,* cuius tu nullam curam habuisti, *cubito qui tangat,* ex usu vulgari, ut admoneat, cf. Hor. sat. II, 5, 42: Aliquis cubito stantem prope tangens Inquiet; Graecis *νύσσειν τῷ ἀγκῶνι,* Hom. Od. ξ, 485. Aristaen. I, 19, 27 ib. Boiss. p. 515. *Despuat,* abominetur (cf. ad II, 33) *acre* (ad I, 90) indignabundus *in mores* tuos, qui *runcas,* depilas, quod verbum agricolarum est, qui spinas et herbas evellunt (cf. Cat. r. r. 2, 4. Varr. r. r. I, 30. Colum. II, 11), *penemque arcanaque lumbi,* ita ut *populo pandas vulvas,* quo v. audacter de culo pathici utitur, *marcentes,* quia calida pice tractabantur. Cf. Clem. Alex. paed. III, 3 p. 96 Sylb.: *Τὸ δὲ καὶ πιττοῦσθαι· ὀκνῶ καὶ λέγειν τὴν περὶ τοὔργον ἀσχημοσύνην· ἀπεστραμμένους καὶ κεκυφότας καὶ τῆς φύσεως τὰ ἀπόῤῥητα ἐς τὸ συμφανὲς ἀπογυμνοῦντας, ἐξορχουμένους*

καὶ λορδουμένους ἀπερυθριῶσι σχήμασιν οὐκ ἀπερυθριῶντας (ἐπερ.) αὐτούς· ἐν αὐτῇ νεολαίᾳ καὶ γυμνασίῳ μέσῳ, ἔνθα ἀρετὴ ἀνδρῶν ἐξετάζεται ἀσχημονοῦντας τὸ παρὰ φύσιν τοῦτο διώκοντας ἐπιτήδευμα, πῶς οὐχὶ τῆς ἐσχάτης ἀσελγείας ἐστίν; cf. p. 9. Athen. l. l. *Tu cum maxillis* i. e. genis (ut apud Martial. VIII, 47: Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est, Pars tibi vulsa; unum quis putat esse caput?) *pectas,* diligenter cures, cf. ad I, 15, *gausape,* barbam promissam. Gausape enim genus panni villosi erat, ad varios usus aptum, v. intpp. Hor. sat. II, 8, 11. Petron. 28, unde a villorum, quibus ornatum erat, similitudine barbam ita vocavit. De forma vocis a Graeco γαυσάπης ita fictae, ut *gausapa* et *gausape,* tum plur. *gausapa* (VI, 46. Ovid. A. A. III, 300) dicerent, cf. Köne, üb. d. Sprache d. Röm. Epik. p. 76 sq. *Balanatum,* balano unguento ex glandis cuiusdam nucleo comparato, delibutum, v. intpp. Hor. carm. III, 29, 4. Quamquam tunc temporis mos obtinuit barbam tondendi (v. Voss. ad Virg. Ecl. I, 28), tamen iuvenes delicati barbam alere et diligenter curare solebant (Cic. p. Cael. 14, 33. Ovid. a. a. I, 518), quos barbatulos vocat Cicero (ad Att. I, 14, 5), qui e grege Catilinaria enumerat pexo capillo nitidos, aut imberbes aut bene barbatos (Cat. II, 10, 22), cf. Visconti, Mus. Pio Cl. III p. 85 ed. Mil. B. Borghesi, della gente Arria p. 67 sqq. Cum barbam tanta cura alas et comas, cur inguina depilas? *Gurgulio* vermiculus est frumento inimicus; sermone populari, ut videtur, ita penis ob similitudinem quandam vocabatur. Quamquam cum gurgulio etiam guttur notet, potest in eo quoque acumen quaeri, quod cum pili in gutture crescant, in inguine, cuius quaedam cum gurgulione fingi potest similitudo, raduntur, ut utriusque quasi gurgulionis diversa conditio significetur. Comparari etiam possit quod Persius (VI, 72) dicit singultire inguinis venam. Eodem significatu ponitur in epp. de priap. Cleopatrae, quae Priapeiis addi solent (IV p. 78 Ant.): cum curculio in vulvam semen infundit. Nec dubito, quin ad h. l. referenda sit glossa in glossariis theotiscis a Gerberto ad calcem Itin. Alemann. editis (p. 22) servata: *Burgulio* (l. *gurg.*) *crinis genitalis,* quae explicatio ob voc. *detonsus* orta videtur. Comparationem ab agricultura desumtam, quam in v. *runcantem* iam indicavit, explicatiorem adhibet, ut significet, contra naturam frustra conari mollem pilos in corpore delere. Ceterum h. l. respexit Ausonius (epigr. CXXXI, 3): „Sed quod et elixo plantaria podice vellis, Causa latet.“ *Quinque,* solito numero ut haud ita

multi significentur (cf. Seebode Schol. z. Hor. I p. 12), *palaestritae*, qui in gymnasiis ungendi aliisque officiis fungebantur (Vales. ad Amm. Marc. XV, 3. Mart. III, 58, 25), vilis conditionis (Mart. III, 82, 20. VI, 39, 9), ut plurimum robusti (Aur. Vict. epit. 17), *licet haec plantaria*, pilos, *vellant*, quod iustum de hac re voc. est (Suet. Galb. 22), *elixasque* calida pice *nates forcipe adunca labefactent* (Virg. Georg. II, 264: Et labefacta movens robustus iugera fossor), *non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.* Vera quidem filix, agris prae ceteris inimica, aratro maxime exstirpatur (Colum. II, 2, 13), pilos tamen nunquam arte delebis. *Mansuescit aratro* cf. Virg. Georg. II, 239: Frugibus infelix ea (terra) non mansuescit arando.

v. 42—52. Quod modo exemplo luculento descripsit, id breviter iam comprehendit sententia proverbiali, de iis, qui quod aliis faciunt et ipsi patiuntur, *caedimus inque vicem praebemus crura sagittis*, quam ita effert Horatius (epp. II, 2, 97): „Caedimur et totidem plagis consumimus hostem.“ *Crura praebere* dictum videtur ad exemplum loc. *suram praebere*, qua in pilae lusu utebantur, cf. Isid. orig. XVIII, 69. Plut. Cic. 17. *Vivitur hoc pacto, sic novimus*, omnes hac consuetudine uti in vita, notum est. Pergit iam in comparatione a pugnantibus desumta. *Subter ilia*, in imo ventre, loco periculosissimo, *habes vulnus caecum*, quod nemo videre potest, ut Ovid. Her. IV, 20: et caecum pectora vulnus habent. Virg. Aen. X, 733. *Balteus* ut Graecorum ζωστήρ (Bröndsted, d. Bronzen v. Siris p. 18 sqq.) imum ventrem tegebat, et potest in gladiatorum potissimum imaginibus clare perspici (cf. Fabretti col. Trai. p. 256. 258. Winckelm. Mon. Ined. t. 199. Millin tomb. de Pomp. t. 3. Clarac Pompei t. 2). Eum a bullis, quibus ornabatur, dictum esse tradit Varro (L. L. V, 116), inde *lato auro praetegit*, cf. Virg. Aen. V, 312: „lato quam circumplectitur auro Balteus.“ Hac igitur externa specie falles fortasse alios, te ipsum, etiamsi volueris, non poteris. *Ut mavis*, non sine ironia, Hor. sat. I, 4, 21: Ut mavis imitare (conclusas follibus auras), *da verba* (ad III, 19), *et decipe nervos*, quibus vis sentiendi inest (II, 41), *si potes.* Iam respondet alter: *Egregium cum me dicat vicinia*, homines quibuscum vivo, cf. Hor. sat. II, 5, 105 sq.: „funus egregie factum laudet vicinia;“ epp. I, 16, 44, *non credam?* Vetus est praeceptum, ne aliis de se quisquam plus quam sibi credat (Hor. epp. I, 16, 20). Itaque Seneca (epp. LXXX, 9): „Intus te ipse considera. Nunc qualis sis, aliis

credis.“ Cf. epp. LIX, 11: „Optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cum sciamus illos mentiri.“ Ita Persius, si te pravis cupiditatibus affici tibi conscius es, ne credas aliorum assentationibus. *Si viso nummo palles,* cupiditate moveris. v. Hor. sat. II, 3, 78: „Ambitione mala aut argenti pallet amore.“ *Si facis*, quod est verbum venereum (cf. intpp. Petron. 9. 87. Iuv. VII, 240), *quicquid amorum*, quod v. de persona amata usurpatur, inprimis de scortis (v. Plaut. Poen. I, 1, 79 sq.: Item amores tuos si vis spectare; cf. Catull. X, 1 ib. Dör.), *in penem venit*, quod audacissime dictum est ad similitudinem talium, *quicquid in mentem venit*, *quicquid in buccam venit* (Cic. ad Att. I, 12, 4. XII, 1, 2. Senec. apocol. p. 243 Bip.). Ceterum non possum, quin mentionem iniiciam locutionis *far l'amore*, *faire l'amour* apud Gallos et Italos hodie usitatae, unde quis haud improbabiliter colligat, etiam antiquos populari certe sermone dixisse *facere amorem*, quod tamen exemplis non possum probare; quod si fieri posset, legerem *amorem. Amarum penem* intpp. ita explicarunt, ut sensum efficerent poetae menti contrarium vel ineptum, nec quomodo apte intelligi possit, equidem intelligo. *Si puteal multa cautus vibice flagellas,* de hoc vs. conclamato C. F. Hermannus doctam dissertationem scripsit in ind. lectt. Marb. 1839—40, in qua VV. DD. sententias composuit. *Puteal* a Scribonio Libone (Fest. s. v. *sceleratus campus*) factum est in comitio in porticu Iulia ad arcum Fabianum (v. schol.), ubi tribunal praetoris fuit (Porph. ad Hor. sat. II, 6, 35), cf. Crellius, Puteal Libonis ex ant. erutum. Inde frequens eius mentio est, ut significetur locus, ubi caussae agebantur, cf. Hor. sat. II, 6, 30 sq.: Ante secundam Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras. Epp. I, 19, 8: Forum putealque Libonis Mandabo siccis. Ovid. rem. am. 561: Qui puteal Ianumque timet. Cic. p. Sest. 8, 18: (Gabinius) puteali et gregibus feneratorum inflatus. Videntur enim feneratores potissimum ibi locum habuisse, quippe quibus saepe tribunal adeundum fuit. *Puteal flagellare* insolenter dictum est eadem fere ratione, qua Plinius (XXXIII, 13, 57) *annonam flagellare* de iis dicit, qui quovis modo ex ea fructum capere student, quicum comparandum quod Martialis (II, 30, 4. V, 13, 6) *arcam opes flagellare* dicit. Ita puteal flagellare, et *multa* quidem *vibice*, quo augetur vis sermonis, dicitur qui semper caussas agit et quocunque modo in iudiciis vincere studet, quo simul indicatur eum nec iniustis parcere. *Cautus* longo usu forensi. *Nequicquam populo* blandienti *donaveris aures bibu-*

las, quibus ista libenter hauris, cf. Markld. ad Stat. Silv. V, 2, 58. Hildebr. ad Apul. Met. I, 1 p. 6. *Cerdo* apud Graecos (*Κέρδων*) nomen servile est (Demosth. Nicost. p. 1252. Euphron ap. Athen. IX p. 377, t. IV p. 493 Mein.), Romanis nomen haud ita infrequens (Grut. 8, 15; 186, 4. Murat. 1505, 3, 1521, 7. Spon misc. p. 221. Marini fr. Arv. p. 712). Sutorem Martialis vocat cerdonem (III, 16. 59. 99), CERDO FABER est in inscriptione, quam edidit Spon (misc. p. 221 ex sched. Barb.). Cerdones in universum dicuntur ignobiles, homines de plebe, ut h. l. apud Iuven. IV, 53. VIII, 183. Tert. de pall. 5. Quidam christianos hoc nomine vocatos fuisse putant, v. intpp. Minuc. Fel. p. 33. Hi igitur *tollant munera sua*, ea, quae blandientes tibi effingunt. *Tecum habita*, te perscrutare, nec te quaesiveris extra (I, 7), quia is bene notus esse solet, quicum in una domo habitamus. *Noris, quam sit tibi curta supellex*, eadem comparatione ab habitando desumta dicit, noris, quantopere tibi laborandum sit, ut te tuasque res bene teneas.

SATIRA V.

ARGUMENTUM.

Primarium huius satirae argumentum Stoicum dogma de libertate esse facile intelligitur. Quod tractaturus Persius rem ita instituit, ut Cornuto magistro, cui philosophiae cognitionem debebat, quae certum vitae finem dedit, gratum animum profiteretur, cuius haec satira egregium monumentum reliquit. Incipit ergo a vatum commemoratione, qui cum carmen exordiuntur, centum sibi voces poscere solent (v. 1—4). Quare mirabundus ex eo quaerit, quem praesentem fingit, Cornutus, quid tandem magnum sit, quod incipiat, et tanto hiatu dignum; tragicos poetas os magna sonans decere, non Persium, qui longe remotus ab inani iactantia, verborum tumorem spernat, et remisso stilo hominum vitia notare et ridere calleat (v. 5—18). Cui poeta hoc quidem verum esse respondet, nec se verborum strepitu sensu casso delectari, verum id, quod iam acturus sit, dignum esse, quod omnibus viribus praedicet. Meum enim erga te amorem tibi exprimam, pura voce ut vere sentio, tu vero iu-

dices, anne verum animi sensum candide expromam (v. 19—29). Cum enim e pueritia excessi, ea aetate, qua iuvenes, vitae cognitione destituti, tam facile in vitia incurrunt, tuae curae me tradidi, et tu sancto amore me excepisti, tu animum corrigere et a vitiis liberare docuisti; tibi uni deditus nunquam a te discessi, et studia sicut requiem tecum communia habui (v. 30—44). Nam ea inter nos concordia est, is animorum consensus, ut non dubitem, quin communi quodam sidere natali vita nostra regatur (v. 45—51). Cum hominum tot diversa studia sint, ut prava cupiditate plerique ducti suam quisque viam ad vitam bene gerendam ita sequantur, ut cum ad extremum venerint, fatendum sit, se vitam perdidisse, tu quam serio studio unam recte agendi ducem agnovisti, philosophiam, eius cognitionem iuvenibus impertiri studes. Quam dum sibi comparare homines inertia soluti de die in diem differunt, nescii quid faciant totam vitam perdunt (v. 52—72). Libertate opus est, verum non ea, quam vulgus crepat, civili, qua nequissimus servus, si voluit dominus, liber fit, et quantumvis ei diffidas, omnis iuris actiones perficere valet. Plerique enim in eo sane libertatem ponunt, ut facere liceat, quodcunque voluntas iusserit, modo ne legibus vetitum sit quod non agnoscit stoicorum doctrina (v. 73—90). Haec enim docet non ex iure civili acquiri libertatem, verum id tantum facere vere licere, quod quis recte facere valeat, atque cum hac doctrina etiam vitae quotidianae usus et experientia concinunt (v. 91—104). Itaque is demum vere liber est, qui rectum a pravo discernere didicit, et cupiditatibus animum liberavit (v. 105—114), quae si quis externa tantum specie monstret, vitia occulta sub pectore servans, is non potest liber vocari, neque qui aliqua ex parte vitiis obnoxius est quicquam vel minimum recte facere potest (v. 115—123). Qui liber sibi videtur, quia aliorum iussibus parere non cogitur, is meminerit, se sub cupiditatum turpiore etiam iugo teneri (v. 124—131). Qui a pigritia laborat, eum avaritia instans divitiarum acquirendarum spe vix tandem commovet, ut victa inertia strenue agat, verum eundem blanda luxuria retinet, et vita fruendum esse celeriter fugiente monet (v. 132—153). Ita certant in homine cupiditates, quae quicquid facit dominantur (v. 153—156); nec si quis quando vicit animum, statim servitium se abiecisse liberumque factum esse glorietur, nam manent priscae servitutis vestigia (v. 157—160), ut iuvenis ille comicus, qui ab amica exclusus ira commotus nunquam ad eam se rediturum iuravit, cum illa eum arcessit,

statim iugum repetit (v. 160—174). Atqui hac de cupiditatibus victoria libertas acquiritur, non vindicta (v. 174 sq.). Nam liber dici non potest, qui ambitioni obnoxius liberalem agit idemque superstitione et prava deorum formidine laborat (v. 176—188). Quamquam talia docentem ridet imperitum vulgus (v. 189—191).

Haec satira merito inter optimas numeratur. Etenim praeterquam quod Persii animum egregium, amoris erga optimum praeceptorem et magistrum plenum et veri rectique praeclarum iudicem, clarissima luce ostendit, argumentum suum ita tractat, ut apta compositione et orationis perspicuitate et simplicitate ceteris facile praestet. De doctrina Stoicorum, solum sapientem liberum esse (Diog. Laert. VII, 1, 64, 121), disserentes Cicero (parad. V), Arrianus (diss. Epict. IV, 1), Dio Chrysostomus (orat. XIV), Horatius (Sat. II, 7, 46 sqq.) cum fructu comparari possunt.

De Cornuto v. prolegg. c. II.

v. 1—4. *Vatibus* (cf. ad prol. 7) *hic mos est* (cf. Hor. sat. I, 2, 86: Regibus hic mos est) *centum sibi poscere voces* etc. Cf. Hostius apud Macrob. VI, 3: Non si mihi linguae Centum atque ora sient totidem vocesque liquatae; Virg. Aen. VI, 625 (Georg. II, 426): Non mihi si centum linguae sunt oraque centum; et quae permulta exempla hunc cuiusvis aetatis poetarum morem demonstrant, e. g. Ovid. Met. VIII, 532. Sil. It. IV, 526. Claud. de VI cons. Honor. 436. in Prob. et Olybr. cons. 55. Coripp. Ion. I, 23. Prisc. l. Anast. pr. 13. *Fabula seu ponatur* (ad I, 70) *tragoedo moesto*, e charactere personae, *hianda*. Tragoedi enim personis utebantur, quae ut vox clariore sonitu ederetur magnum oris hiatum habebant (cf. Gell. V, 7. Böttig. opp. p. 226 sq.), unde frequens hiantium tragoedorum mentio, v. Lucian. Nigrin. 11. salt. 27. Anach. 32, id quod in multis monumentis hodieque videre licet, v. e. g. tragicae scenae repraesentationem in pictura antiqua, Mus. Borb. I, 21. Inde transfertur ad grandiloquentiam carminum tragicorum significandam, v. Iuven. VI, 636. Ut hic tragoedus *fabulam hiare* dicitur, ita Propertius (III, 29 [II, 31], 6) dixit: Hic equidem visus mihi *carmen hiare*. *Parthorum* cum Romanis bella quin a poetis epicis res Romanas ex imperatorum voluntate tractantibus (Merkel ad Ovid. Ib. p. 379 sqq.) saepius cantata sint, sicut historicis largam copiam praebuerunt (Lucian. hist. conscr. 15 sqq.), dubium non est, quamquam certa exempla,

quantum scio, tradita non sunt. Parthus quomodo dicatur ferrum ab inguine ducere non est certum. Si *vulnera Parthi* ita accipiuntur ut apud Horat. sat. II, 1, 15: Aut labentis equo describit vulnera Parthi, de vulnerato, dicitur is *ab inguine*, quo loco periculosissimo vulnus accepit, *ferrum ducere* secum trahere. Atque haec accederent ad moestam tragoediam: potest vero his vs. descriptio contineri moris armis utendi Parthis proprii. *Ducere ensem, mucronem* cett., sc. e vagina, usitatum est, cf. Sil. It. IX, 314 cl. VIII, 340. Senec. Oed. 935. Virg. Aen. XII, 378; h. l. *ferrum* esset Parthi insignis sagitta, quam ducit e pharetra. Quod hanc *ab inguine* ducit (ut Aeneas apud Virg. Aen. X, 788 ensem eripit a femore) id Parthorum singulare fuisse videtur. Nam Graecorum mos fuit pharetram ex humero portare, ut in artis monumentis facere solent Apollo, Diana, Hercules alii; contra orientis populi, si recte observavi, pharetram ad imum latus dependentem habent, e. g. Amazones (cf. Mus. Pourt. t. 35. Micali Mon. t. C, 4. Gerh. Auserl. Vasenb. t. 102. Müller mon. art. ant. t. 31, 138), Paris (inter statuas Aegineticas, Müll. l. l. t. VIII B.) et qui in picturis vascullariis tam saepe occurrunt sagittarii Phrygio vestitu ornati (Cab. Pourt. t. 12. Gerh. l. l. t. 138). Tum Parthi vulnera sunt quae ille dat (cf. Virg. Aen. II, 436. Prop. I, 1, 13. Ovid. Met. IX, 583).

v. 5—18. Hanc praefationem exorsum poetam interrumpit alius, quem, quia postea ad Cornutum convertitur oratio, aptissimum videtur Cornutum putare, et quid tandem sit, quod tam grandi hiatu contra suum morem promittat, ex eo quaerit. Is in imagine, quam praebent vv. *ora et linguae*, persistens ait, *quantas robusti carmini offas ingeris. Offa* enim, ut ait Fest. s. v. *penitam*, ab antiquis vocabatur abscissum globi forma, ut manu glomerata puls; et de avibus saginandis potissimum usurpatur, cf. Varro R. R. III, 5. Colum. VIII, 3. *Robustum* de cibis usurpatur, eumque significat, qui multum alimentum in se continet, v. Cels. II, 18, 5. Plin. XVIII, 17, 46; 30, 72. *Ingerere* autem de nimia fere copia adhibetur, cf. Sen. epp. XII, 10. XXIX, 15. CV, 3. CXIV, 23. *Ut par sit centeno gutture niti*, ut iis uti confidas. *Grande* (I, 14) *locuturi Helicone* (v. prol. in.) *nebulas legunto*, quod ait Horatius (A. P. 230) nubes et inania captare. *Prognes* et *Thyestae* fabulae notissimae sunt et a tragicis poetis tam Graecis, quam Romanis saepe tractatae, cf. Welcker, Griech. Trag. p. 1494 sq. Utrumque argumentum suo etiam tempore adamatum esse docet Iuven. VII, 12. 72; Thyestem agebat Nero (Iuv. VIII, 228). Terei et Thyestae

coenas coniungit etiam Plautus (Rud. I, 6, 24). *Olla fervet,* in qua Progne Itym, Atreus Thyestae filios coxit, parentibus comedendos, quare eam *Glyconi insulso,* histrioni, de quo praeter tradita a Schol. nihil notum est, qui Terei Thyestaeque partes agebat, *coenandam* dixit: cf. Weichert de L. Vario p. 86 sq. *Saepe* favorem, quo haec excepit populus, significat; eius contemtum, cuius causas nescimus, v. *insulso* poeta indicat. *Tu neque anhelanti folle premis ventos,* i. e. follem premis, ut cum anhelitu collectum ventum emittat, *dum massa* (II, 67) *camino coquitur,* quo ingens follium vis pingitur. Hac imagine saepe significantur, qui magno cum nisu omnia magnifice loquuntur, ut apud Horatium (sat. I, 4, 19 sq.): At tu conclusas hircinis follibus auras Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis, Ut mavis, imitare; cf. Iuv. VII, 111: Tunc immensa cavi spirant mendacia folles. Tu igitur non te iactas magnifice loquens, nec silentio aut gravi murmure cogitationis severae speciem prae te fers. *Nec murmure clauso,* quod in ore continetur, nec clare erumpit, inepte *cornicaris,* quod v. a cornice derivatum, significat ad instar cornicis garrire, Gr. *κρώζειν,* unde *raucus* additur, ut apud Lucret. VI, 752 sq. raucae cornices (cf. Ovid. Met. V, 678), *nescio quid grave,* ut speciem eius habeas, qui gravissimas res strenua cogitatione versat. Hinc sumsit Hieron. epp. XCV (IV t. IV, 2 p. 775 Ben.): Intra se nescio quid cornicantes (cf. ad III, 82). Nec tu inani sono gaudes, ut pueri dum *buccas tumidas* summa vi inflatas *stloppo,* quod v. ad sonitum exprimendum factum est, *rumpunt,* ut sonum emittant. *Verba togae,* qualia vitam quotidianam decent, *sequeris, iunctura,* compositione (v. ad I, 65), *acri,* accurata atque diligenti, quae ad perspicuitatem et vim orationis summi momenti est (Hor. A. P. 47 sq. 242), *callidus, ore modico,* temperato loquendi genere (ut apud Horat. A. P. 323 ore rotundo loqui), *teres,* ex Festi interpretatione in longitudine rotundatus (cf. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 633. Ecl. VIII, 16), quod de membris corporis humani, v. c. suris, lacertis, ita usurpatur, ut significet succi plenas, ita ut iustum modum impleant, a macie aeque remota atque a pinguedine, deinde ad orationem transfertur, cf. Cic. de orat. III, 52, 199: Est (oratio) et plena quidem, sed tamen teres, et tenuis, non sine nervis ac viribus, et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. *Pallentes* morbo vitioque (IV, 47. Hor. epp. I, 1, 61) *mores radere* (I, 107) *doctus* (prol. 11), *et culpam ludo ingenuo* ingenuis digno *defigere.* Ut dicitur *figere* cervos, damas (Virg. Ecl. II, 29.

Georg. I, 308), iaculari, ita *defigere* est prorsus conficere. Ne quis vero talibus ludis caruisse antiquos putet, conferatur pictura vascularis (Mus. Borb. VI, 41), in qua gallus conspicitur columnae impositus, quem iuvenes figere certatim student, nemo vero usque dum defixit. *Hinc trahe, quae dicas*, i. e. ex vita quotidiana argumenta petas, quae modesto scribendi genere tractes, *mensasque relinque Mycenis* (prol. 5) *cum capite et pedibus*, quae postquam pueros comedit Thyestae afferebantur, *plebeiaque prandia*, non tragica, *noris*.

v. 19—29. Cui Persius quid sit, quod omnibus viribus eloqui studeat, declarat, scilicet ut patefaciat, quanto amore Cornutum amplectatur, quo animo agnoscat, quantum sit, quod ei debeat, quam arcto amicitiae vinculo inter se coniungantur. *Non equidem hoc studeo, ut mihi pagina*, quod de libro saepius usurpatur (cf. Mart. IX, 78, 2. Iuven. VII, 100. Stat. Silv. III, 2, 143), *turgescat* (ut pagina millesima surgit Iuv. l. l. pagina crescit Ovid. Trist. V, 9, 3) *pullatis nugis*, tragicis verbis, quae nihil significant, ut apud Horatium (A. P. 322): Versus inopes rerum nugaeque canorae. *Pullati* enim sunt pulla veste induti, qua in luctu utebantur, Iuv. III, 213 cl. Becker Gall. II p. 289. Böttig. kl. Schr. I p. 204 sq.; ita vestitum procedere eius tantum erat, qui gravissimum luctum ostendere volebat, et male ominatum habebatur. Itaque ineptum et odiosum erat cum pulla incedere, ubi non decebat, cf. Cic. in Vatin. 12, 30 sqq. Quare nihil magis ineptum quam nugae, quae pullam iactant. Ceterum quod translationem attinet, conferri potest illud apud Quintilianum (V, 10, 71): Non possum praetextam sperare, cum exordium pullum videam. *Idonea dare* (Hor. epp. I, 16, 12. ad prol. 11) *pondus fumo*, quod Horatius (epp. I, 19, 42) dixit: pondus addere nugis; fumus enim de rebus levissimis et vanissimis dicitur, unde *fumum vendere* is dicitur, qui vana specie fallit (Apul. apol. p. 313 Elm. Mart. IV, 5, 7. Capit. Ant. P. 11. Lampr. Heliog. 10. Alex. Sev. 23. 36). *Secreti loquimur*, ut nulla causa sit veris fucum quaerendi, *tibi nunc hortante Camena*, ut poeta, *damus excutienda* (I, 49) *praecordia* (I, 117) *et iuvat ostendisse* (I, 41) *quanta pars nostrae animae tua sit*, nam amici ex sententia antiquorum dimidia imo maior atque melior alterius animi pars erant, cf. Horat. carm. I, 3, 8 ib. intpp. II, 17, 5. Ovid. Met. VIII, 405. epp. III, 4, 69. Stat. Silv. III, 2, 7. Rutil. Itin. I, 493. *Dulcis* de amicitia usitatum, cf. Hor. epp. I, 7, 12: Te, dulcis amice, reviset. V. infra v. 109. *Pulsa* (κρούειν ad III, 21) *cautus*

dignoscere (Hor. sat. I, 6, 51 cautus adsumere dignos), *quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.* Parietes opere lateritio constructi *tectorio* operiebantur, quod levigatum et pictum lapidem simulabat, quare *solido* opponitur, quod totum lapideum est, non superficiem tantum monstrat. Cf. Frontin. expos. form. p. 31 Goes.: „Planum est — in quo longitudinem et latitudinem habeamus, per quae etiam — opera tectoria, inauraturas, tabulas et his similia, in quibus altitudo aut crassitudo non proponitur. Solidum est — cuius longitudinem et latitudinem et crassitudinem metimur, ut parietum structuras.“ Itaque omnia quae in superficiem illinebantur, tectoria vocantur, ut medicamina faciei ap. Iuven. VI, 467. Iam vero pulsu facile potest dignosci, utrum paries e lapide factus an tectorio superinducto ornatus sit, quamquam antiquorum opus tectorium tam egregie confectum est, ut si adspicias, cum lapide certare videatur (cf. Wiegmann, Malerei d. Alten p. 24 sq. 35 sqq. 171 sqq.). *Crepare* autem de iis dicitur, quae non purum et canorum sonum edunt, sed fractum quasi et obscurum. *Solidum crepet,* cf. III, 21, de iterata syllaba *crepet et* v. ad III, 92. Hoc ad sermonem retulit, qui aut pure refert, vel, ut postea ait, totum resignat, quod mens cogitat, aut addito verborum ornatu. Imitatus est Ausonius (Id. XVI, 12): Sit solidum quodcunque subest, nec inania subter Indicet admotus digitis pellentibus ictus; et Augustin. l. in ann. crit. l., qui etiam C. D. III, 14 similiter locutus est. Hisce iure centenas voces mihi posco, *ut quantum mihi te in pectore fixi,* te tuumque amorem in pectus recepi, *sinuoso,* quod multos recessus habet (II, 73 sq.), ut *μυχὸς φρενῶν* apud Theocr. XXIX, 3, *voce traham* (v. 17) *pura,* non picta, *totumque,* solidum, *hoc verba resignent,* quod proprie est signo soluto in lucem proferre quod clausum erat. *Quod latet arcana fibra,* qua sentimus (I, 47) *non enarrabile,* ut omnia, quae vere imo pectore sentimus, vix verbis recludi posse videntur.

v. 30—51. *Purpura* est toga praetexta, *περιπόρφυρος,* ut apud Iuvenalem (XI, 155): quos ardens purpura vestit. Hanc ab Etruscis desumtam (Müller Etr. I p. 261) pueri ingenui gestabant, ut magistratus (Macrob. Sat. I, 8), qua, ut ait Quintilianus (decl. 340 p. 316 Bip.), infirmitatem pueritiae sacram faciebant ac venerabilem, unde Persius eam *pavido* puero *custodem* fuisse dicit. Alterum ingenuorum puerorum insigne et ipsum ab Etruscis acceptum *bulla* aurea erat. Ficoroni, la bolla d'oro de' fanciulli nobili Romani. Rom. 1732. 4.

Morcelli della bolla de' fanciulli Romani. Mil. 1816. 8. In ea conclusa erant varia, quae ad fascinum arcendum collo appendebantur, v. Macrob. I, 6. Plin. XXXIII, 1, 4; 4, 25. cl. XXVIII, 3, 7. Varr. L. L. VII, 107. Fest. s. v. *praebia*. Plut. qu. gr. 101. cf. Böttiger opp. p. 208, et eam de collo pendentem gestabant pueri, ut in monumentis videri potest, tam Etruscis, quam Romanis, v. Micali, Mon. t. 43. 44. Spon. Misc. p. 299. Mus. Pio Cl. III, t. 24. d'Agincourt frgms. de sculpt. t. 14, 1. 3. 5. Quid quod in sepulcris etiam repertae sunt bullae eiusmodi, cf. Caus. Mus. Rom. VI, 6. R. Roch. ant. chrét. III p. 99 sqq. Quo die ante deos domesticos posita praetexta toga pura sumebatur (Prop. V [IV], 1, 131 sq.), quod decimo sexto aetatis anno Persium fecisse narrat vita (cf. de ea re Beier. ad Cic. Lael. 10, 33. Weichert. de Augusto p. 9 sq.), eo etiam bulla Laribus sacrabatur, ex eo more, de quo ad II, 70 dictum est, cf. Schol. Hor. satt. I, 5, 65. Aliis quoque numinibus bullas consecratas esse docent hi tituli: IVNONI. PLACIDAE | CONSERVATRICI. AVGVSTAE | CLAVDIA. SABBATIS | BVLLAM. D. D | ADDIDIT. ET. SCYPHYM. ET | TRIPODEM. FORTVNAE. AVG. (Grut. 25, 2), et: HERCVLI. BVLL | M. VLPIVS | AVG. LIB | TIMOCRATES | AEDITVS | D. D (Morcell. l. l. p. 45), cf. Visconti M. Pio Cl. t. III p. 114. ed. Mil., quod tamen aliorsum spectare videtur. *Lares* vocat *succinctos*, ut Ovidius (Fast. II, 634) *incinctos*, quia hoc modo, coronati et rhytum tenentes repraesentabantur, ut apparent in duobus anaglyphis, ubi addita est inscriptio: LARIBVS. AVGVSTIS, Mus. Pio Cl. IV t. 45. Gall. R. di Fir. IV t. 144, in pictura antiqua (Pitt. d'Erc. IV, 13. Mill. G. M. t. 89, 290), lucerna (Bartol. luc. I, 13. 14), et innumeris sigillis aeneis (Gall. R. di Fir. t. 145 sqq.) cf. Hertzberg, de diis Rom. patr. I c. 6. *Cum comites* (ad III, 1), qui puerum sub severa custodia tenuerunt, adulto iam *blandi* fuerunt. *Umbo* togae erat bene compositae, v. Tertull. de pall. 5: Nec artifice opus est, qui pridie rugas ab exordio formet, et inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet; cf. Apulei. Met. XI p. 258 Elm. Quid sit multum disceptatum est a VV. DD. cf. Lips. Electt. I, 13. Salm. ad Tert. de pall. p. 339 sqq. confut. anim. Cerc. p. 214 sqq. Actt. soc. lat. Ien. II p. 90. Becker Gall. II p. 85. *Iam candidus*, i. e. togae purae, *permisit impune sparsisse* (I, 41) *oculos*, ut *lumina spargere* apud Valer. Fl. V, 247 sq. VI, 584, quoquo versus iactare *tota Subura*, ubi semper fervebant ne-

gotia (Mart. XII, 18, 2. Iuv. III, 5. XI, 141), omnis generis res vendebantur (Mart. VII, 31, 12. X, 94, 5), et plurimae meretrices prostabant (Mart. VI, 66, 2. XI, 61, 3 sq. 78, 11), quare iuvenibus puerisque periculosa erat, qui ibi grassari amabant, (Liv. III, 13, 2). Cf. Statius (Silv. V, 2, 68 sq.): Quem non corrumpit pubes effrena novaeque Libertas properata togae; cl. Prop. IV, 14 [III,15], 3 sq. Plut. de aud. 1: *Ἔνιοι τῶν νέων ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι συναποθέμενοι τὸ αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι καὶ λύσαντες τὴν κατασχηματιζούσαν αὐτοὺς περιβολὴν εὐθὺς ἐμπίπλανται τῆς ἀναγωγίας. Cumque iter ambiguum* etc. Hic iterum utitur imagine de duplice via, quam III, 56 sq. adhibuit, ubi v. quae adscripsi. *Error vitae nescius*, qui in iuvene nondum vitae experientia edocto esse debet, *mentes trepidas*, incertas, *deducit in compita ramosa*, unde complures viae, quasi rami, ducunt, quarum quaenam eligenda sit, nescit iuvenis. Notanda tempora diversa in his: *Cum — cessit — permisit — est — deducit. Cum* perfecti indicativum habet adiunctum, ubi significatur certum tempus, quo actio perfecta esse dicitur cum alterum evenit, quod h. l. addito *primum* clarius etiam indicatur, (cf. Iacob in Iahn. ann. 1828, II p. 132). Tum ubi quid certo tempore fieri solere indicatur, si id tempus actionis praegressae absolutione notatur, cum perfecti indicativo coniungitur (Madvig. ad Cic. de finn. p. 690 sq. 880); si hoc non ad praeteritum tempus refertur, sed in universum ita fieri solere indicatur, praesentis indicativus ponitur. Quare dixit Persius *cum iter ambiguum est, et error mentes deducit*, quia hoc ad omnes pertinet, qui in id aetatis spatium ingressi sunt. Cf. Cic. p. Planc. 26, 65: *Cum* casu diebus iis — Puteolos forte *venissem, cum* plurimi et lautissimi *solent* esse in iis loci, concidi paene. *Me tibi supposui*, ut filium adsciticium, quem sibi supponere dicunt parentes (Plaut. Cist. II, 3, 11. Truc. IV, 3, 30). *Tu suscipis*, quod patres fecerunt, qui liberos agnoscebant (Ter. Andr. II, 3, 27) *teneros annos sinu* (cf. Senec. Med. 284: Hos paterno, ut genitor, excipiam sinu) *Socratico*, sancto amore, quo Socrates iuvenes amplexus est, de quo dissertationes scripsit Maximus Tyrius (XXIV sqq.). *Mores intortos*, curvos (III, 52) *extendit regula apposita* i. e. apposita regula flectuntur et extenduntur, donec recti fiant, cf. Senec. epp. L, 6: „Robora in rectum quamvis flexa revocabis; curvatas trabes calor explicat, et aliter natae in id finguntur, quod usus noster exigit.“ Regula dicitur *sollers fallere*, non quae sollerter fallit, sed quae sol-

lertiam adhibet, ubi de fallendo agitur, quae non fallit, quod quamquam intelligi potest, insolenter nec bene dictum est. *Animus ratione premitur*, ut apud Virgil. Aen. VI, 80 fingit premendo, quo referendum *vinci laborat*, cum studio ac labore vincitur (Plin. epp. I, 10, 2 amarique ab eo laboravi), cf. Plaut. Trin. II, 2, 29: Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas. *Vultum ducit*, ut lapides ducere formam ait Ovid. Met. I, 402 (aliter dicitur artifex *vultus, opus* sim. *ducere*, Virg. Aen. VI, 848. Quint. X, 3, 18), *tuo sub pollice*, quia artifices in fingendis e cera, argilla aliave molli materia sigillis pollice potissimum utuntur, v. Ovid. Met. X, 284 sqq.: Ut Hymettia sole Cera remollescit, tractataque pollice multas Flectitur in facies. Stat. Achill. I, 332 sq.: Qualiter artificis victurae pollice cerae Accipiunt formas, cf. Rutg. VV. LL. I, 2. Frequens autem haec ad animum fingendum translatio, cf. Iuven. VII, 237 sq.: Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat, Ut si quis cera vultum facit. Plin. epp. VII, 9, 11. *Vultum* dicit *artificem* i. e. arte factum, cf. Prop. III, 29 [II, 31] 8 artifices (Myronis) boves; Val. Fl. VI, 465 aspiramina artificis formae; Quint. IX, 4, 8, artifex motus; Plin. X, 29, 43 artifices argutiae. *Tecum consumere* (Cic. rep. VI, 9, 9: Multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Ov. Am. II, 10, 27 ib. Burm.) *memini longos soles*, totos dies, ut apud Virg. Ecl. IX, 51 longos condere soles, *et epulis decerpere primas noctes*, epulas in primam noctis partem protrahere, quod alias dicitur *de nocte sumere* (cf. H. Peerlk. ad Hor. carm. I, 1, 20). *Unum opus et* unam *requiem* (cf. Meyer progr. grat. Utin. a. 1842 p. 11 sq.) *pariter disponimus ambo*, cf. Virg. Georg. IV, 184: Omnibus una quies operum, labor omnibus unus. *Atque seria* studia *laxamus*, remittimus, ut laxare laborem Liv. VI, 9, 9, curas Virg. Aen. IX, 223, *mensa verecunda*, ab omni luxurie remota. Quae sequuntur ex astrologorum doctrina desumpta sunt, quae apud Romanos in dies maiorem fidem nanciscebatur, inprimis inde a Tiberio, qui his artibus deditus erat, cf. collectanea Ruperti ad Tac. aun. II, 27. cl. Müll. Etrusk. II p. 16. Persius, qui vix astrologiae notitiam accuratiorem habebat, ita astrorum nomina elegit, ut orationem iis accommodatam apte figuraret. Conferendus est Horatii locus (carm. II, 17, 17 sqq.): Seu Libra, seu me Scorpius adspicit Formidolosus, pars violentior Natalis horae, seu tyrannus Hesperiae Capricornus undae: Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum. Te Iovis impio Tutela Saturno refulgens

Eripuit cett. *Non equidem* (I, 110) *dubites*, ad I, 6. *Foedere certo*, lege fixa atque stabilita, Virg. Aen. I, 62. Sil. It. XV, 75. Manil. Astr. II, 477: Iunxit amicitias horum (astrorum) sub foedere certo. *Parca tenax veri* (Catull. LXIV, 307. Hor. c. saec. 25) *suspendit nostra tempora aequali Libra* (cf. III, 10 sq.), quae eo etiam referenda monuit Welcker (Zeitschr. f. Kunst p. 216), quod Parca libram tenens repraesentabatur (Mus. Capit. IV t. 29.). Parca autem, quae nascenti homini adfuit, eo tempore, quo astrologicis superstitionibus Roma repleta erat, ex motu astrorum unicuique fatum suum attribuere putabatur (Klausen, Zeitschr. f. AW. 1840 p. 255 sqq.), quare in anaglyphis Romanis una Parcarum in globo coelesti horoscopum notare solet, ubi vel infanti recens nato (R. Rochette Mon. Inéd. t. 77, 2), vel Prometheo hominem fingenti adstant (Mus. Capit. IV t. 25. Mus. Pio Cl. IV t. 34. Millin voyage t. 65), quod cum Persii vv. egregie concinit. Ceterum tradit Manilius (Astr. II, 629 sq.): Quosque dabunt gemini chelaeque et aquarius ortus, Unum pectus habent fideique immobile vinclum. *Hora nata fidelibus*, insolenter pro hora, quae fidelibus vitam dedit, *dividit concordia fata in geminos*, quia, ut ait Manilius (II, 631 sq.) magnus erit Geminis amor et concordia duplex. *Saturnum gravem*, quia hoc sidus maleficum erat (Prop. IV, 1, 84. Iuv. VI, 569 sq. Apul. Florid. p. 348 Elm. Macr. in Cic. somn. Scip. I, 19), cuius vim *frangimus*, debilitamus, *Iove nostro*, communi, cuius astrum beneficum et salutare erat (Apul. l. l. Maneth. IV, 496 sqq. Prop. l. l. 83). Nam non per se solum potentiam habebat quodvis astrum, verum alia quoque prout primarium aspiciebant, vim exercebant, unde malorum noxa poterat imminui salutarium adspectu, cf. Censor. de die nat. 9. Iani exc. ad Hor. l. l. Horum quodcunque vel aliud sit astrum, nam hoc nescio, est tamen certe aliquod, *quod me tibi temperat*, sub quo ita natus sum, ut tecum tantopere consentiam, cf. Hor. epp. II, 2, 87, ubi genius natale astrum temperare dicitur.

v. 52—61. *Mille hominum species et rerum usus discolor*, varius, ubi *species* et *usus rerum* ad externum habitum et agendi rationem spectant; *velle suum* (I, 9) *cuique est*, proprium quoddam, ut Virg. Ecl. II, 65: Trahit sua quemque voluptas, *nec uno voto* i. e. diverso *vivitur* (II, 7). Ad exempla, quae iam affert, cf. Hor. epp. I, 18, 21 sqq. *Mutare merces* est apud Virg. Ecl. IV, 38. Horat. sat. I, 4, 29. Apul. Flor. p. 343 Elm. pro mercari, unde Virgil. Georg. III, 306 sq.: Milesia magno mutantur vellera. Plenius Persius *mercibus Italis*

mutare piper. Sub sole recenti, in terris ad orientem sitis, ut Horat. sat. I, 4, 29 eodem sensu *surgente a sole*, et Apul. (Flor. p. 343) Indos ad nascentem diem sitos dicit. Ex India petebatur *piper* optimum, quod *rugosum* vocat, quia Italico deerat tosta illa maturitas ideoque et rugarum colorisque similitudo, teste Plinio XII, 7, 14. *Cuminum*, condimentum fastidiis amicissimum (Plin. XIX, 8, 47), pallorem bibentibus gignit, ut narrat Plin. XX, 14, 57, quare *pallens* dicitur, ut Horatio (epp. I, 19, 18) *exsangue* (v. ad prol. 4). Alius nihil curat, nisi ut cibis opimis *satur turgescat somno irriguo*, qui fessos artus irrigat (Lucret. IV, 908 sq. Virg. Aen. III, 511. Heyn. ad I, 691). *Hic indulget campo*, ubi variis exercitationibus gymnasticis gaudebant, cf. Hor. carm. I, 8, 4. epp. I, 7, 59. A. P. 162, quae inde campestres dicebantur, Suet. Aug. 83. Id Romae in campo Martio potissimum fiebat, Strab. V p. 326 A. B. *Hunc alea*, de qua cf. Beck. Gall. II p. 221. intpp. Iuv. I, 88 sqq., *decoquit*, coquendo vires absumit, quod v. h. l. electum est, quia de iis potissimum dicitur qui re familiari consumta creditoribus satisfacere non possunt, cf. intpp. Flor. I, prooem. 8. *Ille in Venerem putris*, cf. Horat. carm. I, 36, 17 sq: Omnes in Damalin putres deponent oculos. Nam putre est quod in humorem dissolvitur, quales sunt libidinosorum oculi, cf. Apul. Met. III p. 135 ib. intpp., Graecis ταχερός (Luc. Am. 3. 14. Alciphr. I, 28 ib. Bergl.), quod ad hominem transtulit. *Chiragra*, Horatio (epp. I, 1, 31) nodosa, dicitur *lapidosa*, quia ossa obdurescere facit, *cum articulos fregerit*, contuderit, ut dicit Horatius (sat. II, 7, 16), quae nodosa fiunt, ut *veteris fagi ramalia* (I, 97), cum patiuntur ea, quae tale vitae genus secum fert. *Tunc ingemuere seri*, sero (cf. Lübker gramm. Studien I p. 43 sq.), *dies transisse crassos* sub crasso aere et nebula, *lucemque palustrem*, infructuosam, quod audacter a solo (Sen. epp. LXXIII, 14 humus sterilis ac palustris) ad lucem transtulit. Ex h. l. sumsit Guil. Tyr. bell. sacr. XXI, 25: Negligentia torpentes palustres trahebant dies. *Vitam relictam*, cuius nullos fructus habeant. Clarius eandem sententiam expressit Seneca (de brev. vit. 15): Cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. Tib. I, 4, 33 sq.: Vidi ego iam iuvenem, premeret cum serior aetas, Maerentem stultos praeteriisse dies.

v. 62—72. *At te iuvat nocturnis chartis* nocturno studio *impallescere*, de quo studiorum pallore v. ad I, 26, quem ut

affectarent Porcii Latronis discipulos cuminum sumsisse narrat Plin. XX, 14, 57. *Iuvenum cultor*, ab agro qui colitur, desumta imagine, quam in ceteris quoque exprimit, nam *purgatae aures*, quae alio saepe dicuntur (v. 86), hic ad agri similitudinem dictae sunt, qui purgatur, ut semen excipiat et proferat. *Fruge Cleanthea*, doctrina stoicorum, quorum primarius Cleanthes fuit, *inseris aures*, insolita structura, quam si codd. sequaris, etiam Cicero adhibuit (de univ. 12): Cum autem animis corpora (emendant: *animos corporibus*) cum necessitate insevisset, quod Graece dictum est (Plat. Tim. p. 42 A.): ὁπότε δὴ σώμασιν ἐμφυτευθείεν ἐξ ἀνάγκης. Alia significatione v. *inseris* cepit Augustinus, qui imitatione huius loci dixit (epp. CXVIII t. II p. 329 Ben.): Tot legisti dialogos, tot philosophorum altercationibus cor *inseruisti*; nisi ibi *insevisti* legendum est. Similiter dicit Horatius (epp. I, 1, 40), culturae facilem praebere aurem, eademque imagine utitur Cicero (Tusc. II, 5, 13): Cultura animi philosophia est, haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. *Petite hinc*, ex philosophia, *iuvenesque senesque*, omnes (cf. Sen. de ira II, 9. Mart. I, 3, 5. VII, 35, 5. 71, 5), *finem animo certum* (III, 60) *miserisque viatica canis*, quod Bias dixit (apud Diog. L. I, 5, 80): Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν, vel Aristoteles (apud eundem V, 11, 21): κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ ἡ παιδεία; et similiter alii, cf. Wyttenb. ad Plut. de educ. puer. p. 8 C. Iam ex more suo dialogum instituit cum eiusmodi homine, qui quae hodie agenda sunt, semper in crastinum diem differt, qualem facete depingit Martialis V, 58. Cum ille dixisset *cras hoc fiet*, quod semper in ore hominum (Ovid. rem. am. 104: Dicimus assidue, cras quoque fiet idem. Petron. 45: Quod hodie non est, cras erit), satis acerbe respondet poeta: *idem cras fiet*, quod tu hodie dicis, cras quoque dicturus es. Cui ille: *Quid, quasi magnum, nempe diem, donas?* ubi ex negligentiore, quo uti solemus, sermone duo enunciata in unum conflata sunt: Quid, quasi magnum sit, mihi donas? nempe diem donas. *Sed cum lux altera venit, hesternum cras*, quod tu hesterno die cras appellasti, *iam consumsimus* (v. 41), cf. Sen. brev. vit. 9: „Maximum vivendi impedimentum est exspectatio, quae pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunae positum est, disponis, quod in tua, dimittis.“ *Semper aliud cras*, in quod incepta differas, *hos annos egerit*, quasi fugientes impu-

lerit (ut dies diem trudit, intpp. Petron. 45), *et semper paullum erit ultra*, quousque processeris, semper futurum erit tibi cras, cf. Ioa. Chrysost. or. XIX ad pop. Antioch. a Casaub. laudatus: *Μή μοι λέγε, ὅτι κατὰ μικρόν, μηδὲ εἰς τὴν αὔριον ἀναβάλλου, ἡ γὰρ αὔριον οὐδέποτε λαμβάνει τέλος.* Hinc sententiam illustrat imagine rotae, quae quamvis celerrime currat, nunquam alteram, quae in eodem curru prior est, assequi potest: ita is, qui semper in crastinum diem profert, nunquam illud cras, quod in ore habet, assequitur. *Canthus*, quod vocabulum barbarum vocat Quintilianus (I, 5, 8) proprie ferreum orbem significat, quo rota circumdatur (Graeca *ἐπίσσωτρα*, Schol. Hom. Il. *ε*, 724. Suid. Etym. s. v. *ἐπίσσωτρα*), cf. Prob. ad Virg. Georg. I, 163. Diomed. III p. 474. cl. Augustin. princ. dial. t. I p. 818 Ben. Martial. XIV, 68, hic pro rota ponitur. Rotam igitur quamvis prope te et sub uno eodemque temone sese vertentem frustra sectaberis, cum posterior rota et in axe secundo curras, ubi satis audacter persona cum rota, quacum comparatur, coaluit.

v. 73—90. *Libertate opus est*, sed vera, non ea, quam ius civile dat, ut Seneca ait (quaestt. nat. III praef. p. 89 Bip.): „Haec res efficit non e iure Quiritium liberum, sed e iure naturae. Liber autem est, qui servitutem effugit sui.“ *Non hac, ut*, qua, (quasi dixerit *ita, ut*) *scabiosum far tesserula possidet, quisque*, quicunque (ad IV, 28) *Publius emeruit Velina*. Qui libertatem nactus erat, *emeruit*, is praenomen accipiebat v. c. *Publii* (v. 79), et tribui adscribebatur; *Velinam* exempli loco affert, ut Horat. epp. I, 6, 52. Civibus autem pauperibus, qui hoc beneficio a praetore digni iudicabantur, *tessera* dabatur (Suet. Aug. 40. Iuv. VII, 174. Thomas. de tess. hosp. c. 16), qua prolata certis diebus *frumentum* accipiebant (cf. Casaub. ad Suet. l. l. Lips. Electt. I, 8. Walter. R. Rechtsgesch. p. 247 sq.), itaque permulti saepe manumittebantur, ut hoc beneficio fruerentur, Dion. Hal. IV, 24. Dio C. XXXIX, 24. Hoc frumentum, quod sine discrimine morum inter cives distribui notat Seneca (benef. IV, 28), *scabiosum far* contemtim vocat, ut apud Iuven. l. l. vilis frumenti tessera dicitur. *Heu steriles veri* (cf. Vell. I, 18, 3 liberalium studiorum steriles. Tac. hist. I, 3), *quibus una vertigo facit Quiritem*, cuius v. singularis numerus, quamquam ex decreto grammaticorum poni non debebat, tamen haud paucis locis legitur, v. Lübker ad Hor. carm. I, 7, 3. Quiritem vero facit vertigo, quia manumissio per vindictam, quae hic significatur, plenum ius civitatis dabat, non

solum Latinum faciebat, Gai. I, 17. In manumissione per vindictam is, qui manumittebatur virga, *vindicta* (v. 88, 126) sive *festuca* (v. 175) tangebatur, et a domino *vertebatur* seu circumducebatur (Isid. Orig. IX, 4. Quintil. decl. 242 p. 321 Bip. cf. Sen. ep. VIII, 6), unde *vertiginem* et vs. 78 *turbinem* dixit, tunc e manu mittebatur cum verbis: Hunc hominem liberum esse volo (Fest. s. v. manumitti). Cf. Heind. ad Hor. sat. II, 7, 76. Creuzer, Röm. Alt. p. 71 sq. Rein, Röm. Privatr. p. 271 sq. *Hic est Dama*, vulgare servorum nomen, decurtatum e nomine *Δημήτριος*, ut multa alia similiter (Bentl. ep. ad Mill. p. 521 sq. Winckelm. ad Plat. Euthyd. p. XL sq.), quo pro vili et abiecti servi exemplo utitur Horatius (sat. I, 6, 38. II, 5, 30. 101; 7, 54), *agaso*, qui iumenti curam agit, quos inter infima servitia habebant, *non tressis*, ut Vatinius (ep. ad Cic. inter fam. V, 10, 1); non semissis homo; Plaut. Poen. I, 2, 168: Non ego homo trioboli sum; cf. Gron. de pec. vet. I, 8. *Vappa* vocabatur mustum, quod iterum sponte fervebat, qua calamitate deperit sapor (Plin. XIV, 20, 25), et omnino vinum vilissimum, quale servum decebat, qui immodico eius usu *lippus* factus est, ut vinum nimium oculis nocet (II, 72). *Farrago* appellabatur teste Paull. s. v. id, quod ex pluribus satis pabuli causa dabatur iumentis, quae diversis modis miscebatur (Varro R. R. I, 31, 5. Plin. XVIII, 16, 41): in hac administranda, quod erat agasonis officium, *mendax* fuit, fraudulentus. *Verterit* sc. si (v. 189. Bentl. ad Hor. satt. II, 6, 49) *hunc dominus*, quod contentim de manumissione dicit, ut Arrianus (diss. II, 1, 26): *Ὅταν οὖν στρέφῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὑτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; Ἐποίησε. Τί; Ἔστρεψε τὸν αὑτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. Ἄλλο οὐδέν; Ναί· καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Τί οὖν; ὁ ταῦτα παθὼν οὐ γέγονεν ἐλεύθερος; Οὐ μᾶλλον ἢ ἀτάραχος.* *Momento turbinis*, qui vertendo efficitur, *exit Marcus Dama*, qui praenomen, quod liberi tantum habent, unde tantopere inculcat, adiunxit nomini servili. Ita M. FVFIVS. M. L. DAMA est in inscr. apud Buonarottium (vetri p. 136 cf. Grut. 991, 13). *Papae*, *παπαί*, admirantis exclamatio. Hic Marcus Dama, quamquam liber factus omnes iuris actiones perficere potest, ingenium tamen non mutavit, et tu, qui eum novisti, non liberto magis, quam olim servo fidem habes. *Marco spondente, credere tu nummos recusas.* De sponsione v. Varro L. L. VI, 69 cl. Lachmanni dissert. (Mus. Rhen. a. 1839 p. 111 sqq.) Rein, Röm. Privatr. p. 342. Walter R. Rechtsgesch. p. 644 sq. Erat autem, teste Gaio (III, 93) ea verborum

obligatio: DARI SPONDES? SPONDEO propria civium Romanorum, ceterae iuris gentium, quare h. l. v. *spondendi* cum vi quadam positum est. *Marco sub iudice* (Hor. a. p. 78. Ovid. Met. XI, 157. Inven. IV, 12. VII, 13) *palles*, prae timore, ne contra ius iudicet. *Marcus dixit: ita est* (Hand. Tursell. III p. 493), si quid dixit, creditur ei; ius habet negotia rite perficiendi, *adsigna, Marce, tabellas*, nam negotiorum tabulis praeter subscriptionem nominis etiam sigillum apponebatur, quod est assignare, cf. Brummer, comm. ad leg. Cinc. c. 14 (opp. p. 246 sq.). Brisson. d. vv. sign. s. v. *Haec mera*, pura et perfecta, *libertas est, hoc nobis pilea donant.* Pileus enim libertatis signum erat, quem manumissi in templo Feroniae acceptum (Serv. ad Virg. Aen. VIII, 564) portabant capite raso, Plut. Flamin. 13. Sen. epp. XLVII, 16. Suet. Tib. 4. Mart. II, 68, 4. Diod. Sic. XXXI, 26. Respondet ille: *An quisquam est alius liber, nisi cui licet vitam ducere, ut voluit?* Nam e stoicorum doctrina libertas est potestas vivendi ut velis (Cic. parad. V, 1, 34), vel, ut Arrianus ait (diss. IV, 1, 1): *Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται.* Iam vero, ita pergit, mihi *licet vivere, ut volo*, nonne igitur, *sum liberior Bruto?* qui libertatis gravissimus assertor fuit. Cui respondet *stoicus aures mordaci* (Markld. ad Stat. Silv. I, 2, 27) *lotus aceto*, qui aures aceto (cf. ad I, 126) purgavit. Purgatis auribus auditur clare et acute, cf. Hor. epp. I, 1, 7. Plaut. mil. gl. III, 1, 176. Ita iis quoque, qui futura praevident, aures purgatas esse narrat fabula, cf. Böttiger, Raub d. Cass. p. 29 sq. H. l. respexit Ausonius (ep. IV, 66 sq.): „Quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis, Scillite decies non si purgeris aceto;“ et hinc videtur Paulinus quoque (epp. ad Auson. III, 161) sumsisse: „Fermentare iocos satirae mordacis aceto.“ *Mendose colligis*, conclusionem facis, *συλλογίζεις*, cf. Sen. epp. LXXXIII, 7. LXXXVIII, 4. XCIV, 34. Iuv. XIII, 191. *Haec reliqua*, quae tu posuisti, *accipio*, liberum esse, cui liceat vivere ut velit; quod porro assumsisti, tibi licere vivere ut velis, prave posuisti, nam nec *licet illud* nec *ut volo* recte intellexisti, ut iure de te dicere possis; ea igitur *tolle*, unde sequitur iniuria a te colligi, te liberum esse. Quod quam recte positum sit, iam ipse demonstrat alter, dum id quod modo dixit accuratius explicat et ita clarissime demonstrat, quantopere a veritate aberret. Significat enim iam aperte, se nullam aliam libertatem nosse atque civilem. *Postquam vindicta*, virga, quam manumittendi capiti imponebat lictor (Hor. sat. II, 7, 76 sq. cl. Dirksen

manuale s. v.), quae in duobus anaglyphis videri potest a Göttlingio explicatis (Ann. d. Inst. XII t. L. M. p. 157 sqq.), *a praetore recessi meus*, mei iuris (Ter. Phorm. IV, 1, 21); cur mihi non liceat facere, quod volui, *excepto si quid rubrica Masuri vetavit*, nisi si quid legibus prohibitum est. *Rubrica* de legibus praecipue usurpatur, quia initia legum minio pingebantur, cf. Petron. 46. Iuv. XIV, 192. Quint. XII, 3, 11. Prudent. in Symm. II, 460: „Cur rubrica minetur, Quae prohibet peccare reos." Sidon. Apoll. epp. VIII, 6. *Masurius Sabinus*, celeberrimus Ictus, qui Tiberii atque Neronis temporibus (Gai. II, 218) vixit, docendo scribendoque magnam auctoritatem nactus est, eumque secuta est Sabinianorum secta, cf. Zimmern, Gesch. d. Röm. Privatr. I p. 312 sqq. Ex inscriptione Veronae a. 1836 reperta, ubi C. MASVRIVS. C. F. SABINVS memoratur, Sabinum Verona oriundum suspicatur Borghesi (Bull. d. Inst. a. 1836 p. 144). Ut hic etiam apud Arrianum (diss. IV, 3, 12) memoratur: *Οὗτοί εἰσιν οἱ ἐκεῖθεν ἀπεσταλμένοι νόμοι, ταῦτα τὰ διατάγματα· τούτων ἐξηγητὴν δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς Μασουρίου καὶ Κασσίου. Vetavit*, insolens forma, quae legitur etiam apud Serv. ad Virg. Aen. II, 201. Haec libertas igitur est, quam Icti dicunt, facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur, Instt. I, 3, 1. Digg. I, 5, 4.

v. 91—123. *Disce* (III, 66), *sed ira*, quam modo prae te tulisti, *cadat naso*, ubi potissimam sedem habet, cf. Theocr. I, 18: *Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.* Herod. mimiamb. 5 Schn.: *Μὴ δὴ κόρη τὺ τὴν χολὴν ἐπὶ ῥῖνας Ἔχ' εὐθύς.* Lucil. frgm. XX, 4: „Calpurni saevam legem Pisoni' reprendi, Eduxique animam in primoribu' naribus," *rugosaque sanna* (ad I, 62). *Dum tibi de pulmone*, cuius opera est in spiritu vehementer ducendo, quod irati solent, *revello avias* (*λῆρον ἀφαιρεῖσθαι* Plat. Theaet. p. 151 C.), quo v. satis insolenter significavit errores, qualibus ab aviis et nutriculis teneri puerorum animi imbui solent, ideo *veteres*, inveteratas, ut apud Sen. epp. XCIV, 24 „duram iam et veterem animis extrahere pestem," cf. ad III, 83. Indigne ferebant hanc stoicorum doctrinam proceres, unde Arrianus (IV, 1, 7): *Ἂν δ' αὐτῷ (τῷ δισυπάτῳ) τὰς ἀληθείας εἴπῃς, ὅτι Τῶν τρὶς πεπραμένων οὐδὲν διαφέρεις πρὸς τὸ μὴ καὶ αὐτὸς δοῦλος εἶναι· τί ἄλλο ἢ πληγάς σε δεῖ προσδοκᾶν; Non praetoris erat, stultis*, ex doctrina stoicorum (*ἄφρονες, ἀνοήτοι* v. 121. Cic. parad. IV), *dare rerum officia tenuia* (tribus syllabis

pronuntiandum, ut saepe, v. Forb. ad Lucr. I, 874. Cf. prol. 4. II, 10 cl. Both. ad Hor. sat. II, 8, 1. Iahn. ad Virg. Georg. IV, 243), quae, ut Seneca ait (epp. XCIV, 35) tenues differentias habent, *et permittere usum vitae rapidae*, quae secum ferat et rapiat stultum, philosophia non firmatum. Hoc est, quod Cicero ait (de off. III, 17, 68), aliter leges, aliter philosophos tollere astutias. *Sambuca*, lyrae genus, quatuor chordis instructa erat (Athen. IV p. 175 D. E. XIV p. 633 F. 637 B), cuius diversas origines finxerunt grammatici (Schneidewin. ad Ibyc. p. 71 sq.), mollitiei et luxuriei instrumentum, cf. Scipio apud Macrob. Sat. II, 10 (frgmm. orr. Meyeri p. 104). Polyb. V, 37. Hanc *caloni*, servo qui ligna, aquam sim. portat (Serv. ad Virg. Aen. I, 41. VI, 1), *alto*, procera statura (Colum. R. R. I, 9, 4. Virg. Aen. X, 734), sed rudi et inculto, ut est id genus hominum, *citius* (Hand. Turs. II p. 78) *aptaveris*, quam praetor aliquem vere liberum efficiat. *Stat contra ratio* (v. 119), cf. Martial. I, 53, 12: „Stat contra, dicitque tibi tua pagina: fur es," *et garrit*, v. ann. crit. cl. iam Hildebrandi annot. ad Apul. Met. III, 20, cuius tamen de voc. *ganire* disputatio mihi quidem vana videtur. *Garrire* sicut *gannire* in usu fuisse videtur de leni susurro, utrumque vocabulum sermoni quotidiano aptum, nec ratione satis dignum. *In aurem garr.*, ut in locis Mart. l., cl. VI, 21, 3, *in auribus gann.* Apul. Met. V p. 171 Elm. cl. Iuv. XI, 59. Ratio vetat *id facere, quod quis*, quia non novit, *vitiabit*, nam *publica lex hominum*, lex, quam omnes agnoscunt, et *natura*, quae unicuique rei insita est, *hoc fas continet, ut inscitia debilis*, qua nihil iuste et plene perficitur, *vetitos actus teneat*, ita ut necessario eam sequantur. Quodcunque inscitia agit, id vetitum est. Id iam duobus exemplis accuratius demonstrat, quibus etiam Horatius usus est (epp. II, 1, 114 sq.): „Navim agere ignarus navis timet, abrotonum aegro Non audet, nisi qui didicit, dare." *Helleborum* (IV, 16) *diluis*, misces aqua vel alio liquore (Cels. V, 20, Varr. R. R. VI, 16, 14), *nescius examen certo compescere puncto*, quae de statera intelligenda sunt, in qua una tantum lanx est, et pondus in scapo pendens punctis distincto mensuram indicat, quales hodieque servatas videre licet, cf. Mus. Borb. I t. 55. Cattaneo, Equeiade t. 2 p. 75 sq. *Vetat hoc natura medendi. Si navim sibi poscat arator peronatus*, perona, quod est calceamentum rusticum (Serv. ad Virg. Aen. VII, 690. Isid. XIX, 34. Iuv. XIV, 186), *rudis Luciferi*, astrorum notitia, qua nauta non potest carere, usque adeo destitu-

tus, ut ne Luciferum quidem cognitum habeat, *exclamet Melicerta*, quem eundem cum Portuno (Hartung, Rel. d. Röm. II p. 74. 100), nautarum patronum iocose loquentem inducit poeta, *de rebus perisse frontem*, pudorem, ut simpliciter Horat. epp. II, 1, 80 sq.: „Clament perisse pudorem Cuncti paene patres;" nam frons sedes pudoris, cf. Mart. XI, 27, 7 cl. Victor. VV. LL. VIII, 6. Iuv. XIII, 242, quem l. imitatur Hieron. epp. XVIII [XXII] t. IV, 2 p. 41. Nostrum locum imitatus est Augustinus (c. Iulian. V, 6, 24 t. X, 1 p. 642): „Non usque adeo putandum est perisse frontem de rebus." *Tibi recto vivere talo*, quod Horatius (epp. II, 1, 176) recto stare talo dixit (cf. Gr. ὀρθῷ ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ Pind. Isthm. VI, 12. ὀρθῷ βῆναι ποδί Eur. Hel. 1449), *dedit ars*, nam philosophia vitae ars est (Cic. Tusc. II, 4, 12), ἐπιστήμη τοῦ βίου (Arrian. diss. III, 1, 62 sq.). *Specimen veri* externum est, quo agnoscitur verum, cf. Cic. Tusc. I, 14, 32: „Num dubitas, quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura?" Boeth. de consol. phil. III pr. 1: „Ut ea perspecta, cum in contrariam partem flexeris oculos, verae specimen beatitudinis possis agnoscere." Illud *dignoscere calles*, h. e. quid verum sit, suis indiciis atque signis certo iudicio agnoscis, ita ut caveas, ne unquam fallaris, quod imagine a nummis petita illustrat. Diligenter enim explorabantur nummi (cf. Herm. ad Luc. quom. hist. scr. p. 76 sq.), ne adulterini essent, quod *tinnitu* maxime se prodebat, cf. Quint. XI, 3, 31: „Nam sonis homines, ut aera tinnitu, dignoscimus." Aurum autem sicut argentum saepe aere corrumpebatur, unde ille apud Petronium (56) per argentum aes videre dicitur; id Graecis ὑπόχαλκον dicitur (Plut. de educ. 2. Themist. or. XXI p. 247 B. Piers. ad Herod. p. 447), quod *subaeratum* vocavit Persius. *Ne qua mendosum tinniat* (III, 21) *auro*, insolens structura est; *tinniat* absolute positum est et adiectum *auro subaerato*, ut e. g. apud Horat. epod. XIII, 2 mare et silvae Threicio aquilone sonant. *Quaeque sequenda aut vitanda forent, illa creta, haec carbone notasti*, cf. Horat. sat. II, 3, 246: „Sanin creta, an carbone notandi?" Num bene tenes, quid bonum sit, quid pravum? *Es modicus voti*, ut Sil. Ital. V, 14, et *voti immodicus* Symm. epp. X, 22. *Presso lare*, re familiari tenui et moderata, nam *lar* familiaris, qui domum et familiam sub tutela habebat (Hertzberg. de diis Rom. patr. I c. 10), pro ipsa re familiari ponitur, e. g. Hor. epp. II, 2, 51. *Amicis dulcis*, cf. Hor. sat. I, 3, 69 sq.: „Amicus dulcis — Cum mea compenset vitiis bona;" 139 sq.: „Et mihi dulces

Ignoscent — amici." V. supr. v. 23. *Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes*, quod simplicius Seneca (epp. XCIV, 23) dicit: „Puta enim avaritiam relaxatam, puta adstrictam esse luxuriam." Verba de frenis usitata (cf. Sidon. Apoll. epp. VIII, 6 p. 496 Sav.: Vel silentio me lora laxare, vel stringere frena garritui) audacius ad *granaria* transtulit, quae magnam copiam significant (VI, 25). Pecuniam ita contemnis, ut nummum in terra iacentem sine cupiditate eum tollendi praeterire possis. Eodem exemplo utitur Horatius (epp. I, 16, 63 sqq.): „Qui liberior sit avarus, In triviis fixum cum se demittit ob assem, Non video." Fortius etiam homo de plebe apud Petronium (43) de avaro: „Paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere." *Gluto*, gulosus, cf. Gloss. Steph. p. 105: *gluto, λιμβός* cl. Larch. ad Orion. etym. p. 95. *Salivam sorbere* dicitur is qui ardenti appetitu incitatur, unde salivam movere (Sen. epp. LXXIX, 6), ad salivam facere (Petron. 48); cf. VI, 24. *Mercurialis* vocatur ea saliva, quia non ciborum, sed lucri cupiditate movetur, lucri autem deus est Mercurius (ad II, 44). Similiter Mercuriales vocantur qui lucro intenti mercantur, cf. Hor. sat. II, 3, 25 ib. Heindf. *Haec mea sunt*, ex formula iuris (Virg. Ecl. IX, 4. Brisson. de form. V, 19) *cum vere dixeris, esto liberque ac sapiens*, quia secundum stoicos solus sapiens liber est, *praetoribus* dextris (v. 43) *et Iove dextro* (II, 11), qui *liberator*, *ἐλευθέριος* vocabatur (Tac. Ann. XV, 64. XVI, 34. Schol. Iuv. V, 36. Dio Cass. LXII, 26). *Cum fueris nostrae farinae*, eiusdem generis; locutio proverbialis. Ita Cassius Parmensis de Augusto dixit: „Materna tibi farina est ex crudissimo Ariciae pistrino" (Suet. Aug. 4), quamquam is quidem ei genus a pistore oriundum exprobrare voluit (cf. Weichert. de Cassio Parm. p. 283 sqq.). *Pelliculam veterem retines*, naturam tuam non mutasti, quod de anguium exuviis explicari potest. Casaub. proverbium Graecum affert *τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα ἔχειν* (Plat. Alc. I p. 120 B. Ruhnk. ad Tim. p. 36. Diogen. prov. I, 73). Quocunque modo explicetur, vix videatur apte positum, cum mox sequatur *fronte politus*, qua significatione IV, 14 dixit *pelle decorus*, quod ortum est e Persii studio diversa ratione idem exprimendi, quo fit ut interdum coniungat quae non satis bene inter se quadrant. *Frons* de externo habitu ac specie ponitur, animo et menti oppositis, cf. Sen. cons. ad Helv. 5: „Iuania — iuveni intra nihil habentia fronti suae simile." Cic. ad fam. I, 9, 17: „Idque non solum fronte atque vultu, quibus simulatio facillime sustinetur,

declarant;" ad Att. V, 10, 3. de finn. II, 24, 77. Quint. decl. CCLXVIII p. 88 Bip. ficta frons, cl. Sen. de tranq. an. 15. Iuv. II, 8. Mart. I, 24, 4. *Sub pectore*, ubi animi sedes (cf. Lange, verm. Schr. p. 112 sq. cl. Cort. ad Lucan. I, 247) *vapido*, proprie in vappam degenerante (v. 148), quod v. sicut *vappa* (Plin. XIV, 20, 25) etiam ad hominem transfertur (cf. Suet. Aug. 87), *servas astutam vulpem*, quae Archilocho (fr. 79 Schn) κερδαλέη ἀλώπηξ est, i. e. astutiam, ut Themistius (XXII p. 279 A.) dixit: φύονται δέ τινες καὶ ἐν ἀνθρώποις ἀλώπεκες. Aliter paullo Horatius (A. P. 437) dixit animos sub vulpe latentes, ubi vulpes est pellis vulpina, sicut Plato dixit: Τὴν δὲ τοῦ σοφωτάτου Ἀρχιλόχου ἀλώπεκα ἑλκτέον ἐξόπισθεν κερδαλέαν καὶ ποικίλην (rep. II p. 365 C. ib. intpp. Ruhnk. ad Tim. p. 256 sq.). *Quae dederam supra, relego*, repeto, quod v. ita usurpatur, ut ea, quae peracta sunt, sensim et per singulas partes repetantur, praesertim fila, vestigia, iter sim., cf. Heins. Advv. II, 4 p. 235 sqq. ad Ovid. Met. IV, 570. fastt. II, 550. Bentl. ad Hor. carm. I, 34, 5; de pecunia non esse in usu probarunt Gron. obss. I, 20. Bentl. et Fea ad Hor. epod. II, 69. *Funemque*, quem iam tibi relaxaveram, *reduco*, astringo, cf. v. 158 sqq. *Nil tibi concessit ratio*, quia ex sententia stoicorum sapiens omnia, stultus nihil omnino recte facit, ne minimum quidem, in quo illustrando adhibet illud apud stoicos pervagatum *digitum exserere*, τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν. Nam cum digitum porrigere pro re levissima ponerent (cf. Cic. de finn. III, 17, 57. Plut. de rep. stoic. 26. adv. stoic. 8), ut inter ἀδιάφορα ponerent (Diog. Laert. VII, 1, 60, 104. Stob. ecl. phys. II, 7), tamen sapiens sine ratione ne digitum quidem exserere putabatur, Epict. fr. 53: Φιλοσοφία φησὶν ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ προσήκει. Arrian. diss. II, 11, 17. Clem. Alex. paedag. II, 10 p. 82 Sylb.: Οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ στωικοί. Inde illud ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι (Plut. de rep. stoic. 13), φρονίμως τὸν δάκτυλον προτεῖναι (Plut. adv. stoic. 24). *Nullo ture litabis*, nunquam vel a diis impetrabis (II, 75), *ut in stultis semuncia brevis* (Hor. sat. II, 3, 37 breve pondus) *recti*, vel minima recti pars *haereat* (Hor. sat. I, 3, 77), cf. Plut. de aud. poet. 6: τοῖς στωικοῖς, μήτε τι φαῦλον ἀρετῇ προσεῖναι, μήτε κακίᾳ χρηστὸν ἀξιοῦσιν, ἀλλὰ πάντως μὲν ἐν πᾶσιν ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ, περὶ πάντα δ' αὖ κατορθοῦν τὸν ἀστεῖον. Lips. manud. ad stoic. phil. III, 15. *Haec miscere*, ita ut stultus recti particeps fiat, *nefas* est.

Nec cum sis cetera fossor, incultus, rudis, Catull. XXII, 10. Iuven. XI, 80, *moveare*, saltare possis, nam id significat moveri (Hor. epp. II, 2, 125. a. p. 232), ut movere membra (Lucr. IV, 977. Hor. sat. I, 9, 24), brachia (Ovid. A. A. III, 350), unde motus de saltatione (Hor. carm. III, 6, 21), quia in hac saltatione totius corporis motus decorus spectabatur. Talis motus fiebat certo quodam rhythmo, *in numerum* (Lucr. II, 631. Virg. Georg. IV, 175), contra quem si quis peccabat, is *extra numerum* se movere dicebatur (Cic. parad. III, 26 cl. Hor. epp. I, 18, 59). Iam vero in saltando sicut in exercitationibus palaestricis (Sen. benef. VII, 1. Quint. X, 1, 4. XII, 2, 12) singuli motus suos habebant numeros, ad quos peragebantur. Itaque *corpus ad numeros movere* (Sen. de tranq. an. 15 p. 281 Bip.) dicitur is, qui ita movet, ut quivis motus suo numero rite respondeat, *omnes numeros implet* (Iuven. VI, 249. cl. Auson. epigr. CVIII, 6), qui totum quoddam exercitium ita peragit, ut singulos motus ad numeros suos perficiat, unde illud *omnes numeros implere* tam frequenter ad alia, quae perfecta sunt, translatum est (Cic. off. III, 3, 14. Sen. epp. LXXI, 16. XCV, 5; 11. controv. III p. 198 Bip. Antonin. III, 1. VI, 26); eademque significatione *numerosus* dicitur (Lange, verm. Schr. p. 281 sq.). Fossor igitur, saltandi imperitus, ne *ad tris* quidem *numeros* saltabit ut *Bathyllus*. Bathyllus Alexandrinus, a Maecenate valde adamatus (Tac. Ann. I, 54. Dio C. LV, 17. Sen. contr. V praef. p. 321 Bip.), una cum Pylade novi saltandi generis conditor fuit (Athen. I p. 20 D. E. Zosim. I, 6. Suid. s. v. ὄρχησις πάντ.), et ille quidem tragicum, hic hilarius genus excoluit (Sen. contr. III exc. p. 397 Bip.); Plutarchus (Symp. quaestt. VII, 8, 3) inter argumenta ei familiaria Σατύρου σὺν ἔρωτι κωμάζοντος ὑπόρχημα affert, ut hic *satyrus* vocatur, qui satyrum saltat. Saepe ut exemplum egregii saltatoris nominatur, cf. Phaedr. V, 7, 5. Iuv. VI, 63, eiusque nomen inter saltatores hereditarium quasi factum est, v. Salm. ad Vopisc. Car. 19 p. 833.

v. 124—131. *Liber ego*, ait ille, cui poeta respondet: *Unde datum hoc sentis?* Cf. Horat. sat. II, 2, 31: „Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto captus hiet?“ ubi *sentire* alia sane significatione positum est; verum *sentire* etiam ita usurpatur, ut sit idem fere quod *censere*, cf. Madvig. ad Cic. de finn. p. 147. 867; *tot subdite rebus*, ut Hor. sat. II, 7, 75 sq.: „Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque Tot tantisque minor?“ *An dominum ignoras, nisi quem vindicta* (v. 88) *relaxat?* Sane servus non es, nec quisquam tibi impe-

rare potest, sed cupiditatibus obnoxius non es liber. Statim ut servitutis exemplum ante oculos ponat, inducit dominum servo imperantem, ut ad balnea strigiles portet. *Strigiles*, quas describit Apuleius (Florid. p. 346 Elm.), in balneis ad corpus destringendum adhibebantur, quare cum gutto et linteo inter necessaria lavacri instrumentum nominantur (Böttiger Aldobr. Hochz. p. 159. Krause Gymn. d. Hell. I p. 627 sqq.), earum forma perspicue potest cognosci, cum et strigiles ipsae servatae sint (Mus. Borb. VII t. 16), et in artis monumentis repraesentatae (Mus. Pio Cl. III t. B.). Has cum ampulla, saepe annulo coniunctas (*ξυστρολήκυθον*, cf. Letronne, récomp. prom. p. 16 sqq.), dominis servi in balnea portare solebant (Petron. 91. Luc. Lexiph. 2, unde in somnio visae servitutem significant, Artemid. I, 64), qualem repraesentat statua antiqua (Mus. Pio Cl. III t. 35). *Crispini* nomen ab Horatio sumtum videtur (sat. I, 1, 120. 3, 139. 4; 14. II, 7, 45). *Si increpuit: cessas nugator?* (Ter. Eun. IV, 4, 16: Cessas otiosa? Auson. ephem. 17: Surge nugator), tale *servitium acre te nihil impellit*, nec omnino externa vi commoveris, quod imagine a sigillariis (*νευροσπάστοις*) desumta, stoicis frequentata, explicat. De iis veterum locos (Herod. II, 48. Luc. de dea Syria 16. Xenoph. symp. 4, 56. Arist. de mundo 6. Apulei. p. 70 Elm. Galen. de usu part. III. Gell. XIV, 1, 23. Athen. I p. 19 E. Antonin. VII, 3 ib. Gatak.) composuit Beckmannus (Gesch. d. Erfind. IV p. 96 sqq. qui quam ibi pronuntiat suspicionem de genuinitate sigilli eburnei apud Cayl. rec. IV p. 259, missurus fuisset, si alia videre potuisset haud dubiae antiquitatis, Boldetti oss. p. 496. R. Rochette ant. chrét. III, t. 8, 4). Usus est hac imagine iam Plato (legg. I p. 644 E.): *Τόδε δὲ ἴσμεν ὅτι ταῦτα τὰ πάθη ἐν ἡμῖν, οἷον νεῦρα ἢ σμήρινθοί τινες ἐνοῦσαι σπῶσί τε ἡμᾶς καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν ἐναντίαι οὖσαι ἐπ' ἐναντίας πράξεις.* Prae ceteris autem M. Antoninus frequenter animi cupiditates hominem quasi nervis agitare dicit; II, 2: *Μηκέτι τοῦτο (τὸ ἡγεμονικόν) ἐάσῃς δουλεῦσαι· μηκέτι καθ' ὁρμὴν ἀκοινώνητον νευροσπασθῆναι.* XII, 19: *Αἴσθου ποτὲ ὅτι κρεῖττόν τι καὶ δαιμωνιώτερον ἔχεις ἐν σαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων καὶ καθάπαξ τῶν νευροσπαστούντων σε.* X, 38: *Μέμνησο ὅτι τὸ νευροσπαστοῦν ἐστιν ἐκεῖνο τὸ ἔνδον ἐγκεκρυμμένον.* Unde illa breviter dicta, *τὸ νευροσπαστεῖσθαι ὁρμητικῶς* (III, 16), *τὸ νευροσπαστεῖσθαι καθ' ὁρμήν* (VI, 16), *ὁρμητικὴ νευροσπαστία* (VI, 28), *στῆσον τὴν νευροσπαστίαν* (VII, 29). Similiter Horatius (sat. II, 7, 80 sqq.): „Nempe Tu,

mihi qui imperitas, aliis servis miser atque Duceris ut nervis alienis mobile lignum.“ Inde iam intelliguntur Persii verba. *Agitandi* verbo utitur etiam Apul. l. l.: „Quando filum membri, quod agitare solent, traxerint.“ *Sed si intus et in iecore aegro* (I, 25) *nascuntur domini* (Boeth. de cons. phil. IV, 2, 9 sq.: Iam videbit intus arctas Dominos ferre catenas), cupiditates, *qui tu exis impunitior* (Hor. sat. II, 7, 105) *atque* (Hand. Turs. I p. 472 sq.) *hic, quem scutica et metus herilis,* extrinsecus accedens, *ad strigiles,* servile officium, *egit.* Cf. Sen. quaestt. nat. III praef. p. 89 Bip.: „Liber est, qui servitutem effugit sui.“

v. 132—153. Exemplum eiusmodi hominis affert, qui dum sibi liber videtur diversis cupiditatibus servit. Has, ut Prodicus cum Hercule Virtutem et Voluptatem, colloquentes cum eo inducit, ut in suas utraque eum partes deducat. *Cum piger mane stertis,* adstat avaritia et suscitat: *Surge, eia,* quae particula adhibetur fere ab eo, qui intentiore adhortatione opus esse videt, cf. Hor. sat. I, 1, 17. Virg. Aen. IV, 569. Plaut. Epid. II, 2, 77, *surge!* Cum ille desidiose respondeat: *Et quid agam?* mirabunda illa *Rogitas?* inquit, *En!* multa sunt, quibus mercari et lucrum facere possis. *Saperda* piscis erat, ut Festus s. v. ait, vilissimus (cf. Luc. quom. hist. scr. 56 ib. Herm. p. 329), Graece σαπέρδης sive κορακῖνος, qui optimus fuit in palude Maeotide (Athen. III p. 118 B. VII p. 308 E. Hesych. s. v.), eodemque nomine vocabantur etiam salsamenta inde facta (Hesych. Thom. M. s. v.), ut alia similis generis teste schol. Luc. somn. 22. epist. Sat. 35, quae e Ponto potissimum afferebantur (Athen. III p. 117 A. cf. Hüllmann, Handelsgesch. d. Griech. p. 148 sq. et qui totam hanc rem diligentissime excussit, Köhlerus *ΤΑΡΙΧΟΣ*, in Mém. de l'acad. de Petersb. Ser. VI, t. I p. 347 sqq.). *Castoreum* quoque Ponticum optimum habebatur (Scribon. 175. Virg. Georg. I, 59: Pontus virosa mittit castorea, ib. Prob. Strab. III p. 163 C.). *Stupam,* teste Festo s. v., linum impolitum appellabant Graeci Dorii, unde res vilioris usus comparabantur Plin. XIX, 1, 3. Diversas merces de consilio miscet; iam affert *ebenum* et *tus,* merces orientis, nam, ut ait Virgilius (Georg. II, 116 sq.): Sola India nigrum Fert ebenum (cf. Solin. 52), solis est turea virga Sabaeis. *Coa* intelligi possunt vina (Hor. sat. II, 4, 29. Plin. XIV, 8, 10. et Dem. c. Lacr. p. 933 sqq.) *lubrica* dicta ut Plinius (XXII, 25, 66) ptisanam laudari dicit, quoniam lubrica ex facili hauriatur; aut vestimenta illa dilucida, tantum celebrata et diffamata (Horat. carm. IV, 13, 13 ib. Mitsch. sat. I, 2, 101 ib.

Heind.), quae Ceis quoque vindicat Bröndsted (voy. et rech. I p. 83 sq.). *Piper* Indicum (55) ex India camelis potissimum Alexandriam asportabatur (Plin. VI, 23, 26. cf. Hüllmann, Handelsgesch. d. Griech. p. 217 sqq.), inde Romam. Noster igitur *recens piper*, quod modo asportatum est, *primus tollere* iubetur, quo maius lucrum habeat, cf. Lucil. frgm. V, 3: „Sicut cum ficus primus propola recentes Protulit et pretio ingenti dat primitu' paucos (ex I. Scaligeri emend.). *Camelus* dicitur *sitiens*, quia diu sitim tolerare potest (Plin. XVIII, 18). *Verte aliquid*, ut mutare (v. 54) de mercatura, Plaut. Curc. IV, 1, 23 cl. Gron. de pec. vett. IV, 14; quod tamen post ea, quae praecedunt, valde frigeret. Fortasse igitur *vertere* dixit pro *versuram facere*, quod est, teste Feste, mutuam pecuniam ab aliquo sumere (cf. intpp. ad Ter. Phorm. V, 2, 15); tum quod addit *iura* facile intelligitur, sc. te non accepisse pecuniam. Nemo nescit, quantopere in foenore potissimum exercendo fides violetur. Ceterum *versuram facere*, ut Donatus ad Ter. l. l. ait, dicitur etiam, cum minore foenore acceptam quis pecuniam maiore occupat. *Sed Iuppiter*, qui peierantem punit, *audiet! Varo* sive *baro*, ut e locis in ann. crit. laudatis appareret, stultum significat; de voce ceteroquin obscura qui VV. DD. sententias cognoscere volet, adeat praeter intpp. ll. ll. Alciat. parerg. iur. V, 16. Pithoeum advv. II, 8. Turneb. advv. IX, 2. XX, 1. Voss. Etym. s. v. Rutgers. lectt. Venus. c. 23. Ballhorn, actt. soc. Lat. Ien. I p. 203. Döderlein, Lat. Synon. IV p. 226. *Perages* sc. vitam, ut Graecorum *διάγειν* (Demosth. c. Aristog. I § 82 p. 794. Xen. Cyr. I, 4, 14. Theocr. XI, 81. Long. past. III p. 88 Vill.), *contentus terebrare salinum*, quo Graecum proverbium *ἁλίαν τρυπᾶν* exprimit, apud Apollon. Tyan. epp. VII: *Ἐμοὶ δὲ εἴη τὴν ἁλίαν τρυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ*, quod cum nostro loco certatim composuerunt VV. DD., cf. L. Bos animadvv. p. 43 sq. Villois. ad Long. p. 209. Becker, Charicl. I p. 448. Hemsterh. (not. ad Iambl. ed. a Geelio Zeitschr. f. Alterthw. 1840 p. 17). *Salinum* tenuis et frugalis victus proprium, *regustatum*, iterum iterumque tentatum, *digito terebrare* pauperrimus tantum cogitur. *Si tendis*, ut intendere (II, 49), studere cf. Hor. epp. II, 2, 57. Iuv. X, 54, *cum Iove vivere*, ita ut facias quod iubet. His igitur admonitionibus effectum est, ut navigationem pares. *Iam* ipse *succinctus*, quod facere solebant qui se operi alicui expediebant, cf. Hor. sat. II, 6, 107. Mart. XII, 24, 7, *pueris*, servis, qui te comitabuntur, *aptas pellem*, qua sarcinam involutam portent (cf. Petron.

102: „Ego vos in duas iam pelles coniiciam, vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habebo," ib. intpp.), *et oenophorum*, quem servi etiam apud Horat. sat. I, 6, 109 portant. *Ocius ad navem!* clamas. *Nihil obstat, quin trabe* i. e. navi (Hor. carm. I, 1, 13. Iuv. XIV, 276) *vasta Aegaeum rapias*, ut rapere campum (Stat. Silv. V, 3), *nisi luxuria sollers seductum* (II, 4) *moneat: Quo deinde insane ruis?* cf. Virg. Aen. V, 741: Quo deinde ruis? Claudian. in Rufin. I, 196: Quo vesane ruis? Prop. V [IV], 1, 71: Quo ruis imprudens? *Deinde* indignationem et vehementiam exprimit, cf. Hand. Tursell. II p. 247. *Quid tibi vis?* vituperantis est, v. Heind. ad Hor. sat. I, 2, 69. *Calido sub pectore intumuit mascula*, robusta, *bilis* h. e. insanis, nam bilis insaniae causa habebatur (cf. Sen. epp. XCIV, 17: Bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda), quam curavit *cicuta*, quae nimio calori temperat (Plin. XXV, 13, 95 cl. Horat. epp. II, 2, 53). *Tibi torta cannabe*, rudentibus, *fulto* (ut toro fultus Iuv. III, 82 cf. Plaut. Stich. I, 2, 37) *coena sit in transtro?* Transtra, teste Festo, et tabulae navium dicebantur et tigna, quae ex pariete in parietem porriguntur; haec h. l. intelligenda, ut Virg. Aen. IV, 573: Considite transtris. *Obba* (v. Ilgen. animm. in Copam p. 31), ut Non. II s. v. *obba* dicit, poculi genus (Cassiod. p. 2304 P. *obba, ποτήριον*) erat, ut idem refert (XII s. v. *obba*), vel ligneum vel ex sparto. Secundum Philoxeni gloss. (*Obba, ἄμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν*) utebantur ea in silicerniis, quocum consentit Tertullianus (apolog. 13): „Quid ad honorandos deos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? — quo differt ab epulo Iovis silicernium? a simpulo obba?" Iam vero quod *ἄμβιξ* dicitur, Plinius (XXX, 8, 41) e Dioscoride vertens (V, 110) *ἄμβικα* expressit per *calicem*, et Athenaeus (XI p. 480 D.) dicit *φοξίχειλος· ἡ εἰς ὄξυ ἀνηγμένη, οἷοί εἰσιν οἱ ἄμβικες καλούμενοι* (cl. IV p. 152 C.). Hinc *sessilis* vocatur, quia latiore fundo instructa, bene sedet, ut pira similis formae a Plinio (XV, 15, 16) sessilia apellantur. Ceterum Gellius (XVI, 7) *obbae* vocabulum inter ea numerat, quae Laberius obsoleta et maculantia ex sordidiore vulgi usu posuerit. Ea *exhalat Veientanum*, vilissimum vinum (Horat. sat. II, 3, 143. Mart. II, 53, 4. III, 49), *rubellum* a colore vocatum (Plin. XIV, 2, 4. Marc. Empir. 29), ut *Veientanum rubellum* etiam apud Martialem (I, 103, 9), *vapida*, iam corrupta (v. 115), *pice laesum*, infectum, qua ad servandum vinum utebantur (Plin. XIV, 21, 27). *Quid petis, ut nummi, quos hic nutrieras*

(nummos pascere dicit Hor. epp. I, 18, 35) *quincunce modesto* (ex nostra ratione 5 p. c.), *deunces* (nobis 11 p. c.) *avidos* (ut avidum foenus Lucan. I, 181) *sudare pergant* (similiter cum Cicero (orat. part. 8, 28) strictim commemorasset partes quatuor, dicit filius: *Perge* igitur ordine eas explicare). De centesimis earumque ratione v. Rein, Röm. Privatr. p. 308 sq. *Indulge genio* i. e. laute vivas, nam quicquid sibi quis bene fecit, id genii causa fecit, cum festis diebus semper genio sacrificaretur, cf. Sen. epp. XCV, 41: „Quid est coena sumptuosa flagitiosius — si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hoc et genio suo praestet?“ Plaut. Pers. II, 3, 11: „Genio meo multa bona faciam.“ Inde illa quoque: *genium defraudare* (Plaut. Aul. IV, 9, 14. Ter. Phorm. I, 1, 10. Lucil. frgm. XXVI, 11), *cum genio belligerare* (Plaut. Truc. I, 2, 81), cf. IV, 27. Sermone antiquo, teste Santra ap. Non. s. v. *genialis*, appellabant geniales homines, qui ad invitandum et largius apparandum cibum promptiores essent, similiterque dies (Iuv. IV, 66) hiems (Virg. Georg. I, 302 ib. Voss.) genialis dicitur, quo laute vivitur. *Carpamus dulcia*, ita fruamur, ut nullam particulam omittamus, cf. Mart. VII, 47, 11: Fugitivaque gaudia carpe. Hor. carm. I, 11, 8: carpe diem. *Nostrum est*, *quod vivis* i. e. revera vita frueris, cf. Horat. carm. III, 29, 41 sqq.: Ille potens sui Laetusque deget, cui licet in diem Dixisse: Vixi; ubi multa apposuit Mitscherl. *Fies cinis et manes* (v. ad I, 36 sqq.) *et fabula*, ut vocatur is, de quo omnes narrant, et de quo tantum narratur, cf. H. Peerlk. ad Hor. carm. I, 4, 18. *Vive memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est*, cf. Hor. carm. I, 11, 7 sq.: Dum loquimur, fugerit invida Aetas; ubi sententiam illustravit H. Peerlkamp. Persium respexit Hieronymus (comm. in ep. ad Gal. III, 6 t. IV, 1 p. 314): „Breve est vitae istius curriculum; hoc ipsum quod loquor — de tempore meo mihi aut crescit aut deperit.“

v. 154—160. *Duplici hamo in diversum scinderis*, quod ait Seneca (de vita beata 28) vitam propositis diversissimis scindi. Eadem imagine utitur Propertius (V [IV], 1, 141 sq.: „Et bene cum fixum mento discusseris uncum (Nil erit hoc), rostro te premet ansa suo.“ Utro te vertas, semper cupiditatem dominam habebis, errorique obnoxius eris. Sen. epp. XXXVII, 3: „Hos tam graves dominos (affectus), interdum alternis imperantes interdum pariter, dimittit a te sapientia, quae sola sapientia est.“ Neque vero si semel obstiteris, iam vincula rupta esse (Ovid. Am. III, 11, 3: Scilicet asserui iam me

rupique catenas), glorieris. Nam ut canis, quae catenam rupit, partem eius secum trahit, qua impeditur, ita vetus imperium in te quoque facile repetet vitium. Eadem catenae imagine usus est Horatius (sat. II, 7, 19 sq. cf. Sen. de vit. beata 16).

v. 161—174. Hanc sententiam illustrat exemplo amatoris, qui a meretrice exclusus, iratus turpi amori renuntiat, mox revocatus ad eam tamen redit. Hoc desumsit ex prologo Eunuchi Menandreae, quam, ut notum est, vertit Terentius. Persius vero ipsum Menandrum sequi maluit et nomina quoque a Terentio mutata retinuit, nam Chaerestratus Terentio Phaedria, Davus Parmeno est. Cf. Dübnerus in Seebod. Arch. f. Phil. a. 1830 n. 24. Grauert, hist. phil. Anall. p. 147 sqq. Meineke ad Menandr. p. 67 sqq. frgmm. com. gr. IV p. 122 sq. Eodem exemplo usus est etiam Horatius (sat. II, 3, 259 sqq.). *Davus* vulgare servi comici nomen, cf. Philostr. imagg. I, 3 intpp. Luc. de salt. 29. *Credas iubeo*, cf. Drakenb. ad Liv. XXXII, 16, 9. Bentl. ad Ter. Andr. II, 5, 2. *Finire dolores praeteritos meditor*, ut Horatius: „An potius mediter finire dolores?“ *Unguem abrodens*, qui est gestus eorum, qui soli aliqua cogitatione, vel animi quodam dolore inprimis zelotypia occupati sunt (cf. ad I, 106). *An dedecus obstem cognatis siccis*, sobriis, Plaut. Asin. V, 2, 7. Siccus enim opponitur vinolento (Cic. leg. agr. I, 1, 1. Acad. II, 27, 88), cf. intpp. Hor. carm. I, 18, 3. *Limen obscoenum* meretricis, quarum consuetudine qui utebatur, bonam deperdere famam, rem patris oblimare, ut ait Horatius (sat. I, 2, 61 sq. cl. Plaut. Trin. II, 1, 19 sqq.), cogebatur. Sequentia spectant ad iuvenum comissationes, *κώμους*, de quibus cf. Welckeri egregiam disputationem, ad Philostr. I, 2 p. 208 sqq. Cum facibus (Prop. I, 17 [16], 8: Exclusi signa iacere faces) et coronis ante portas amasiarum cantabant ebrii (Ovid. fast. V, 339 sq.: Ebrius ad durum formosae limen amicae Cantat) *παρακλαυσίθυρα* (v. Plut. erot. 8. Theocr. III, 1. Arist. Eccl. 960 sqq. Plaut. Curc. I, 2, 60. intpp. Prop. I, 17 [16], 5. Hor. carm. III, 10). *Udae fores*, vel unctae sunt unguentis (cf. Lucr. IV, 1171 sqq.: At lacrumans exclusus amator — posteis superbos Unguit amaracino), vel vino profuso humidae (cf. schol. Arist. Plut. 179. Plaut. Curc. I, 1, 80), vel lacrimis madidae (cf. Ovid. am. I, 6, 18. Met. XIV, 708. Mart. X, 13, 8). *Euge puer*, quod de adolescentibus quoque dicitur (v. Drakenb. ad Sil. It. IV, 462) inprimis in admonitione (Hor. carm. I, 9, 16. Sil. It. XV, 33). *Sapias*, cf. Hor. carm. I, 11, 6: Sapias, vina liques! ubi v. H. Peerlkamp. *Dis depellen-*

tibus, averruncis (Varro L. L. VII, 102), *ἀποτροπαίοις* vel *ἀπωσικάκοις* (in inscriptione, v. spec. epigr. p. 133); *Iuppiter depulsor* est in titulis (Grut. 20, 3. Murat. 9, 8). *Agnam percute*, v. solemni de popa, qui hostiam ferit (Ovid. Met. XV, 126. Fast. I, 347. Trist. IV, 2, 5). Me autem zelotypia commotus: *Sed censen' plorabit, Dave, relicta?* Tunc servus intelligens, iuvenem amore adhuc captum esse, respondet: *Nugaris*, ineptis; ultro te iniuria efficiendum meretrici mox praebebis, *solea obiurgabere*, nam iam apud antiquos mulieres solea utebantur ut imperii instrumento, quo olim Herculem iam mitigaverat Omphale (Ter. Eun. V, 7, 4. Brunck. Anall. II p. 409. Luc. quom. scr. hist. 10. dial. d. 13, 2) unde nihil mirum, mortales a feminis puerili (Luc. dial. deor. II, 1. Philops. 28) castigatione affici (Turpilius ap. Non. s. v. *mitis*. Iuv. VI, 612. Anthol. L. III, 175. n. 952 M. cl. Arist. Lys. 657 sq. Hesych. s. v. *βλαυτοῦν*). *Obiurgare solea*, ut obiurgare ferulis, flagris (Suet. Calig. 20. Oth. 2). *Ne trepidare velis*, ut apud Propertium (II, 4, 5 sq. [3, 49 sq.]): primo iuvenes trepidant in amore feroces, Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt. *Arctos rodere casses*, ut e plagis, quibus constrictus es, te liberes. Huc pertinent Menandri verba (fr. 3): *Μὴ θερμάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους τοῦς δ' ἀναγκαίους φέρε. Quidnam igitur faciam?* Menander (frgm. 1): *Εἶτα τί ποιήσω;* Terentius: „Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem, cum accersor ultro?“ Horatius: „Ne nunc, cum me vocet ultro, accedam?“ *Ne* non positum esse pro *ne — quidem*, ne apud poetas quidem, docuit Madvig. ad Cic. de finn. I, 11, 39, monuitque huius usus nostrum et Horatii locum tantum stare testimonia. Verum cum apud Petronium bis ita positum legatur (9. 47), vide an sermoni populari hoc tribuendum sit, indeque translatum. *Totus et integer*, revera liber.

v. 174—188. *Hic, hic, quem quaerimus, hic est*, cf. Hor. epp. I, 17, 39: „Hic est, aut nusquam, quod quaerimus;“ *non in festuca* (vindicta, cf. Plaut. mil. gl. I, 4, 15. cl. v. 88), *quam iactat lictor ineptus*, quasi vere liberum quemquam facere possit. *Ius habet ille sui*, liber est ille *palpo* (ad I, 12), qui blanditiis gratiam captat. Hinc sumsit nomen Io. Sarisberiensis (policr. III, 4), qui ita explicat: „Ceterum *palpo*, qui tamen assentatoris vel adulatoris censetur nomine, — hominum mentes explorat, praetentat voluntatem, ut cui rei volueris sensus accommodet, ut gratiam illius, cum quo agit, fraudu-

lenter surripiat.“ *Quem ducit hiantem,* avidum (Bentl. ad Hor. sat. I, 2, 88) *ambitio,* quae *cretata* dicitur, quia candida veste utebantur, qui honores ambiebant, ea vero creta addita candorem accipiebat (Isid. XIV, 24), idque fuit cum lege prohiberetur (Liv. IV, 25). *Vigila,* omne studium adhibe, et *ingere* (v. 6) *large cicer,* quod Romae olim ut hodie vilis popelli cibus erat (Hor. sat. I, 6, 115. a. p. 249. Mart. I, 41, 6. 103, 10. V, 78, 21). Festis diebus autem, inprimis ludis Floralibus, missilia *populo rixanti* (Mart. VIII, 78, 8: in populum multa rapina cadit) iaciebantur, inter quae potissimum cicer, cf. Hor. sat. II, 3, 182 ib. schol. *Ut Floralia,* notae lasciviae ludos (cf. Hartung, Rel. d. Röm. II p. 141 sqq.), *nostra,* nobis aedilibus celebrata, *senes* olim *aprici,* apricantes et varia fabulantes (IV, 18), *meminisse possint. Quid pulchrius?* et tamen is, qui tam egregius et liber sibi videtur, turpissima superstitione laborat. Hanc ut stringat, tria genera notat, tunc temporis Romae quam maxime vulgata, Iudaicam, Isidis et Cybeles religionem, quas coniungit etiam Iuvenalis VI, 511 sqq. *Herodis dies* videtur Herodis dies natalis esse, quem Herodianorum secta, de qua cf. Plum. ad h. l., celebraverit (cf. Hieron. in Matth. II, 13: Nullum alium invenimus observasse diem natalis sui nisi Herodem et Pharaonem, cl. Ouzel. ad Min. Fel. p. 61), quamquam Persius vix ipse accurate haec scivisse putandus erit, et Herodis nomen ut Romanis notum posuit. *Lucernas accendere* Iudaici moris erat (Ios. ant. XII, 11), et ut nimis religiosum reprobabatur a Romanis, cf. Senec. epp. XCV, 47: „Accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine di egent et ne homines quidem delectantur fuligine.“ Quod ait *nebulam vomuere lucernae,* similiter Tertull. apolog. 35: „Clarissimis lucernis vestibula nebulabant.“ *Portantes violas,* quarum in sacris usus erat, cf. Iuven. XII, 90. *Thynnus,* egregius piscis (cf. Athen. VII p. 301 E. sq.), qui teste schol. in sacris potissimum adhibebatur, magnam caudam habet, quae *catinum amplecti* dicitur ad exprimendam magnitudinem. *Catinum rubrum* dicitur, qualia vasa Arretina (Isid. Orig. XX, 20), Cumana (Mart. XIV, 114) erant, et ubique fere inveniuntur, ubi olim habitarunt Romani. *Fidelia* (III, 73) *tumet,* plena est, *vino. Labra moves tacitus,* ut apud Horat. (epp. I, 16, 60): labra movet metuens audiri. *Palles* (ad I, 124) *sabbata,* cf. Iuv. XIV, 96: „Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,“ cl. Inscr. Grut. 721, 11: „religioni Iudaicae metuenti.“ *Sabbata* audacter dicit *recutita,* quia Iudaei, ut notum est, recutiti sunt

(Mart. V, 30, 5). *Tum nigri lemures,* mortuorum umbrae noctu vagantes, cf. Hor. epp. II, 2, 209 ib. schol. Apul. de deo Socr. p. 50 Elm. apol. p. 315. Non. s. v. *lemures. Ovoque pericula rupto* ad ὠοσκοπικὴν refert schol. cf. Lobeck. Aglaoph. I p. 410. *Tum grandes Galli,* ut ingens semivir apud Iuven. VI, 512 sq. De *Gallis,* Cybeles sacerdotibus, omnia nota, sicut de *Isidis* cultu Romae frequenti (Böttiger, Sab. I p. 232 sqq. kl. Schr. II p. 211 sqq. III p. 244 sqq.). *Sistrum* Isidi proprium (cf. Hildebrand. ad Apul. t. II p. 644 sqq.). *Lusca sacerdos* ex sententia Viscontii (Mus. Pio Cl. III p. 60 sq.) dicta est, quia luscos ad quaedam sacerdotia eligere moris fuerit, quod probare studet duobus antiquis sigillis, quae sacerdotes Aegyptios repraesentant luscos, adhibito epigrammate (Plut. de exsil. 2. Anth. Pal. VII, 709), unde idem efficere voluit Salmas. Exercc. Plin. p. 825. Isis autem eos, quibus irascebatur, caecos praesertim reddere putabatur (Ovid. epp. I, 1, 51 sqq. Iuven. XIII, 93. Anthol. Pal. XI, 115): quare lusca sacerdos est, quae in se iam iram deae atque potentiam experta est. *Incussere deos,* i. e. timorem deorum, *inflantes corpora,* morbis, cf. Mart. IV, 43, 7: „Iuro per Syrios tibi tumores." Plut. de superst. 9. Isis quoque morbos mittebat, cf. Meinek. ad Philem. p. 430. *Si non praedictum,* tibi severe imperatum (Virg. Aen. III, 435 sq.), *caput alli ter mane* (II, 16) *gustaveris,* de qua superstitione nihil, quantum novi, traditum est.

v. 189—191. *Dixeris haec inter centuriones* (III, 77) *varicosos,* qui varices habent, qualibus laborare solent qui diu multumque stant vel pedibus eunt (Iuv. VI, 397 ib. intpp.), *crassum ridet* (III, 110) *Fulfennius ingens* (v. 95) *et centum Graecos curto centusse licetur,* Graecam eruditionem, quam vilipendit et contemnit (I, 127 sqq. VI, 37 sq.), nihil valere ait.

SATIRA VI.

ARGUMENTUM.

In hac satira stultitiam eorum notaturus, qui rei familiari augendae intenti omnia gaudia sibi denegant, neque tamen unquam sibi satisfaciunt, Caesium Bassum, poetam sibi amicissimum, alloquitur, eumque percontatur, num iam in villam Sabinam recesserit, ibique carminibus pangendis operam det (v. 1—6).

Se iam Lunam secessisse ibique egregio loci situ, quem Ennius iam civibus suis commendaverit, gaudere, de reliquis rebus securum et contentum, etiamsi omnes peioribus orti melius haberent (v. 6—17). Verum non ita omnes sentiunt, hic triparcus est, ille prodigus. Sane bonis, quae quis habet, liberaliter utendum est, neque tamen luxuriose vivendum (v. 18—24). Annuas fruges secure possunt consumi, cum novus annus industrio etiam novos fructus afferat, et si amico cuidam, qui naufragio sua omnia perdidit, succurrendum esse iubet officium, plus etiam faciendum est, et res familiaris imminuenda (v. 25—33). Heres quidem iratus iusta funeris parce tantum persolvet, nec probabit vivendi rationem, quam sequeris, et alii quoque homines, nimis antiqui et severi, luxuriem et Graeca arte corruptam vitam culpabunt (v. 33—40). Talia autem iudicia post mortem quis curet? At cum herede severius agendum est (v. 41 sq.); itaque cum eo tale colloquium instituit. „Egregium triumphum," ait, „Caesar de Germanis acturus est: quare ego laetus gladiatorum munus edam, et oleum atque viscerationem populo dabo. Quid, num tu prohibes?" (v. 43—51). Cum alter indignationem cauta responsione non possit celare, pergit ille: „Attrita quidem res mea est, sed facile, si heredem nullum habeo ex agnatis et cognatis, inveniam Ariciae Manium aliquem inter pauperes et mendicos, quorum tanta ibi copia est (v. 51—56). Si tu obiicias, esse illum obscurum et ignobilem, id ego non curo, nam meum quoque genus, si altius ascendas, ad ignotum aliquem reducendum est, a quo nihil differt Manius ille. Quid tu, non potes exspectare, dum ego tibi tradam, quae tibi donaturus sum? Quicquid id erit, quod ego tibi relinquam, tibi in lucro ponendum est, et tu iis contentus esse debes." (v. 57—63). At, reponit ille, tu comminuisti rem. „Meam scilicet, non tuam; nam quicquid accipies, tibi integrum erit. Nihil ad te, si consumsero, quod alius quidem mihi legavit, si mutavi pecuniam, si sumtus feci." Verum nihil reliquum erit! „Tu ergo non contentus eris? iam lautius etiam vivam! Non ego, ut heres meus vitam agere possit opimam et luxuriosam, parcus vivam." (v. 64—74). Qui enim avaritia laborat, is nunquam satis habebit; quo plus acquiret, eo plura cupiet, et tam facile Chrysippi acervum finire possis, quam huius cupiditati finem ponere (v. 75—80).

v. 1—17. *Admovit iam bruma*, dies brevissimus (Varr. L. L. VI, 8), hiems (Hor. carm. IV, 7, 12), *te Sabino*

foco, quod v. non solum, quia de hieme sermo est, positum videtur, sed ut Sabinorum antiqua morum simplicitas significetur, quae in proverbium abiit (Iuv. III, 169. X, 299 ib. intpp.), nam antiquitus ad focum sedebat familia coniuncta, cf. Klausen, Aen. II p. 635. Notum autem est, Romanos litteratos ut studiis vacarent urbe relicta otia ruris petiisse, cf. C. Passow, de vita Horat. p. XC sqq. *Bassus*, quem Persius alloquitur, est *Caesius Bassus* poeta, de quo cf. Wernsdorf. Poett. Lat. min. t. III p. XXXIII sqq. Barker, Classical Iournal XXX p. 313 sqq. Weichert. de L. Vario p. 145 sq. Is a puero, ut vita testatur, Persio fuit coniunctissimus, et post immaturam mortem eius satirarum librum edidit. Ipse postea, ut ad h. l. narrat schol., periit in villa Campana, cum Vesuvius arderet Tito imperante et Herculaneum Pompeiosque sepeliret. Id ex parte confirmat Quinctilianus, qui ubi de eo loquitur, addit: *quem nuper vidimus* (X, 1, 96). Itaque verisimile est apud Plinium in celeberrima epistola, qua avunculi mortem narrat, Caesii Bassi mentionem factam fuisse, loco misere corrupto (VI, 16, 8), quem Gesnerus et Heusingerus ita fere legendum censent: Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae Bassi (codd. et edd. vett. *irasci, tasci, nasci, Ithacesiae;* alii corruptam vocem omittunt, recentiores *Retinae classiarii*, quod primum in ed. Mediol. a. 1478 comparet, v. Orell. ad h. l. in Plin. epp. sel. p. 24). imminenti (*Rectine casu imminentique* cod. Prag.) periculo exterrita (*exterriti* al.), — nam villa eius (al. *ea, ei*) subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga — ut se tanto discrimine eriperet, orabat. Hic ad *Caesii Bassi* nomen codd. corruptelae atque Prag. interpolatio ducunt, mirum tamen pro ipso Caesio Basso, quem cum villa combustum esse scimus, codicillos mittere uxorem Rectinam (quod nomen e titulo Grut. 818, 10 comprobavit Rezzonic. disq. Plin. I p. 115), et huius tantum postea mentionem fieri. Quare videndum, num totus locus ita rectius legi possit: Egrediebatur domo; accipit codicillos Retina Caesii Bassi imminente periculo exterriti, nam villa Vesuvio subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga: ut se tanto discrimini eriperet orabat. Caesius Bassus poeta fuit lyricus; de quo hoc iudicium fert Quintilianus (l. l.): „Si quem adiicere velis (Horatio), erit Caesius Bassus, quem nuper vidimus: sed cum longe praecedunt ingenia viventium.“ Eius hunc versum ex *II lyricorum* affert Priscianus (X, 6 p. 897): *Calliope princeps*

sapienti psallerat ore. Ad eius poemata respicit etiam Persius vss. sqq., verum tam obscure, ut pauca inde ad accuratiorem eorum cognitionem lucremur, qua opus potius foret ad Persii verba recte intelligenda. Pulchre dicit *vivere lyram et chordas eius pectine*, quae quasi mortuae a poeta demum vitam accipiunt. Pecten vocat *tetricum* ad Bassi ingenium severum et grave significandum, neque sine peculiari ratione h. v. utitur, nam Tetricus mons in Sabinis erat (Virg. Aen. VII, 713 ib. Serv. Sil. Ital. VIII, 417), indeque tetrici dicebantur tristes ac severi, prae ceteris autem de ipsis Sabinis usurpatur, cf. Liv. I, 48, 4: disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum. Ovid. am. III. 8, 61. Mart. I, 63, 2. Simile quid praedicat, ubi eum *mire opificem* vocat *fidis Latinae marem strepitum* (Hor. a. p. 402 mares animos) *intendisse* (prol. 11. I, 42), carminibus lyricis pangendis, quae masculum et forte vereque Romanum ingenium prodant. *Strepitum intendere* dictum est similiter ac *vocem intendere cornu recurvo* (Virg. Aen. VII, 513 sq. cf. Val. Fl. VIII, 382), cf. etiam Virg. Aen. IX, 776: *numerosque intendere nervis.* Difficilius intellectu est, quid significet *opifex numeris veterum primordia vocum intendisse*, sive quod aliud verbum ex hoc assumendum est. *Primordia vocum* apud Lucretium (IV, 532) elementa sunt, e quibus voces constant (cf. Colum. III, 10: „ut — spiritus elementa cum terrenis primordiis misceret"), itaque hic possit intelligi scientia, qua numeris artificiose compositis *veterum*, antiquarum, *vocum primordia intendit*, ita adhibuit, ut cum vi et vigore funderentur. Simplicius tamen videtur de libro cogitare, qui veterum vocum origines numeris, versibus complexus sit. Talia versibus tractare non absurdum videbatur antiquis, ut vel Lucilii exemplum probat, qui satirarum libro nono, cuius fragmenta nuper collegit Schmidtius (Berol. a. 1840), orthographiam tractavit, poetaeque anonymi, qui versibus heroicis de figuris orationis egit, quem post Quicheratium ediderunt Sauppius (epist. crit. ad G. Herm. p. 152 sqq.) et Schneidewinus. Neque abhorret a studiis Caesii Bassi tale opus, si quidem idem est, qui de metris scripsit. Affertur enim a Maximo Victorino (de carm. hex. p. 1957 P.) Caesius Bassus, vir doctus atque eruditus, in libro de metris, e quo quaedam se sumsisse hisce vss. indicat Terentianus Maurus (2358 sq. p. 2435 P.): „Exempla ponam, quae locasse Caesium Libro notavi, quem dedit metris super;" et aliis quoque in rebus auctorem ei fuisse Caesium Bassum demonstravit Lachmannus (ad Ter. Maur. p. XVI sq. cf. Haupt.

obss. critt. p. 43). Ad eundem librum referenda sunt quae affert Diomedes (III p. 513 P.): „Molossicum metrum mihi durissimum videtur. Huius exemplum dat Caesius Bassus tale: *Romani victores Germanis devictis.*“ Ita legit Putschius, ut vetus codex apud Sciopp. susp. lectt. V, 22; antea legebatur *Celsius*, vulgari corruptione (v. ad Quint. l. l.) et: *Romani Gallis devictis sunt victores* (cf. Voss. de hist. Lat. I, 22. de poett. Latt. 3). Inter eos, qui mensuram in fabulis poetarum comicorum atque tragicorum esse dixerunt, refertur a Rufino (p. 2713 P.) etiam Caesius Bassus. Edita est inter grammaticos Putschii Ars Caesii Bassi de metris (p. 2663 sqq.), maioris operis epitome, ut videtur, interpolata. Iam vero vix videtur dubium, quin ad eundem scriptorem pertineat quod legitur apud Rufinum (p. 2707): Bassius (leg. *Bassus*) ad Neronem de iambico sic dixit. Quae ibi affert, ea omnia paene expressit Terentianus Maurus v. 2249—2262, et optime quadrat, quod Victorinus l. l. Caesium Bassum post Cornelium Epicadum, Sullae libertum (Suet. gr. 12) vixisse notat, utrumque vero a Lactantio, suae memoriae metrico, seiungit. Hunc igitur Caesium Bassum, qui Neronis temporibus de metris scripsit, eundem esse atque poetam lyricum, quamquam non potest pro certo affirmari, nulla tamen causa est, cur discernatur a lyrico metricus, ut iussit Weichert. l. l. Contrariae sententiae praeter nominis et temporis miram congruentiam favet id quoque, quod similis grammatici atque poetici studii coniunctio neque insolens neque infrequens erat, et quod ipse Persius vv. *mire opifex numeris* eximiam quandam metrorum peritiam significare videtur. In ea sententia sunt Wernsdorf. l. l., Leutsch, Griech. Metr. § 34, 2. Hoc loco id quoque commemorandum videtur, fuisse Bassi libros de origine vocabulorum, quos affert Gellius (III, 19. V, 7), librum tertium (II, 4, 3) et septimum (XI, 17, 4), verum is vocatur Gavius seu Gabius Bassus. Eiusdem librum de verborum significatione laudat Macrobius (Sat. II, 14), *commentarios* Gellius (III, 9. 18). Nec diversus est, qui librum de diis scripsit, quem citant Macrobius (Sat. I, 9) et Io. Lydus (de menss. IV, 2 p. 57 Sch.), ubi *Γάϊος Βάσσος ἐν τῷ περὶ θεῶν* legitur; ex eodem libro petitum est quod Lactantius (I. D. I, 22, 9) Gabio Basso auctore de Fatua narrat, et potest ad eundem referri quod e Gavio Basso habet Macrobius (Sat. III, 6). Hic igitur in Gellii cod. regio Gavius, in aliis libris Gabius vocatur, nec desunt, qui Caium vocent. *Gaviorum*

nomen frequentissimum est, et M. GAVIVS. M. F. STE. BASSVS. AEDILIS est in inscript. Grut. 439, 7., sed *Gabii* quoque, quamvis rarius, inveniuntur, ut in titulo apud Bertol. ant. Aquil. n. 646, qui bis exstat apud Murat. 1680, 10. 2192, 4. Quae cum ita sint, praesertim cum nec Gellii nec Macrobii codd. accuratius excussi sint, possit quis coniecturam capere, hunc Bassum esse potius Caesium, quae tamen nimis vaga et incerta est. Quamquam neque hoc dissimulandum, Arnobium (III p. 149 Elm.) Caesii sententiam de diis Novensilibus afferre, quae nusquam aptius legeretur, quam in libro de diis. Apud Fulgent. expos. serm. antiq. s. v. *vervina* qui laudatur Gabius (ita codd. ant.) Bassus in satyris vix dubito, quin noster sit intelligendus, quem satiras scripsisse ex h. l. finxisse videtur Fulgentius, de qua re alibi explicatius dicendum erit. Ad Persium revertimur eiusque de Caesio Basso verba. Qui quod *egregius* dicitur *iuvenes agitare iocos*, ut Ovidius (Trist. V, 1, 7) se iuvenilia lusisse dicit, quae iocos alibi appellat (Trist. II, 494), facile id quidem intelligitur, difficilius autem quid significet *egregius pollice honesto lusisse senes*. Videtur ad v. *senes* intelligendum esse v. *iocos*, et *ludere* ita positum, ut e. g. carmina ludere (Virg. Georg. IV, 565), convicia ludere (Mart. VII, 8, 7), ludendo componere et iactare; *pollex*, quo citharae chordas movet, dicitur *honestus*, quia lusus est, qui senes decet, non iuvenilis. *Lusus* et *iocus* saepissime coniunguntur, cf. Ovid. Trist. III, 2, 5 sq. Mart. VII, 8, 9 sq. Ita iocosum carminum genus significaretur, et duplex quidem, alterum remissius iuvenum more, honestius alterum et senibus dignum, cum antea altius et fortius lyricorum carminum genus significasset. Ita haec vv. explicari posse puto, verum in hac obscuritate multa possunt excogitari; certum iudicium praeberet Bassi carminum accuratior notitia. De satiris haec, ut alii, interpretatus esse videtur Fulgentius l. l. — *Mihi nunc intepet Ligus ora*, ut femina Ligus (Tac. Hist. II, 13), Phaeax populus (Iuv. XV, 23), Oceanum littus (Lucr. V, 35. Iuv. XI, 113. Bünem. ad Lact. p. 1515), al., v. Heins. ad Claud. epithal. 88, *hibernatque*, quod aliis *hiemare* dicitur, *χειμάζειν* (Hor. sat. II, 2, 17 atrum — hiemat mare), *mare meum*, cuius accola sum. Mare ventis agitatum tepescere observarunt antiqui, cf. Arist. problem. XXVI, 60. Cic. N. D. II, 10, 26. Plin. II, 103, 106. Plut. qu. nat. 8. Romani, qui tepidas brumas (Hor. carm. II, 6, 17. epp. I, 10, 15) quaerebant, maritimam oram petebant (Hor. epp. I, 7, 10 sq.). Hodieque Tuscaniae ora maritima (*le*

maremme) tepido mollique per hiemem aere excellit et ab aegrotis invalidisque frequentatur. Sequentibus vv. Lunae portum describit. *Luna*, in confinio Liguriae et Etruscorum sita, diversis temporibus ab his populis occupata fuit, cf. Müller, Etrusk. I p. 106 sq., nec marmoribus magis, quam eximio portu celeberrima erat (Plin. III, 5, 8. Sil. Ital. VIII, 480 sqq.), qui in modum lunae curvatus urbi nomen dedit, quam Graeci *Σελήνην* vocant (Strab. V p. 222. Steph. Byz. s. v.) cf. Müller, Etrusk. I p. 293 sq. *Scopuli*, qui portum tegunt (Strab. l. l.: *Περικλείεται δ' ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς*), *ingens latus* (ut I, 95 costam Apennini dixit) *dant*, ut ventos arceant et frangant (cf. Virg. Aen. I, 105. Tib. I, 4, 52. Sen. qu. natt. VII, 32); *et litus multa valle*, quod v. de sinu aequoris inter scopulos utrimque inclusi, ut vallis inter montes, dictum est (cf. Claudian. idyll. VI, 37: Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi), *se receptat*, tutum a tempestatibus, cf. *reducta vallis* ap. Hor. carm. I, 17, 17. epod. II, 11. Frequentativo usus esse videtur, ut significaret varie curvari litus et quasi per ambages lente se recipere, cf. Serv. ad Virg. Aen. X, 383. Animi causa addit Ennii versum, quem hic annalibus in laudem Lunae inseruit: *Lunai portum, est operae* sc. pretium (cf. Plaut. Casin. V, 2, 5 ib. Gron. et ad Liv. XLIV, 36, 13. Drakenb. ad Liv. IV, 8, 3), *cognoscite, cives!* qui antiqua sua gravitate, quam *cives* illud non minime prodit, mirum quantum differt a ceteris. Similem gravitatem affectat Persius epica formula *cor Enni*, ut apud Horat. sat. II, 1, 72: „Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli“ i. e. cordatus, ut Aelium Sextum ipse vocat Ennius (apud Cic. de orat. I, 45, 198. Tusc. I, 9, 18), nam in corde prudentiae sedes, cf. Voss. ad Virg. Georg. II, 484. Hoc quomodo intelligendum, indicant sequentia, in quibus Ennii somnium ridet, de quo v. ad prol. in. *Postquam destertuit esse Maeonides*, Homerus, quem Romani praesertim poetae ita vocant, v. Ovid. am. III, 9, 25. Mart. V, 10, 8, *ex pavone* (Hand. Turs. II p. 643 sq.) *Pythagoreo*, nam Homerus Pythagoricam de animarum transmigratione doctrinam explicans dixerat ei in somnio, se pavonem aliquando fuisse (v. ann. crit.), *Quintus* demum Ennius factus. Tam prudens consilium, inquit Persius non sine leni quidam irrisione, Ennius dare scit, postquam nimio poetico furore liberatus est; nam somnia illa Pythagorea (Hor. epp. II, 1, 52), ut nimium tumida et inflata, nec ceteris satis apta, ridebant posteri. *Hic ego securus vulgi*, quid vulgus dicat faciatque (cf. Virg. Aen. I, 350. X, 325 se-

curus amorum), *et quid praeparet Auster* (cf. Hor. carm. I, 26, 5 sq.) *infelix pecori,* quem Virgilius (Georg. I, 444) pecori sinistrum vocat, nec pecori tantum, sed hominibus quoque (Hor. carm. I, 14, 15 sq. sat. II, 6, 18) et segetibus nocens erat, hodie *scirocco*, cf. Voss. ad Virg. ecl. II, 58. Ceterum similiter dixit Virgilius (Georg. I, 462): „Quid cogitet humidus Auster," cf. Iuven. I, 9: „Quid agant venti." *Securus et,* traiecta hoc uno loco particula copulativa, quode disputavit Haupt. obss. critt. p. 42 sqq., *quia angulus ille,* parvus agellus, *vicini pinguior*, cum vulgo, ut ait Ovidius (a. a. I, 351), fertilior seges sit alienis semper in agris. *Etsi* c. coni. *ditescant,* quia cogitatione tantum sumitur, non revera factum est, cf. Hand. Tursell. II p. 607 sq. *Peioribus orti*, quod ab Horatio (epp. I, 6, 22) sumsit, ambigue dictum est, et tam de pauperibus atque ignobilibus (cf. Welck. ad Theogn. p. XXVI sqq.), quam de pravis intelligi potest. Cf. quod ille apud Menandrum (*Θεοφορ.* II, 17 sq.) ait: *Ὄνον γενέσθαι κρεῖττον ἢ τοὺς χείρονας Ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον. Usque* (cf. Doederl. Synon. I p. 14 sq.) *recusem* (Hor. sat. II, 7, 24: usque recuses, cf. I, 41), *senio* i. e. cura atque aegrimonia (Plaut. Stich. I, 1, 19. Non. s. v. cf. I, 26) *curvus minui*, quod habitum eorum pingit, qui curis oppressi sunt. Neque invidia me macerari patiar, neque quicquam ad vitam bene fruendam mihi detraham. *Coenare sine uncto* (Hor. a. p. 422), parce, quia uncti cibi delicati habebantur, cf. III, 102. IV, 17. *In vapida lagena*, quae vinum iam vapidum continet (V, 148), tamen *signum naso tetigisse*, accurate et anxie inspicere, an tactum aut laesum sit. Notum est, antiquos domus suppellectilem annulo signatorio obsignasse, cf. Lips. exc. II ad Tac. Ann. II. Böttiger, kl. Schr. III p. 91. Sabin. II p. 148 sq. Rup. ad Tac. Ann. II, 2. Ridiculae autem avaritiae erat, vilissima utensilium, ut ait Tacitus l. l., annulo claudere, ut ille apud Iuvenalem (XIV, 131 sq.) concham aestivam cum parte lacerti signatam servat, et noster lagenam vapidam, nam vini boni lagenae sane vulgo obsignabantur (Hor. epp. II, 2, 134. Mart. IX, 87, 7. cf. Cic. ad divv. XVI, 26).

v. 18—24. *Discrepet his alius,* cf. Hor. sat. I, 6, 93 sq.: „Longe mea discrepet istis Et vox et ratio." Qui sub uno sidere nati erant, eadem indole uti putes (V, 45), sed vel *geminos* simul natos *horoscopus*, sidus natale, *producit*, nascentes in lucem edit et educat (Sil. It. I, 112. Sen. ep. CIV, 23. CXXI, 18. Iuv. VI, 241. 609), *varo genio,* diversissima indole

praeditos, nam varus est, qui distorta crura habet, v. intpp. Hor. sat. I, 3, 47, unde vara dicuntur diversa, sibi opposita e. g. Hor. sat. II, 3, 56. Horatius contra dixit (epp. II, 2, 187): „Genius, natale comes qui temperat astrum," verum in talibus variatur. — Alter triparcus est, alter prodigus *est qui solis natalibus*, quos epulis celebrare solebant (Plaut. Capt. I, 2, 71 sq. Pseud. I, 2, 32 sq. Pors. V, 1, 16 sq. Iuven. XI, 83), *olus siccum*, non unctum, *vafer*, callidus vetere parsimonia, *tingat muria*, quod est salsamenti genus diverso modo praeparatum (cf. Heind. ad Hor. sat. II, 4, 65), *in calice empta*, quam non in penu servat (Klausen, Aen. II p. 639 n. 1143), sed si quando opus est, pauxillum statim comedendum emit, quod sordidi est aut negligentis. *Ipse*, nemini alii hoc munus demandans, ne nimium defundatur, ut Avidienus apud Horatium (sat. II, 2, 61) oleum rancidum cornu bilibri *ipse* caulibus instillat, quod *irrorare* dicit Persius, parce et guttatim defundere, *piper sacrum*, ut apud Homerum ἅλς θεῖος (Il. ι, 214), ἀλφίτου ἱεροῦ ἀκτή (Il. λ, 631), aliaque quae populi religiosa simplicitas profert similiter, hic acerbe dictum, quia avarus tamquam sacro parcit. *Hic puer* (V, 167) *magnanimus*, ironice, ut Maenius apud Horatium (epp. I, 15, 27) rem fortiter absumsit, *bona grandia dente peragit*, edendi luxuria consumit. *Utar ego, utar*, cf. Hor. epp. II, 2, 190 sqq., qui eandem sententiam expressit. *Nec ideo*, neque tamen (v. Hand. Turs. III p. 183), *lautus* (cf. Mart. I, 99, 2 sq.: Sed tam prodigus atque liberalis Et tam lautus eras) *ponere* (I, 63. Iuven. XI, 84) *libertis*, qui viliore loco habebantur, *rhombos*, pisces magni pretii, quos valde amabant gulones (cf. intpp. Hor. sat. I, 2, 116. Iuv. IV, 39). *Nec sollers nosse* (ad prol. 11) *salivam*, saporem (Prop. V [IV], 8, 38. Plin. H. N. XIV, 6, 8, 60. XXIII, 1, 22, 40. cf. sat. V, 112), *tenuem*, subtiliter tantum ac difficulter diiudicandum (ut apud Horat. sat. II, 4, 36: exacta tenui ratione saporum, cf. V, 93) *turdarum*. Turdis primum inter aves locum concedebant Romani (Hor. epp. I, 15, 40 sq. Mart. XIII, 92), quos ornithonibus saginabant (Colum. R. R. VIII, 10. cf. de Lucullo fabellam apud Plut. Luc. 40. Pomp. 2. apopht. t. VIII p. 161 Hutt. an seni ger. resp. 4) et amplo pretio vendebant (Varr. R. R. II, 3). Quam subtiliter diversi generis turdos sapore dignoscere sciverint ganeones narrat schol., quod exprimit Persius dum *turdas* gen. fem. dicit, cum *turdi* vulgo dicerentur (cf. ann. crit.), ut sollertiam significet ipsum aviculorum genus sapore distinguendi.

v. 25—33. *Messe tenus propria vive* ita videtur explicandum, ut *messe propria vive* iungatur, consume fructus agrorum tuorum, cui adiectum est adverbii loco *tenus*, ut significetur, usque ad finem, quoad suppetunt. Quae ratio sane insolentior est, neque eam aliis locis plane congruentibus confirmare possum. Similiter autem dictum videtur apud Virgilium (Aen. I, 737) *summo tenus attigit ore*, ubi ad id quod sufficiebat *summo attigit ore* additum est *tenus* ad finem ultimum notandum. Eum autem v. *tenus* usum, quo non finem solum, verum earum rerum seriem significat, per quas quis ad finem pervenit, notavit etiam G. D. K(öler) in Wolfii Anall. IV p. 341 sq., et attulit Curtii locum (VIII, 14, 9): *Pauci hostium tenus exacti penetravere ad Porum*, i. e. ita ut per hostium totam aciem perrumperent. Ex vulgari autem interpretandi ratione, ut significaret *usque ad propriam messem vive*, primum illud *vive* hoc quidem loco minus apte positum esset, tum v. *propria* sensum non haberet, denique sententia non apte expressa esset. Nam quod ita in ea primarium est, *usque ad messem*, id vs. 26 dictum est: *occa, et seges altera in herba est*, ibique recte et apte, quod prae ceteris exprimendum erat: *Utere paratis*, id non nisi obscure significatum fuisset. Quare altera illa explicandi via ingrediendum videbatur. Amplius ea sententia explicatur addito: *et granaria* (V, 110), *fas est, emole*, exhauri, frumentum molendo in usum vitae. *Quid metuis?* Sine sollicitudine iis uti potes; *occa*, agrum tuum cole (Hor. epp. II, 2, 161: Cum segetes occat tibi mox frumenta datura), *et seges altera in herba est*, tibi veterem consumenti succrescit, nam frumentum in herba sive in herbis esse dicitur, quod virescit necdum aristas procreavit, cf. Plin. H. N. XVIII, 7, 10, 52. Virg. Georg. I, 112. Tib. II, 1, 19. Ovid. Met. VIII, 289. V, 482. Fast. IV, 645, intpp. Liv. XXV, 15, 18. Inde ad spem transfertur, Front. epp. ad Ant. imp. I, 5 p. 154 Rom. Ovid. Her. XVII, 263 ib. intpp. *Ast vocat officium*, quod amico laboranti succurri iubet. *Amicus inops* factus *trabe*, navi (V, 141), *rupta prendit saxa* (Virg. Aen. VI, 360 de Palinuro naufrago: Prensantemque uncis manibus capita aspera montis) *Bruttia*, quae alluit mare *Ionium*, de cuius nominis diversis temporibus diversa significatione cf. Letronne, rech. s. Dicuil p. 170 sqq. In eo igitur naufragus condidit *rem omnem*, quicquid possidebat (v. 34. 78. cf. Hildebr. ad Apul. de mag. 77) et quae in vanum a diis petierat, *vota surda*, quae non audita sunt. *Surdum* enim id quoque vocatur, quod non auditur, quia

non clarum sonum reddit (intpp. Prop. I, 7, 18), unde de iis dicitur, quae obscura atque ignobilia (Sil. It. VIII, 248. Stat. Theb. IV, 259) sunt, et inutilia fere et non perfecta notat, quamquam *vota surda* audacius dicta sunt. *Iacet ipse in littore* naufragus, *et una dei de puppe*, ubi collocati erant (Hand. Turs. II p. 195). Solebant enim in puppe deorum simulacra picta atque aurata poni pro tutela; cf. Virg. Aen. X, 170 „aurato fulgebat *Apolline* puppis." Similiter *Minerva* apud Val. Fl. VIII, 203. Ovid. Trist. I, 10, 1 sqq.; *Dione*, Sil. It. XIV, 410. Ovid. Her. XVI, 112 sqq. cf. Ruhnken. diss. de tutelis et insignibus navium (opp. 257 sqq.). Deos vocat *ingentes*, ut navigii, quod infelix perdidit, magnitudinem significet. *Costa ratis lacerae iam obvia* est *mergis*, cf. Hor. epod. X, 21 sq.: „Opima quodsi praeda curvo litore Porrecta mergos iuveris" (Virg. Georg. I, 361). *Nunc et de cespite* (cf. Petron. c. 120, v. 71 sq.: aut alit herbas Cespite laetus ager) *vivo*, virenti (Hor. carm. I, 19, 3), quem frugibus, in granariis conditis, opponit, *frange aliquid*, *largire inopi*, *ne oberret pictus*, ex more naufragorum (I, 89), *in tabula caerulea*, quia mare tempestate turbidum repraesentat.

v. 33—40. *Sed* cett. His versibus admonitio continetur, quae ex vulgari cogitandi ratione eum a consilio liberaliter vivendi dimovere possit. Ea bipartita est, desumta ab ira heredis ob imminutam rem familiarem, et a severo iudicio, quod alii austeri morum censores de eo ferre possint. *Coena funeris* duplex est (cf. I. G. Hoffmann, de epulo ferali vett. 1693. W. Tropanneger, de epulis vett. gentil. sepulcr. 1710). Altera, quae *silicernium* vocabatur, quamquam id vocabulum ad alterum quoque genus translatum videtur, *περίδειπνον* (Hemsterh. ad Luc. cont. 22), *feralis coena* (Iuven. V, 85. Apul. Flor. p. 362 Elm.), constabat e sale et lentibus (Plut. Crass. 19), ovis, lustrali cibo (Iuv. l. l.), sim., et ad rogum vel in sepulcris apponebatur, ubi talium reliquiae inveniuntur (R. Rochette, antiq. chrét. III p. 148 sqq.), nemini mortalium tangenda, in quam non nisi abiectissimi et rapacissimi manus inferebant, cf. Guther. de iure manium I, 26. Kirchmann. de fun. IV, 4 sqq. Altera epulum fuit, quod funere peracto amicis et necessariis defuncti parabatur, idque, quo magis heredes mortui honori studebant, eo lautius et luxuriosius instruebatur; quid quod haud raro populo universo epulae funebres dabantur, cf. Liv. VIII, 22. XXXIX, 46. Cic. p. Mur. 36, 75. Suet. Caes. 26. 38. Dio C. XL, 49. LXVII, 9. Kirchmann. l. l. IV, 5. Tale epulum

saepe testamento imperatum erat, v. Guther. de iure man. II, 10. Haec coena h. l. intelligenda est, quam *heres negliget iratus, quod rem curtaveris*, minueris (Hor. sat. II, 3, 124: Quantulum enim summae curtabit quisque dierum); qui cetera quoque, quae ad funus pertinent, negligenter et sordide curabit; *urnae*, in qua collecta ossa componere solebant (Iuv. VII, 208. Kirchm. l. l. III, 18), *ossa*, quibus unguenta et odores miscebant (Ovid. Fast. III, 561. Trist. III, 3, 69. Tib. III, 2, 23 sqq. ib. intpp.), *dabit inodora. Nescire paratus* (I, 132), *seu cinnama*, ex Aethiopia allata summi pretii (cf. Plin. XII, 19, 42. XIII, 1, 2. Mart. IV, 13, 3), *spirent surdum*, quod sicut de sono obscuro usurpatur (Iuv. VII, 71 surda buccina. Quint. XII, 10, 28: Ephyris et Zephyris si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient), ita de colore (Plin. XXXVII, 5, 18: Ad hoc quibusdam intercurrit umbra, surdusque fit color; cf. 5, 20), et odore usurpatur. *Seu casiae* (II, 64) *peccent*, corruptae et adulteratae *ceraso*, cerasi libro, ut videtur, quod fraudis genus alibi non videtur commemorari, certe non meminit Plinius, ubi styrace et lauri tenuissimis surculis adulterari tradit (XII, 20, 42). Casia ad funeris usum emitur etiam apud Mart. X, 97, 2. *Tune*, inquiet eiusmodi heres, *bona minuas incolumis*, impune? Neque hic tantum, verum alii quoque severi et rigidi, luxuriem tuam increpabunt, quorum tanquam exemplum proponit *Bestium*, correctorem illum apud Horatium (epp. I, 15, 37), qui ventres nepotum lamina candente urendos dicebat, quem iam Lucilium ad partes vocasse suspicatur Weichertus (poett. Latt. rell. p. 420 sqq.). Is igitur *doctores Graios urget* conviciis, et, ut solent omnium temporum Bestii, nimiam a peregrinis praesertim ascitam sapientiam animique culturam tanquam luxuriae causam accusat. Ita ne tum quidem deerant homines, qui, ut olim Cato Censorius, Graecos et inprimis Graecam philosophiam aspernarentur, cf. I, 127 sqq. III, 77 sqq. V, 189 sqq. *Ita fit*, nostrum: *so geht's*, Cic. N. D. III, 37, 89: Ita fit, inquit; ubi cf. Heind. *Postquam urbi cum pipere et palmis venit sapere*, id est, ex terris longinquis advectum est, ut Iuvenalis similiter dicit (III, 83): „Advectus Romam, quo pruna et cottana vento." *Piper* (V, 55, 135) et *palmae* Alexandria potissimum advehebantur, sive de palmarum fructu intelligas (Ovid. fast. I, 185. cl. Gell. VII, 16, 5), sive de unguento (Cato R. R. 113: palma, quam unguentarii habent, cl. Plin. XII, 22, 47). Acerbe igitur dicit, Graecos cum hisce mercibus luxuriae inservientibus etiam sapere, cul-

tiorem et elegantiorem intelligentiam, apportasse. *Sapere hoc nostrum*, huius seculi et generis (I, 9. II, 62), obscure vocat *maris expers*, ut mihi quidem videtur, Horatii locum respiciens (sat. II, 8, 15): *Chium maris expers*. Hoc ipsum autem quid sit neutiquam est perspicuum. Graeci enim vinis quibusdam addebant aquam marinam; Myndium, Halicarnasseum, Rhodium, Coum nominat Athenaeus (I p. 32 E.), Coum, Rhodium cum Phorineo affert Plinius (XIV, 8, 10), qui Clazomenium quoque mari condiri narrat (XIV, 7, 9); atque hoc Graecis vinis proprium esse idem docet, cum dicat, prolibare Diis vina Graeca nefastum haberi, quoniam aquam habeant, et Cato, qui non modo Coum vinum (R. R. 112), sed omnino Graeca vina (R. R. 105. 106) aqua marina addita facere docet. Hoc cur fecerint nec ipsi antiqui perspectum habebant. Plutarchus, qui de hac re quaesivit (quaestt. natt. 10), varia comminiscitur, quod terrena omnia consumat, quod putredinem malumque odorem arceat, quod vinum purum reddat; Athenaeus narrat vina mari condita dulcia esse (I p. 26 B.), eademque dicit (I p. 32 D.) non afferre crapulam, ventrem solvere, stomachum mordere, flatus gignere cibosque concoquere. Quae cum ita sint, hoc certe concludi potest, Graecum vinum si maris expers dicatur, illud ipsum salubre ac dulce ei deesse, quod aqua marina affusa procreabat, et similiter h. l. *sapere* dici *maris expers*, quod ingenua vi et salubritate destitutum sit. Iam igitur etiam ruricolae luxuria corrupti sunt. *Faenisecae*, ut V, 122 *fossor*, rudes et inculti agricolae, pauperes ut plurimum mercenarii (Varro R. R. I, 17, 2), *pultes*, e farre, antiquissimum apud Romanos cibi genus (Varro L. L. V, 105. Plin. XVIII, 8, 19. Val. Max. II, 5, 5. Iuv. XIV, 171), quae sine adipe parabantur, quantum videre licet e Catone (R. R. 85), *crasso unguine* (Hor. a. p. 375) *vitiarunt*, ex mente Bestii, cui id depravationis signum est.

v. 41—51. His iam respondet poeta: *Haec cinere ulterior metuas?* Talia parcorum, qualis Bestius est, quid sit, cur post mortem (*περαιτέρω κόνεως*, ut ait Theophyl. ep. ult. a Cas. l.) curanda putes? At cum herede alia atque paulum severiore ratione agendum erit. *Tu, meus heres, quisquis eris*, quod significat, quam parum de ea re sollicitus sit, *paulum a turba seductior* (II, 4) *audi*, ut liberius tecum colloquar testibus remotis. In sequentibus poeta Caii Caligulae ridiculam insaniam simul taxat; is enim summo apparatu contra Germanos et Britannos exercitum eduxit, verum nil nisi ridiculum ibi

mimum egit (Suet. Cal. 45 sqq. Tac. Germ. 37), et postea quasi victis hostibus triumphum paravit. Suetonius de hac re ita scripsit (l. l. c. 47): „Conversus hinc ad curam triumphi, praeter captivos ac transfugas barbaros Galliarum quoque procerissimum quemque et, ut ipse dicebat, *ἀξιοθριάμβευτον*, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare et summittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere et nomina barbarica ferre. — Scripsit et procuratoribus, triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent.“ Quae Persium illustrant. *O bone* (IV, 94), *num ignoras*, de qua re omnes loquuntur; *missa est a Caesare laurus insignem ob cladem Germanae pubis*, ex antiquo more, quo imperatores victoriam litteris laureatis nunciabant, de quibus elegantem I. G. Bergeri diss. (Viteb. a. 1719) laudat Gesn. ad Plin. paneg. 8, cf. Plin. XV, 30, 40. Schol. Iuv. IV, 149. Liv. V, 28, 13 ib. intpp. Tac. Agric. 18. Mart. IX, 35, 6. Dio C. LXII, 19. *Aris frigidus excutitur cinis*, ut nova sacrificia offerri possint. Quae apud Suetonium per procuratores agit Caligula, ea hic administrasse dicitur *Caesonia*, Caligulae olim amica, post Lolliam Paulinam reiectam uxor, cf. Suet. Cal. 25. Dio C. LIX, 23. Haec igitur ea omnia, quae ad pompam illustrandam de hostibus victis Romam asportabant triumphaturi, ad hunc falsum triumphum exornandum Romae facienda *locat*, redemptori minimum poscenti tradit (cf. Brummer. exerc. de locatione et conductione, opp. p. 378 sqq. Rost. de locatione et conductione ap. Plautum. Lips. 1810. Cramer. ad schol. Iuv. p. 375. Rein, Röm. Privatr. p. 334). *Arma*, hostium spolia, *postibus* triumphatorum affigebantur in honorem domus, quae neque emptoribus refigere licebat, Plin. XXXV, 2, 2. Val. Max. VII, 6, 1. Burm. ad Anthol. L. I p. 206 sq. Verum iam olim vana gloriae cupiditate quosdam falsa spolia fixisse docet Catonis oratio, ne spolia figerentur nisi de hoste capta (ap. Fest. s. v. *resignare*. Serv. ad Virg. Aen. IV, 244. Meyer p. 80 sq. ed. 2). *Chlamydes regum*, nam reges captos in triumpho producere summae gloriae erat (Hor. carm. II, 12, 11 sq. Prop. II, 1, 33. Iuv. IV, 126); iis igitur qui reges agere debebant, pretiosas, regias, chlamydes faciendas curat; et cum Germanos simularent *captis gausapa lutea*. *Gausapa* enim de submisso capillitio, ut IV, 37, et hic quidem de adscitio intelligenda sunt, *lutea*, ut Germanorum comam rutilantem imitarentur, nam luteus color rufus est dilutior (Gell. II, 26).

Hunc colorem caustica spuma imitari (Mart. VIII, 33, 20. XIV, 26), et venalitia coma ita colorata uti (Iuv. VI, 120. Petron. 110 ib. Gons.), luxus iam docuerat, cf. Böttiger, Sabin. I p. 141 sq. 160 sq. Ut Caligula, ita Domitianus quoque falsum e Germania triumphum egit, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur (Tac. Agric. 39). *Esseda*, curruum genus, quo Galli et Britanni utebantur, cf. Caes. B. G. IV, 33. Tac. Agric. 35 ib. intpp. Virg. Georg. III, 204. *Ingentes Rhenos*, Rheni fluvii simulacra, nam solebant in triumpho praeter captivos simulacra montium, fluminum, proeliorum produci (Tac. Ann. II, 4 cl. Ovid. a. a. I, 220 sqq.), non solum tabulis picta, sed statuis quoque repraesentata ex ebore, ligno (Quint. VI, 3, 7), metallo (Claud. de cons. Stil. III, 22 sq.) factis, cf. quae exempla collegit R. Rochette (peint. ant. inéd. p. 314 sqq.), qui tamen tabulis nimium favisse videtur. Illustri exemplo est anaglyphum in arcu Titi, ubi inter triumphi apparatum reliquum portatur etiam Iordanis fluvii statua (Admir. t. 6. Müller. mon. art. ant. I, t. 65, 345 a). In triumpho Germanico Rheni, quo devicto tantopere gloriari amabant Romani (Mart. II, 2, 3. IX, 1, 3), imago deesse non poterat. Itaque de Drusi triumpho Ovidius (Trist. IV, 2, 41 sq.): Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit, cf. epp. III, 4, 107. Lucan. III, 75 sqq. Facile autem potest intelligi, in splendida pompa Rheni simulacrum pluries produci. Haec igitur occasio tam festa et laeta est, ut in honorem *deorum* et *genii ducis* (Ovid. fast. V, 145), qui publice colebatur (cf. Hertzberg. de diis Rom. patr. I, 18) *ob res egregie gestas centum paria* gladiatorum (Hor. sat. II, 3, 85 sq.) *inducam* (cf. Suet. Claud. 34). *Ducem* acerbe vocat Caligulam, quasi vere bellum bene gesserit, similiter Domitianum Iuvenalis (IV, 145 cl. Markl. ad Stat. Silv. IV, 1, 46). Gladiatorum munera non solum in funeribus, sed omnino festa occasione privati edebant, ut populi gratiam captarent, quod innumeri lapides testantur. Atque hoc etiam pro salute imperatorum faciebant, cf. Grut. p. 475, 3 C. TITIO. CHRESIMO — QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMPERAT. | ANTONINI. PII. FELICIS. ET. EX. VOLVNTATE. POPVLI | MVNVS. FAMILIAE. GLADIATORIAE. EX. PECVNIA. SVA | DIEM. PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. COLONIAE | EDIDERIT. cett., cf. Lips. Sat. serm. I, 10. *Quis vetat? aude!* quasi indignantem videat heredem; *vae, nisi connives!* Liberalius etiam agam et praeter ludos *oleum*

quoque et *artocreas popello* (IV, 15) *largior*. Saepe enim festis diebus etiam libera balnea et oleum gratuitum populo dabant munifici, cf. Grut. 312, 4. 376, 5. 414, 2. 478, 7. Suet. Caes. 38. Ner. 12. Dio C. LXI, 21. Adiiciebatur ad haec saepissime *visceratio*, carnis et, ut videtur, panis divisio, cf. Liv. VIII, 22, 2. Cic. off. II, 16, 55. Suet. Caes. 38. Fabrett. 242, 656. Haec dicebatur peregrino nomine *artocreas*, cf. gloss. H. Steph. p. 116: *Visceratio*, *ἀρτόκρεας*. gloss. Philox.: Visceratio, *ἀρτόκρεας*, *εὐφρασία* (cl. Lupuli in mut. vet. Corfin. inscr. p. 159). Cf. inscriptionem mutilam (apud Garzonium de rebus Ripanis p. 145, n. 2. Amad. Anecdd. litt. I p. 464. Orell. n. 4937): ... ORNETVR DEDICATIONE ARTOCREA | POPVLO CVPRENSI DEDIT. Aliter explicat I. a Ianua, a Cramero allatus (ad schol. Iuv. p. 632): *Artocrea; ars* componitur cum *creos*, quod est caro, et fit haec *artocrea*, *eae*, i. quilibet cibus artificiose compositus. Vel *artos* panis et *creos* caro, unde *artocrea* cibus ex pane et pasta et carne, secundum Hugucionem. Cf., quos laudat Cramerus, Papias: *Artos*, panis, *creos* graeca panis; inde *artocrea*, panis carnem continens, vulgo *tortella;* et Gerard. de Schueren vocc. materia (Col. 1477): *Artocrea*, alreley spiise, die kunstlick gekockt is of eyn posteyde, quod et tortella. *An prohibes?* et quasi musset ille indignabundus, addit: *Dic clare. Non adeo*, nostrum, *Das eben nicht*, cf. Hand. Turs. I p. 146, *inquis* tergiversans.

v. 52—60. *Iuxta est*, respondet poeta, *ager exossatus*, quod videtur eum significare, cuius vires absumptae sunt. Verumtamen huic, quem tu contemnere neque eo contentus esse videris, si vel remotissimi agnati desunt, qui heredes fiant, quod multa varietate exprimit poeta, tamen facile inveniam heredem, qui laetus accipiat. *Accedo Bovillas*, quae suburbanae vocatae a Propertio (V [IV], 1, 33) et Ovidio (fast. III, 667), inter Romam et Ariciam iacebant, prima in via Appia statio (Nibby, contorni II p. 217 sqq. cf. Hessel. ad Gud. inscr. p. I sqq. Klausen, Aen. II p. 1109 sqq.). *Clivus Virbi*, qua iter ad Ariciam et nemus Dianae est, Martiali *clivus Aricinus* dictus est (II, 19, 3. XII, 32, 10 cl. Iuv. IV, 117), ubi mendici stationem habebant. Virbius, qui idem habebatur cum Hippolyto, Ariciae cum dea Nemorensi colebatur (cf. Buttmann, Mythol. II p. 145 sqq. Hartung, Rel. d. Röm. II p. 212 sqq. Klausen, Aen. II p. 956 sqq. Lorenz, de dictator. I p. 36 sq. Uhden, Schrr. d. Berl. Akad. a. 1818 p. 189. Müller, archaeol. § 364, 8). *Praesto*

est mihi Manius heres, i. e. pauperem et ignobilem heredem facile ibi inveniam. Similiter Manii nomen ponit Augustus in epigrammate obscoeno apud Martialem (X, 20, 5 cl. Weichert. de Aug. p. 91), quod aliis locis servile est, cf. Cato R. R. 191. Dio C. frgm. Peiresc. n. 92. Erat autem vetus proverbium: *Multi Mani Ariciae* (Fest. s. v. *Manius*), quo Festus significare putat, multos claros viros ibi fuisse; quamquam ea explicatio dubia est (Lorenz l. l. p. 35 sq.), et postea certe, cum Aricia vile oppidulum esset, ita potius intellectum esse videtur, ut pauperum ibi copiam esse indicaret. *Progenies terrae?* mirabundus quaerit alter, i. e. ignobilis atque obscurus, nam tales ex tritissimo proverbio *terrae filios* (v. 59) vocabant. Cf. Cic. ad Att. I, 13, 4. ad divv. VII, 9, 3. Petron. 43. Symm. epp. I, 3 (cl. Carrio emendd. I, 11). Min. Fel. 22. Lact. I, 11, 55. Tert. apol. 10. adv. natt. II, 12. Serv. ad Virg. Georg. I, 8. Iuv. IV, 98. Cui respondet poeta, quemvis hominem, modo altius ascendat, ab ignobili quodam genus deducere. *Quaere ex me, quis mihi quartus sit pater*, abavus, *haud prompte* quidem dicam, *dicam tamen* (Cort. ad Lucan. I, 378: invita peragam tamen omnia dextra); si unum alterumque adiicias, iam non habebo quod dicam, et iam erit is quoque *terrae filius*. *Et mihi ritu*, quod *rite* dici solet, iuste, *hic Manius exit* (cf. I, 46) *generis prope maior avunculus*, nam maior avunculus (Paul. s. v.) vel maximus (Dirksen man. s. v. *avunculus*) avii aut aviae avunculus est. Iam cum tam tritavus poetae quam Manius ille terrae filii, ergo fratres, esse dicantur, hic paene maior avunculus vocari potest, quae ratio sane frigidiuscula nobis videtur.

v. 61—74. Quid tibi in mentem venit, pergit poeta, ut me, cui quicquid erit debebis, iis non patiaris uti, quae mea sunt, et antequam tempus est meum mihi ius extorquere velis? Quod imagine expressit a lampadum cursu desumta. Hi et apud Athenienses et apud alias Graeciae gentes in honorem diversorum deorum celebrabantur (Boeckh, Staatshaush. I p. 496 sqq. Preller ad Polemon. frgmm. p. 41. Krause, Theagen. I p. 219 sqq. Gymnast. u. Agon. I p. 201 sqq.). Eorum autem, praeterquam quod tam pedites (Bartoli sepolcri t. 59. Bröndsted voy. II t. 36), quam equites (cf. Choiseul voy. pitt. II, 4. R. Rochette lettre à Mr. le duc de Luynes t. 3, 28) cum facibus certabant, duplex genus fuit (Krause l. l. p. 370 sq.), alterum, quo unusquisque cursorum facem suam gestabat, et is victoriam reportabat, qui primus cum face ardente ad metas perveniebat (Paus.

I, 30, 2. Schol. Arist. Ran. 131), quo pleraque artis monumenta (cf. Müller, arch. § 423, 3) videntur referenda, e. g. picturae vascularіae apud Tischbein. II, 25 [11]; III, 48 [45]; musivum opus apud Gerhard. Ant.Bildw. t. 63, 1. anaglyphum, de quo cf. C. I. n. 287. Altero certaminis genere eo res rediit, ut alter alteri facem ardentem traderet, cf. Plat. rep. I p. 328 A.: *λαμπάδια ἔχοντες διαδώσουσιν ἀλλήλοις ἀμιλλώμενοι τοῖς ἵπποις*, quo referenda videtur pictura vascularia apud Passer. t. 230, cl. Lanzi de' vasi ant. dep. p. 138, et fortasse altera apud Panofk. Cab. Pourt. t. 5. Quodsi schol. Iuv. XV, 141 tradit, in templo Cereris sibi invicem facem cursores tradidisse, videtur locis deceptus esse, qualis est Stat. Silv. IV, 8, 51; ubi tamen non de certamine lampadum, sed de pompa cum facibus acta sermo est. Illud vero ad varia transfertur, quae continua serie ab altero ad alterum transferuntur, cf. Arist. phys. V, 4, 10: *Καὶ οἷον ἡ λαμπὰς ἐκ διαδοχῆς φορὰ ἐχομένη συνεχὴς δ' οὐκ ἔστι.* Varro R. R. III, 16, 9: Sed, o Merula, — quod de fructu nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado. Them. or. V p. 145 Pet.: *Καὶ τότ' ἐγὼ μόνον ἠσθόμην φωνῆς νικώσης τῷ τάχει τὴν τῷ Ἡφαίστῳ τελουμένην λαμπαδηφορίαν καὶ διὰ πομπίμων ἐξ ἄλλων εἰς ἄλλους σταδίους τόσους καὶ τόσους ὥςπερ φρυκτωρίας διαπεμπομένην.* Praecipue vero haec imago adhibetur ad vitae necisque coniunctionem significandam, qua is, qui moritur, alteri cuidam quasi suum vitae locum concedit aut lampada tradit; in quo praecivit Plato (legg. VI p. 776 B.): *γεννῶντάς τε καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων*, cf. Lucret. II, 77 sq.: „Inque brevi spatio mutantur secla animantum, Et quasi cursores vitai lampada tradunt.“ Unde illa seriorum scriptorum, quos attulit Casaub., Clementis Alex. (strom. II p. 181 Sylb.): *Ἐπεσκεύασε τὴν ἀθανασίαν τοῦ γένους ἡμῶν καὶ οἱονεὶ διανομήν τινα παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένην*, et Philonis (I p. 478, 23): *τὸ τῆς ἀρετῆς φέγγος λαμπαδευόμενον ἐπαλλήλοις διαδοχαῖς ἰσόχρονον γενήσεται κόσμῳ.* Hinc dixit Persius: *Cur me poscis lampada* (Cort. ad Lucan. IV, 387) *in decursu*, cum adhuc curram, antequam eo perveni, ubi lampas tradenda est, ubi decurrendi voc., quod de pompis et exercitiis militaribus usitatum est (cf. intpp. ad Tac. Ann. II, 7), apte ad lampadadromiam transfertur. Quod addit: *qui prior es*, intelligetur adhibito loco rhet. ad Herenn. IV, 46, 59: „Ornandi causa sumitur per contrarium sic: Non enim, quemadmodum in palaestra, qui taedas can-

dentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille, qui tradit, ita melior imperator novus, qui accipit exercitus, quam ille, qui decedit: propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit.“ Inde enim concludi potest, illum, cui fax tradebatur, loco positum fuisse, quo alteri currendo perveniendum erat (quamquam aliud quiddam respexit Themist. l. l.), unde *prior* dici poterat. Quodsi summa certaminis in eo ponebatur, ut facem ardentem quisque servaret alterique traderet, facile fieri potuit, ut quis eam ante tempus iam arripere cuperet, praesertim si exstinctioni proximam videret. *Sum tibi Mercurius*, lucri deus (II, 44), *venio deus huc ego ut ille pingitur* (cf. Telephos u. Troilos p. 10), sc. cum saccello s. marsupio, lucri symbolo, ut in permultis sigillis repraesentatur et picturis, cf. Mus. Borb. VI, 2. IX, 38. Müller, mon. art. ant. II t. 29 sq. Quicquid tibi relinquam, id tanquam a deo datum et insperatum lucrum reputare debes; *an renuis*, hac conditione uti non vis? *Vin' tu gaudere relictis?* Exspectes *vis*, cum *vin'* in simplici interrogatione poni soleat, *vis* ubi cum affectu quis hortatur, cf. Bentl. ad Hor. sat. II, 6, 92. Heinr. ad Iuv. IV, 74. Verum Sulpicius quoque (Cic. epp. ad divv. IV, 5, 4): „Visne tu te, Servi, te cohibere et meminisse hominem te natum esse?“ Cum heres obiiciat: *Deest aliquid summae*, quam tu possidebas, et mihi relinquere debebas intactam, respondet poeta: *Minui mihi*, meum fuit, de quo aliquid detraxi, *tibi* autem, *quicquid erit*, quod tibi relinquam, *totum erit. Fuge quaerere* (ut Hor. carm. I, 9, 13: Quid sit cras, fuge quaerere; cf. II, 4, 22. Lucret. I, 1043. Tibull. I, 4, 9), *ubi sit, quod mihi quondam legarat Stadius*, quod nomen alibi non inveni, nam quod unicum exemplum legitur apud Murat. 1411, 17: STADIA. VRSA, eius loco edidit de Vita (Antt. Benev. I p. XLI, 10) TADIA. VRSA, quare videndum, an hic quoque reponendum sit *Tadius* aut *Staius* (II, 19). *Neu dicta paterna*, rigida, severa, *repone*, quod v. proprio rependere significat, restituere suum, et de ingratis rebus maxime usurpatur, cf. Sen. epp. LXXXI, 8 sqq. de ira I, 3. II, 28. Cic. epp. ad div. I, 9, 19. Iuven. I, 1 ib. Heinr. *Accedat foenoris merces*, usurae, ut apud Horat. sat. I, 2, 14; 3, 88. *Hinc eximo sumtus*, quos non accuratius indicat, nam heres, cum magis magisque imminui videat hereditatem, orationem interrumpit: *Quid reliquum est? Reliquum*, repetit poeta iratus, quid? tibi non sufficiat, quod relinquam? Iam lautius etiam vivam nec hereditati parcam. *Nunc, nunc im-*

pensius unge, unge (v. 16) *puer* (Iuv. IX, 59) *caules* (Hor. sat. II, 2, 61; 3, 125). Repetitio eiusdem vocabuli commotam orationem decet, v. I, 11; 111; 120. II, 50. III, 23; 41 sq. V, 174. VI: 22. *Mihi festa luce* (festis diebus Hor. sat. II, 3, 143) coquatur *urtica*, olus vulgare (Hor. epp. I, 12, 8. Plin. XXI, 15, 55) *et fumosum sinciput fissa aure*, vetustate iam corrosum, cf. Petron. 135: „Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita et sincipitis vetustissima particula mille plagis dolata.“ Haec enim pauperum coena erat et antiqua simplicitate viventium, v. Hor. sat. II, 3, 116 sq.: „Videas — colonum Non ego, narrantem, temere edi luce profesta Quicquam praeter olus fumosae cum pede pernae,“ cf. Ovid. Met. VIII, 647 sqq. et de carne suilla fumo siccata, qui antiquorum praecipuus cibus fuit, Iuv. XI, 82 sq. Varro R. R. II, 4, 3. Virg. Moret. 56 sq. *Ut tuus iste nepos*, quod ambigue dictum est, *olim satur anseris extis*, nam antiqui anseris iecur haud minus aestimabant, quam nunc in pretio est, v. Plin. X, 22, 27. cl. VII, 51, 77. Hor. sat. II, 8, 88. Ovid. fast. I, 453 sq. Iuv. V, 114. Mart. XIII, 58. Athen. IX p. 384 B. cf. Mayer, lanx satura luc. XXXIV p. 106 sqq. *Vena* saepe de membro virili intelligenda (v. Mart. IV, 66, 12. VI, 49, 2. XI, 16, 5. Priap. XXXIII, 2 cf. I, 103), ut hic addito v. *inguine* apertius etiam indicatur, quod *vagum* appellatur, quo v. ii notantur, qui illicita venere passim fruuntur, cf. Mart. VI, 21, 6: Legitimos esset cum vagus ante toros. Sen. Herc. Oet. 365. Quot virgines dilexit! Erravit vagus. Prop. I, 5, 7 vagae puellae. *Cum* igitur *vena* haec vaga venere *morosa*, fastidiosa, *singultiet* libidine concitata (ut *palpitare* similiter dixit Iuv. III, 134 cl. Don. ad Ter. Eun. III, 1, 34) *patriciae vulvae immeiat* (quod ut Graecum *οὐρεῖν* de coitu dicitur, cf. Iuv. VI, 64. XI, 168. P. Petit. obss. III, 2. Bast, lettre crit. p. 166). *Mihi trama figurae sit reliqua*, ego macie confectus sim, imagine a veste desumta, quae tam detrita est, ut nihil nisi *trama* supersit, filum, quod inter stamen currit, cf. Serv. ad Virg. Aen. III, 483. Senec. epp. XC, 20. intpp. Varr. L. L. t. II p. 80 sq. Similiter nostrum *fadenscheinig* de veste ad hominem transfertur. *Ast illi tremat omento* (II, 47), nimia pinguedine, *venter*, quem *popam* dicit, quia popae, qui hostias mactabant reliquiisque earum fruebantur, unde et popinam exercere videntur (cf. Osenbrüggen. ad Cic. p. Mil. 24, 65), saepe obesi erant.

v. 75—80. Omisso dialogo sententia de inexplebili avaritia claudit satiram. *Vende animam lucro*, ut lucrum facias, ipsam vitam impende, cf. Longin. de subl. 44, 9: *τὸ δ' ἐκ τοῦ παντὸς κερδαίνειν ὠνούμεθα τῆς ψυχῆς* cl. Plut. de coh. ira 9: *Ὅτι γὰρ ἂν θέλῃ (ὁ θυμὸς) ψυχῆς ὠνεῖται. Mercare et excute sollers omne latus mundi*, cf. Petron. c. 119 v. 14 sq.: Ultimus Ammon Afrorum excutitur; *ne sit praestantior alter*, cf. Virg. Aen. VI, 164 sq.: Quo non praestantior alter Aere ciere viros Martemque accendere cantu. *Catasta* pegma erat, in quo servi venales proponebantur (cf. Tib. II, 3, 60 ib. Dissen. Mart. VI, 29, 1. IX, 29, 5. X, 76, 3. Suet. de ill. gr. 13. Plin. XXXV, 18, 58) nudi, ut ab emptoribus conspici et tangi possent (Sen. contr. I, 2 p. 82 Bip. Mart. IX, 59, 3 sqq. Claud. in Eutrop. I, 35 sq.). *Rigida*, in altum erecta, ut *rigidae columnae*, Ovid. fast. III, 529. *Cappadocum* servorum magna Romae erat copia (Cic. p. red. in Sen. 6, 14. Hor. epp. I, 6, 39. Athen. I p. 20 C. cf. Heyne, opp. t. IV p. 136 sqq. Böttiger, Sabin. II p. 202 sqq.). Erant longi et robusti (Petron. c. 63), inde boni lecticarii (Mart. VI, 77, 4), et libidinosis quoque accepti (Apul. Met. VIII p. 211 Elm. Lucian. Asin. 36), quare hic *pingues* vocantur. Et ideo dicit *pavisse*, quod de servis usitatum est, cf. Iuv. III, 141. Petron. 57. Sen. epp. XVII, 3. de brev. vit. 12. *Rem duplica*, cf. Iuv. XIV, 229: patrimonia conduplicare. Hor. epp. I, 6, 34 sq.: Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro Tertia succedant, et quae pars quadret acervum. Similes locos attulit Casaub. Basilii in homil. ad divites: *Πολλῶν ὑμεῖς ἐνδεεῖς ποιεῖ τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἀκόρεστον· τοῖς δέκα ταλάντοις δέκα ἕτερα προστιθέναι σπουδάζεις· ἐπειδὰν δ' εἴκοσι γένηται, ἄλλα τοσαῦτα ἐπιζητεῖς· καὶ ἀεί σοι τὸ προστιθέμενον οὐχὶ τὴν ὁρμὴν ἵστησιν, ἀλλ' ἀναφλέγει τὴν ὄρεξιν.* Galeni de cur. morb. an.: *Ἀεὶ ποθοῦσι τῶν ἔμπροσθεν οἱ ἄπληστοι, ὥστε κἂν διπλάσιον ἔχωσι τριπλάσιον προσκτήσασθαι σπεύδουσι· κἂν τριπλάσιον ἔχωσι, τετραπλασίων ἐφίενται.* Simplicii in Epictet.: *Ἂν δέκα κτησώμεθα, εἴκοσι βουλόμεθα· κἂν εἴκοσι, τετταράκοντα καὶ ἐφεξῆς· καὶ πέρας οὐδὲν τῆς εἰς τὸ ἀχανὲς τῆς ἀπληστίας ὠθήσεως, καὶ ἡ ὅρον ἐκβᾶσα φύσις εἰς ἀοριστίαν ἐκπίπτει. Redit in rugam*, sc. vestis, cf. Plin. XXXV, 8, 34. Tert. de pall. 5. quod Iuvenalis (XIV, 328) dixit *gremium implere. Depinge, ubi sistam*, mente tibi informa punctum, ubi sistam; nisi *depunge* legendum est, punctum nota. Quod cum ille dixisset, iocula-

riter dicit poeta: *Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi,* quo ad celeberrimum Chrysippe σωρείτην alludit, quem Horatius quoque *acervum* vocat (epp. II, 1, 47), cf. Cic. de div. II, 4, 11. Acad. I, 16, 49. 28, 92 sq. Diog. L. II, 10, 104, 108. VII, 1, 49, 82 ib. Menag. Quodsi huius cupiditati modum finire possis, etiam Chrysippi acervo finem ponere potes.

A. PERSII FLACCI

VITA.

VITA

A.[1] PERSII FLACCI

DE COMMENTARIO PROBI VALERII SUBLATA[2].

A.[3] Persius Flaccus natus est pridie nonas[4] Decembres Fabio Persico, L. Vitellio[5] Coss., decessit VIII kalendas Decembres P.[6] Mario, L. Asinio Gallo[7] Coss. Natus[8] in Etruria[9] Volaterris[10], eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus decessit ad octavum milliarium via Appia in praediis suis. Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex[11]. Fulvia Sisennia[12] mater eius[13] nupsit

1 *Aulis* F.
2 Ita F. L. M 1. P 1. W. *Vita Pauli Persii Flacci equitis Romani per Cornutum phylosophum eius praeceptorem* ed. pr.
3 *Aules* F. M 1. P 1. 2.
4 *nonarum* V.
5 *Vitellioque* B. M 1. 2. P 1. 2. V. W.
6 *Rubio* M 1. P 1. 2. *Rubro* B. *Rubrio* Pith. *P. Mario* emend. Lips. ad Tac. Ann. XIV, 48, ubi memorantur *P. Marius L. Asinius coss.*, quod ex titulo Gruteriano (1106, 7) confirmavit Bouh. *P. Rubrio Mario Celso* Scalig. ad Euseb. p. 195 (179).
7 *A. Gallio* W. *Galloque* M 2.
8 *natus est* V. 9 *Etriria* P 1. 2.
10 *Volterris* B. M 1. 2. P 1. 2. 11 *V* V.
12 *Sisenna* L. M 1. 2. P 2. *Sinenna* P 1. *Sesinnia* B. *Sisinnia* Bouh. Nomen Etruscum esse monuit O. Müllerus Etrusk. I p. 426.
13 *mater eius* om. L. M 1. 2. P 1. W.

postea Fusio [1] equiti Romano et [2] eum quoque extulit [3] intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII aetatis suae [4] Volaterris [5], inde Romae apud grammaticum Remmium [6] Palaemonem et apud rhetorem Verginium [7] Flavum [8]. Cum esset annorum XVI, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam [9] ab eo discederet; a quo [10] inductus [11] aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Caesium [12] Bassum [13] poetam [14] et Calpurnium [15] Staturam [16], qui vivo eo iuvenis [17] decessit. Coluit ut [18] patrem Servilium Nonianum. [19] Cognovit [20] per Cornutum etiam Annaeum [21] Lu-

1 *Fuscio* P 1. 2. *Fusico* M 2. *Ruscio* B. *Roscio* ed. pr. *Fufio* Ernestius prob. Wolf. *Fufiorum* nomen frequentissimum in codd. cum *Fusiorum* saepissime permutatur, quod ubique fere loco cessit. Invenitur tamen apud Caesarem (B. G. VII, 3) *C. Fusius Cita, honestus eques Romanus;* ex inscriptionibus, in quibus nihil frequentius *Fufiis*, unus mihi succurrit *C. Fusius* in tabula honestae missionis, apud Cardinalium (Diplomi imperiali t. XIV). Ceterum apparet *Fusiorum* idem esse nomen ac *Furiorum*, quod docent Liv. III, 4, 1. Quint. I, 4, 13. Digg. I, 2, 2, 36. Illud *Fusciorum* quoque nomen in titulis legitur, cf. Grut. 251. 261, 4. 537, 1. Reines. XIV, 35. Murat. 251, 3 (Inscr. mus. Capit. n. 102).

2 *sed* coni. Oud.

3 *extulit* suprascr. *nutrivit* M 2. *extulit id est nutrivit et aluit* P 1. 2. *qui Persium quoque extulit et nutrivit inter p. a.* B. ed. pr.

4 *aet. suae* om. P 1. 2. 5 *Volterris* B. M 1. 2. P 2.

6 *Herennium* B. ed. pr. *Remium* M 1. P 2. *Remiium* M 2. *R* W.

7 *Virgin.* P 2. *Virgilium* V.

8 *Flanum* P 1. *Flauium* B. M 1. *Flaccum* Pith.

9 *nunquam* coni. Baumgarten-Crusius.

10 *a quo* om. B. L. M 1. 2. P 1. 2. V. W. habet ed. pr. Pith.

11 *introductus* ed. pr. Pith. *Inducere* Oud. hic et ad Apul. V p. 375 defendit, cl. Cic. de inv. I, 2, 2. Gell. XVI, 8. Hygin. astron. praef. in.

12 *Cessium* B. L. M 1. 2. P 1. 2. *Cassium* ed. pr. *C.* W.

13 *Bassium* B. L. M 1. 2. ed. pr. *Lassium* P 1. 2.

14 *poetam* om. P 1. 2. V.

15 *Calphurnium* B. L. P 1. 2. *Calpitrum* ed. pr.

16 *Statura* P 1. 2. *Straturam* V. om. B. *Suram* Cas. Bouh. cl. Treb. Poll. Gall. 18, ubi pro *Palfurium Suram* ed. pr. habere *Calphurinum* ann. Salmas., unde *Calfurnium* vel *Calpurnium* legi posse putat. *Serranum* coni. Sarpe, quaestt. phil. c. 6 p. 47. prob. Webero, Corp. poett. Latt. p. XLVII. In re incerta codd. lectionem corruptam servavi.

17 *uenenis* B. 18 *ut* om. B. M 1. W.

19 *Nouianum* ed. pr. Cas. *Nomianum* L. M 1. *Nomanum* B. *Numanum* M 2. P 1. 2. Corr. Gron.

20 *Agnovit* P 1. 2. 21 *A.* W.

canum aequaevum [1], auditorem Cornuti. Nam [2] Cornutus illo tempore tragicus [3] fuit, sectae Stoicae [4], qui libros philosophiae reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta [5] Flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore [6]. Sero cognovit et [7] Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu [8] doctissimorum et sanctissimorum [9] virorum acriter tunc [10] philosophantium, Claudii Agathemeri [11], medici Lacedaemonii, et Petronii [12] Aristocratis [13] Magnetis [14], quos unice miratus [15] est et aemulatus, cum aequales essent et [16] Cornuti [17] minores. Ipse etiam [18] decem fere

1 *equitum* L. *equitem* coni. Bouh. 2 *Hic* B.
3 *grammaticus* em. Martinius, de Cornuto p. 50.
4 *sectae poeticae* B. L. M 1. 2. P 1. 2. V. W. ed. pr. *Stoicae* Pith. Voss. de poett. Latt. 3 p. 43. Totum locum ita constituit Geelius apud Martinium l. l. p. 49: *Nam Cornuto illo tempore traditus fuit a Seneca stoico, qui libros ph. rel.*
5 *scripturam* P 1. 2.
6 *retineret se recitantem clamore* L. M 1. 2. P 1. 2. V. W. Tunc addit L. *quin illa esse vera poetica diceret;* M 1. P 1. 2. *quin illa esse vera poemata diceret;* V. *quae illa esse vera ipsa poemata ipse luto faceret;* M 2. *quae illa esse vera poemata suo ludo faceret;* W. *quae illa ipsa vera esse poemata suo ludo faceret.* Unde si restituatur: *illa esse vera poemata, quae ipse suo ludo faceret*, sensus dicterii, ni fallor, perspici poterit, quod ad primam satiram eiusque prologum referendum est. Omittunt illa B. ed. pr. prob. Breiting. Oudend.
7 *et* om. B. P 1. 2.
8 *convinctu* P 2. *conflictu* M 2. *coniunctum amicitia* ed. pr. *coniunctum vel amicitia* B. *convictu et amicitia* em. Breiting. *Vel amicitia* est glossa adscripta ad explicandum v. *convictu*, cf. p. 234 n. 3.
9 *et sanctiss.* om. M 2. P 2. *et sanctissimae vitae* B.
10 *tunc* om. V. *tum* L.
11 *Agaturrini* B. M 1. P 1. 2. V. W. *Agathurrini* L. *Agatrini* M 2. *Aesaturnini* ed. pr. *Agaterni* Pith. *Agathemeri* em. Reines. Synt. Inscr. p. 610 secundum inscriptionem Oxoniensem:

Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγαθήμερος ἔνθαδε κεῖμαι
Παντοίης δεδαὼς κραιπνὸν ἄκεσμα νόσου etc.

eiusque coniectura omnium VV. DD. fere assensum tulit. Cf. Visconti, Iconogr. Gr. t. I p. 287 sq. t. 33.
12 *Patroni* B. ed. pr. *Pet.* W.
13 *Aristotegratis* B. M 1. V. W. *ars fategratis* M 2. *Aristotelici* P 1. 2. prob. Bouh.
14 *Magn.* om. B. *Magnatis* L. 15 *imitatus* P 1. 2.
16 *et* om. B. L. M 2. P 1. 2. *nec* coni. Breiting.
17 *Cornuto* B. M 2. *Minores* de discipulis dici docet Oudend. cl. Mart. Cap. V p. 138. Apul. apol. p. 297.
18 *idem* B. L. M 1. 2. P 1. 2. W. Fort. leg. *Cornuti minores et ipsi. Idem.*

annis summe dilectus a Paeto Thrasea [1] est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam [2] uxorem habente [3]. Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae [4] pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis [5]. Fuit frugi et [6] pudicus. Reliquit circa HS XX [7] matri et sorori, scriptis tamen [8] ad matrem codicillis Cornuto [9] rogavit ut daret sestertia ut quidam [10] centum, [11] ut alii volunt [12] argenti facti [13] pondo [14] viginti, et libros circa septingentos [Chrysippi] [15], sive bibliothecam suam omnem. [Verum a Cornuto [16] sublatis libris, pecuniam sororibus [17], quas heredes frater [18] fecerat, reliquit.] Et raro et tarde scripsit [19]. Hunc [20] ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui demti sunt ultimo [21] libro, [22] et quasi finiturus esset, leviter correxit

1 *apud Thraseam* M 1. 2. P 1. 2. unde Burm. leg. *apud Thraseam versatus est* vel *vixit*. *apetithrasea* L. et cod. Vulcanii apud Lips. ad Tac. Ann. XVI, 34, qui em. *a Paeto Thrasea*, prob. Breit. Bouh. Oud. Reiz., et sic cod. ms. in marg. ed. Par.
2 *Arriani* M 2.
3 *habentem* P 1. 2.
4 *famae* M 1. 2. P 1. 2.
5 *sufficiens* B. *sufficienter* Bouh.
6 *et* om. B. L. M 1. 2. P 2. W.
7 *sestercia vicies* M 2. P 2. *sestercias vicies* M 1. P 1.
8 *tamen* cod. Pith. Vin. *tantum* B. L. M 1. 2. P 1. 2. W.
9 *rogavit eam, ut Cornuto daret* edd. contra codd. *Cornutum* M 1.
10 *dicunt* vulgo add. contra codd., om. Reiz.
11 *centies* B. L. M 2. P 1. 2. *sest. vicies aut ut quidam centies* M 1. W. *sestertium centies* em. Scal. de re numm. p. 83. *sestertia centum* Gron. de pec. vett. III, 1.
12 *plus et* add. L. edd.
13 *facti* om. P 1. 2.
14 *pondera* codd., em. Cas. Gron. de pec. vett, I, 8.
15 Addunt *Chrysippi* codd., quod adiectum videtur a sciolo; Chrysippus DCCV libros reliquisse dicitur, Diog. L. VII, 181. Neque tamen verisimile, ea omnia possedisse Persium, etiamsi non prematur illud *sive*, quod nullos alios libros eum servasse, indicaret. *sept. Chrisippi et bibl.* coni. Breiting.
16 Ita codd. ed. pr. *Cornutus* Pith. cett.
17 *sorori et matri* Reiz.
18 *frater* om. Reiz. Verum cum sine violentis mutationibus haec non possint cum ceteris in concordiam redigi, spuria iudicarunt Breit. Bouh. Oud.
19 *Et scriptitavit et r. et t.* M 1. W. *scripsit* om. L. M 1. 2. W.
20 *hinc* em. Bouh.
21 *in ultimo* P 1. 2. *de ultimo* B. *ultimi* M 2.
22 *libri* M 2. W. *ibi* L. M 2. P 1. 2.

Cornutus [1] et Caesio Basso [2] petenti, ut ipsi cederet [3], tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus praetextam [4] Vescio [5] et ὀδοιπορικῶν [6] librum unum et paucos in socrum Thraseae [in Arriam matrem] versus [7], quae se ante virum occiderat. Omnia ea [8] auctor fuit Cornutus matri eius [9], ut aboleret [10]. Editum librum continuo mirari homines et diripere [11]

1 *ut quasi finitus esset leviter recitavit Cornuto* P 1. 2. *quasi enim finitus esset leniter recitavit Cornutus* M 2. *Quos quasi finitus esset leviter recitavit Cornuto* cod. in marg. ed. Par. *ut quasi finitum esset leviter Cornutus contractavit* L. *et quasi finitus esset leviter contra et Cornutus* M 1. *et quasi finitum esset leviler contraxit Cornutus* W. *et quasi finitus esset leniter contraxit Cornutus* B. ed. pr. *libri. Ut quasi finitus esset, leviter contraxit Cornutus* em. Breit. *libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus* Bouh. Reiz. prob. Wolf. *Quos, quasi,* vel *ut quasi,* vel *eos, quasi finitus esset, leviter retraxit Cornutus* em. Oudend. Quod ego reposui, nititur fide cod. Laurentiani, e quo vitam integram subieci.

2 *Cessio Bassio* M 1. 2. P 1. 2.

3 *ipse cederet* M 2. P 1. 2. W. *ipso ederet* B. L. M 1. edd. *perficeret* Vin. Bouh.

4 *praetextatam* Erem. Graev. sine causa.

5 *praetexta inductus* ed. pr. *praetexta vestitus* B. *Vescio*, quod om. Pith. Reiz., L. M 1. 2. P 1. 2. W., def. Barth. Advv. XI, 27. Welcker Griech. Trag. III p. 1457, corruptum habet Neukirch. de fab. tog. p. 92. Prompta esset coniectura *Restio*, quo nomine Laberius mimum inscripsit (v. Gell. X, 17. XVI, 7), si Acronis (ad Hor. a. p. 288) auctoritate praetextatas comoedias fuisse credi posset, quod non licere, evicisse videtur Neukirch. l. l. p. 23 sqq.

6 *cohopertus* B. ed. pr. *operico* M 1. *opericon* M 2. P 1. 2. W. *operiῶn* L. *οπωρικῶν* cod. in marg. ed. Par. *ὀδοιπορικόν* Erem. Burm.

7 *et paucos sororum Thrasiae in Arriam matrem v.* M 1. 2. P 1. 2. W. *in socrum Thraseae in matrem Arriam v.* L. prob. Breit. *in socrum Thraseae, Arriae matrem v.* Cas. *paucos sorori Trassie in Arriani matrem v.* ed. pr. *paucos uxori Thraseae in Arriam matrem v.* Vin. prob. Bouh. Oud. Reiz. Mihi vv. *in Arriam matrem* adscripta videntur explicationis gratia ad vv. *in socrum Thraseae.*

8 *Omnia autem* M 2. P 1. 2. *Omnia autem ea* Bouh.

9 *Corn. auct. fuit* P 1. 2. *O. ea ut aboleret Cornutus mater eius auctor fuit* B. ed. pr. prob. Breit. *O. aut. mater eius ut aboleret Cornutus magister eius auctor fuit* Vin. prob. Bouh., nisi quod vv. *magister eius* glossema putat, quae aperte ex vv. *mater eius* orta sunt.

10 *abhorreret* M 1. P 1. 2. W. *adhereret* M 2.

11 *derip.* Vin. Pith. *dirip.* codd., ut em. Cas. ad Suet. 17. *diribere* Erem. Lind. Cort. ad Lucan. V, 393. de quo v. cf. disputationem Wunderi, VV. LL. p. CXXVI sqq.

coeperunt [1]. Decessit autem vitio stomachi anno aetatis XXX [2].

Sed mox ut a schola magistrisque [3] divertit [4], lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit [5], cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus [6] cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis [7] culpaverit [8]. Cuius versus in Neronem cum ita se haberet [9]:

Auriculas asini Mida rex habet [10],

in eum [11] modum a Cornuto ipse tantum modo est emendatus [12]:

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero [13] in se dictum [14] arbitraretur.

Eandem vitam hoc modo in rem suam vertit is, qui commentarium conscripsit in Persii satiras, qui legitur in cod. ms. bibl. Laurent. pl. XXXVII, cod. 20, de quo v. prolegg.

In principio huius libri octo sunt videnda. I de vita auctoris. II de causa suscepti operis. III quae materia operis. IV quae intentio auctoris. V quae utilitas. VI cui parti philosophiae subiiciatur. VII quis libri titulus. VIII quis modus legendi.

1 *fecerunt vel coeperunt* P 1. 2. vv. *edit.* — *coep.* supra post v. *edendum* collocanda censuerunt Breit. Oud.
2 Ita codd., quod falsum demonstrant consulum nomina supra posita. *XXIIX* Reiz.
3 *scola et magistris* P 1. 2. *a scolis et mag.* M 2.
4 *diverterat* P 1. 2. *deverterat* M 2.
5 *instituit* L. M 1. W. *studuit* M 2. P 1. 2. Oud. 1. Suet. gramm. 21: „Libellos ineptiarum componere instituit.“
6 *detracturus* L. W. *detracturum* ed. pr. *detractus* M 2. *detractis* P 1. *detrectatis* M 1. P 2. *detrectaturus* Vin. Oud. Reiz.
7 *pr. ill. temp.* add. codd. om. Pith. Oud. Reiz.
8 *inculpav.* M 1. 9 *haberent* M 1. P 1. 10 *habuit* M 2.
11 *eum* codd. *hunc* Vin. Pith. rell.
12 Ita P 1. 2. *em. est tant. m.* W. *ipso* L. M 1. *tantum m.* om. M 2. *ipso nondum mortuo* em. C. Barth. Advv. XI, 21. Reiz. Malui retinere quod aperte corruptum est, donec certa ratione emendetur.
13 *vero* P 2. *vero Nero* P 1. *Nero* om. B. *ne hoc quis* ed. pr.
14 *ductum* M 1. Ceterum haec vv. *Sed* — *arbitraretur* post vv. *in philosophiam est* collocanda censuerunt Breit. Bouh. Oud., transposuit Reiz. Interpolata a seriore manu multi crediderunt, cf. prolegg.

Ad I. Auctor iste nomine Aulus Persius Flaccus, natione Tuscus fuit; est enim natus in Etruria Vulturis,* eques Romanus, genere clarissimus, affinitate primi ordinis viris coniunctus, carmine satiricus. Natus pridie nonas Decembris Fabio Persico Vitellio Lucioque consulibus, decessit a' octavo Kall. Decembris anno aetatis suae trigesimo, vitio stomachi, Rubio Mario Assinio Gallio consulibus ad octavum miliarium in via Appia in praediis suis. Pater eius consorti nominis Flaccus moriens eundem Persium pupillum reliquit annorum fere sex. Fulvia Sisenna mater Persii nupsit marito suo Flacco mortuo cuidam equiti Romano, qui Fusius dicebatur, qui Persium extulit intra paucos annos. Studuitque Persius usque ad annum XII aetatis suae Vulturis, inde Romae apud grammaticum Rennium Palamonem et apud rhetorem Virginium Flavum. Cum esset annorum 16 (*sic*) amicitia coepit uti amici (*Annaei*) Cornuti, ita ut nunquam ab eo discederet indutus (*imbutus*) quoque aliquantulum philosophia. Amicos habuit a prima adolescentia Cesium Bassum poetam et Calfurnium Staturam, qui Statura vivo Persio iuvenis migravit. Coluit ut patrem Servilium Momentanum; cognovit per Cornutum amicum et Lucanum, probum virum, aequaevum et adiutorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragycus fuit sectae poeticae, qui libros philosophiae reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Persii, ut vix retineret se recitantem scripta eius a clamore. Et ut quidam dicunt, prius Basso docente didicit, postea vero disciplinam eius egiss (?) et ad Cornutum alium doctorem se transtulit; unde ad utrumque istorum satyram scripsit, penultimam Cornuto, ultimam vero Basso. Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis mirae, pudicus, erga matrem, sorores et amitam fuit frugi. Reliquit circa 200 sestertia matri et sororibus, scriptis tamen ad matrem codicillis [sestertium est una libra et tertia pars alterius] rogavit matrem et sorores, ut darent Cornuto magistro suo 90 sestertia, et, ut alii volunt, plus et pondera argenti XX et libros circa 40 Crisippi sive bibliothecam suam totam. Verum a Cornuto sublatis libris pecuniam reliquit matri et sororibus, quas ipse Persius sibi heredes fecerat. Scripsit raro et tarde; hunc ipsum librum imperfectum reliquit; versus aliquot dempti sunt ultimo libro, quos, quasi finiturus esset, leviter correxit Cornutus et Caesio Bassio petenti, ut ipse ederet tradidit eden-

* In marg. adnotatum est: Hae Vulturae, harum Vulturarum, nomen civitatis in Etruria, quae est pars Tusciae.

dum. Scripserat in pueritia praetextam nescio cui et opericon librum unum et paucos in sororem tersiae Ariam matrem versus, quae se ante virum occiderat. Editum librum continuo mirari homines coeperunt et transscribere de uno in alium. Mox vero ut ad scolas duītur lectoque Lucilii libro 10 vehementer satyras componere studuit, cuius libri principium est imitatus; sed (*sibi*) primo, mox omnibus detractans cum tanta omnium poetarum et oratorum insectatione, ut et Neronem illius temporis principem reprehenderit, cum versus in eum fecerit dicens: *Auriculas asini Mida rex habet.* Sed a Cornuto emendatum est sic: *Auriculas asini quis non habet?* ne Nero in se dictum existimaret.*

Ad II. Persius apud se deliberavit, num scriberet, nec ne. Incepit et destitit, postea vero intolerantia vitiorum commotus hoc opus incepit, quod et perfecit et spet (?) causam suscepti operis. Scripsit etiam, ut favorem Romanorum captaret; scripsit etiam causa gloriae, quae est potissima causa scribendi omnibus auditoribus, unde o. gloria nos aenat.

Ad III. Materia huius libri est illa communis omnium satyricorum, s. vitium sive reprehensio vitiorum.

Ad IV. Intentio sua est dissuadere s. dehortari nos a vitiis et persuadere ad virtutem, nam egressio vitii ingressio ad virtutes. etc. etc.

In ed. pr. post vitam haec sequuntur:

Persius hic diu dubitans, utrum militiae an poetriae succumberet, tandem ad satyram scribendam animum applicuit,

* In cod. Erlang. haec leguntur: „Quinto anno post passionem domini Persius Flaccus Volaterris nascitur, XXIX autem vitae suae anno et Neronis IX moritur. Secundo post hinc anno Lucius Anneus Seneca Cordubensis praeceptor Neronis et patruus Lucani poetae incisione venarum et veneni haustu in Pisoniana coniuratione deprehensus periit, et Nero Cornutum praeceptorem Persii in exilium fugavit. Ac dehinc secundo anno Petrus et Paulus occubuere.“ In cod. Dresd. haec vita exstat a recentiore manu scripta: „Aulus Persius Flaccus author satyrarum natus est Volaterris Hetruriae oppido. Floruit imperante Domitiano Nerone. Praeceptorem habuit in gram. Rhemmium Palaemonem, in rhetoricis Flavium Virginium. Probus fuit moribus et egregia vitae integritate. Composuit VI satiras, in quibus testim. Martialis (IV, 29, 7) maiorem promeruit laudem, quam Marcus in tota sua Amazonide. Mortuus est an. Chri. LXIV, aetatis suae undetrigesimo.“

et cum coepisset scribere utramque rem incohavit, donec ex sua ipsius animi mutabilitate scribere inchoavit. Fuit autem sciratus (?) genere tuscus, discipulus Bassi phylosophi. Hoc vero initium carminis est praefatio, tragicum a delectione scandere (?) incipiens. In hac autem praefatione apologiam id est excusationem facit et excusat se quodammodo, non ideo scripsisse, ut poeta appareret, sed potius impulsu mentis quodam, quod tunc videbat multos poetriae incumbere, ut inde salarium mererentur; salarium est praebenda unius diei. Unde ostendit, se coactum ut scriberet. Unde non poetam se videri vult vel vocari et per suam personam vult intelligi aliorum personas, qui ob famam scribebant.

Satirae [1] proprium est, ut vera humiliter dicat, et omnia cum sanna faciat, quam Sisenna protulerat poeta. Item satyra dicitur, quae variis rebus continetur. Satyra item dicitur lex apud Romanos lata, quae fucatis verbis fallat audientes, ut aliud dicat, aliud vero significet. [2] In hac praefatione dicit, se non poetam esse, sed semipoetam, et dicit se fame coactum sicut et ceteros ad scribendum aspirare conatum, quod cum de se dicit, non dubium, quin de omnibus dicat. *Satira* genus est *clarni* vel lancis multis ac variis frugum generibus plena. Clarnus potest appellari discus vel mensa, quae referta sacrificiis Veneri consuevit offerri. Dicta autem satira a saturitate et quod plena sit conviciis et reprehensionibus hominum.

Hic [3] tamen fabulam tangit. *Phorcus* rex III filias fertur habuisse Gorgones, *Stennio, Euryale, Medusa.* Dicuntur *Gorgones,* quasi *georgae* i. e. terrae cultrices. *Ge* enim terra, *orgia* cultura. Sed mortuo patre successit ei *Medusa* in regno, quam auxilio Minervae interfecit Perseus, rex Asiae, et de sanguine eius egressus est *Pegasus* equus, qui pede suo terram percutiens produxit fontem nomine *Pegasum,* sicut fabula Graeca finxit, qui fons dicatus est poetis et Musis, unde Marcianus [4]: *Et fons Gorgonei tulit caballi.* Hoc fabulosum, veritas tamen habet hoc, et est inquirendum. *Gorgo,* terror; *Stennio,* debilitas; *Euryale,* lata profunditas; *Medusa,*

1 Haec plenius exstant in codd. quibusdam, ut Par. 1, cod. bibl. Darmstadiensis (n. 199 catal. Hartzheim. p. 159), de quo v. Weber. diss. de intpp. Lucani XXXV, Erl.
2 Sequentia habent tantum P 1. Erl.
3 Seqq. exstant in P 1. Darmst. Pertinent ad prol. 1. et petita sunt e Fulgent. I, 26. Cf. Myth. Vat. I, 130. II, 112. III, 14.
4 Marc. Cap. II p. 29 Gr.

oblivio; haec omnia terrorem in hominibus faciunt, quae omnia Perseus occidit, *Perseus* graece, latine *virtus;* cum auxilio *Minervae* interfecit, quia virtus auxiliatrice sapientia omnes terrores vincit; de cuius sanguine natus est equus *Pegasus;* Pegasus enim fama dicitur, quia virtus omnia superans famam sibi conquirit, de qua potant poetae, quia in laudem virtutis videntes eam victricem prosiliunt.

SCHOLIA ANTIQUA.

CORNUTI COMMENTUM [1].

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino. Ἱπποκρήνη, quod et Hesiodus dicit. Dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem montem pervenisse, ibique siti oppressus ungula fodisse: ex quo loco fons editus Musis sit consecratus. Dicit autem se de illis non esse, qui sunt egregii Musarum amici. *Caballino* autem dicit, non *equino*, eo quod satyrae humiliora verba conveniant.

2. *Nec in bicipiti somniasse Parnasso.* Parnassum montem Delphorum dicit, qui habet cacumina duo, Nysam Libero sacrum, Cyrrham Apollini. Unde Lucanus [2]:

Cardine Parnassus gemino petit aethera colle,
Mons Phoebo Bromioque sacer.

Tangit autem Ennium, qui dicit se vidisse somniando in Parnasso Homerum sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore. *Bicipiti* autem pro *duplicis cacuminis.*

4. *Pallidamque Pyrenen.* Pyrene fons est Musis consecratus in Helicone. *Pallidam* autem ideo dicit, quod poetae palleant scribendi lassitudine.

1 Ita Vinetus e codd., et alii codd. sic inscribunt, e. g. cod. bibl. Bern. n. 223, qui titulum ponit: *Annei Cornuti commentum in Aulis Flagi Persii satirarum librum incipit.* Ed. pr.: *Publii Annei Cornuti phylosophy: annotationes in Publium Persium Flaccum discipulum foeliciter incipiunt.*

2 Lucan. V, 72 sq. Cod. Darmst. habet: „In Nysa colitur Liber cum Venere, in Cirrha Apollo cum Musis.“ De Apolline cum Baccho in Parnaso culto v. Welcker. in novo suo et Ritschelii Mus. Rhen. I p. 3 sqq. De duobus montis cacuminibus error est scholiastae, cum aliis ei communis, cf. Ulrichs Reisen I p. 48. Ceterum de Cirrha cf. Ulrichs Reisen I p. 7 sqq., de Nysa Phocidis Müller. Orchom. p. 89. 381.

5. *Lambunt*, id est tegunt vel circumdant, et quasi lingua tergunt. Virgilius [1]:

et sidera lambit.

6. *Hederae sequaces.* Hedera semper viridis est et ideo hedera coronabantur poetae, quia nomen eorum semper manet; *sequaces*, quod sequantur et sine fine repant. *Semipaganus*, semipoeta. Et hoc verbo humili satyrico modo usus est. *Pagani* dicuntur rustici, qui non noverunt urbem, *ἀπὸ τοῦ πάγου*, a villa. Aliter. *Semipaganus*, semivillanus, i. e. non integre doctus. Ego autem inter poetas et rusticos sum medioximus. *Pagos* enim villa, fons, unde pagani dicuntur villani, quasi ex uno fonte potantes [2].

7. *Ad sacra vatum*, ad numerum poetarum.

8. *Quis expedivit psittaco suum chaere?* Hoc dicit, quod non omnes solummodo natura sua sunt poetae, sed ventris et egestatis necessitate coguntur, dum semet studendo vigiliis cruciant: alioqui omnes essent sine labore poetae, et hoc de avibus probat. Nam hodieque videmus psittacos esurientes vocali sono strepere et *χαῖρε* dicere. *Psittacus* [3] avis

1 Virgil. Aen. III, 574.

2 Cf. Serv. ad Virg. Georg. II, 382. — In cod. Darmst. hoc exstat schol.: „Antiquitus senes in apricis locis sedentes soliti fuerunt avaros probare; parvulam sarcinulam in similitudinem denarii nectentes in lutum proiecerunt, ut, si quis praetereuntium denarium sustulisset, ab omnibus derideretur. Et hoc modo cum dicit, avem fame compelli ad vocis humanae studium, significat, avaros quoque pollicitatione vel spe praemii ad studium poetae (l. poeticae) compelli. Si alicui, dicit, cupidorum ostenderetur denarius, illum, cui per naturam prohibitum, aestimares poetam.“

3 Haec ex Isidoro (origg. XII, 7) desumta sunt. In cod. Darmst. haec leguntur: „Sitacus avidia in numidia (*avis Indiae*) solum in litoribus gignitur colore viridi, torque punicea, grandi lingua et ceteris avibus latiore, unde et articulata verba exprimit, ita ut si eam perspexeris (leg. *non prosp.*) putes hominem loqui. Ex natura autem salutat dicens *ave* et *kere*. Quod ingenium ita Romanae deliciae miratae sunt, unde (*ut*) barbaros (*barbaris*) psitacos mercem fecerunt (*fecerint*). Cuius rostrum tantae duritiae est, ut cum e sublimi se praecipitat saxo, nisu se eius excipiat et quasi quodam praesidio utatur extraordinariae firmitatis. Caput eius tam valens, ut si quando ad discendum plagis sit monitus, ferrea clavicula sit verberandus. Dum pullus est non (*nisi*) intra alterum aetatis annum, ea quae monstrata sunt citius discit et tenacius retinet, maior paulo segnior est et obliviosus et indocilis. Inter nobiles et plebeios discretionem facit numerus digitorum; qui praestant quinos habent digitos, ceteri ternos.“ — Haec verbis paullum mutatis e Solino c. 52 (55) transscripta sunt, cf. Plin. X, 42, 58. Apul. Flor. p. 348 sq. Elm.

in Indiae partibus gignitur, colore viridi, torque punicea et grandi lingua et ceteris avibus latiore, unde articulata verba exprimit ita, ut si eam non prospexeris putes hominem loqui, ex natura salutans et dicens *ave* vel *chere*, quae pro munere offertur regibus. Nam cetera verba institutione [i. e. doctrina] discit. Hinc est illud [1]: *Psitacus a vobis aliorum nomina disco, Hoc didici per me dicere: Caesar ave.*
Suum autem, quasi proprium, ut naturaliter videantur loqui; ita tamen, si esurierint [2].

9. * *Conari*, et *blandiri* legitur. *

10. *Venter.* Apologiam facit poeta, nam excusat se non invidiose scripsisse, ut poeta appareret, sed potius impulsu quodam mentis, quia videbat tunc multos poeticae incumbere et per transitum ostendit, se primum coepisse causa victus, ut salarium mereretur. Nam *salarium* est victus unius diei.

11. *Voces* humanas; *negatas*, per naturam.

12. *Dolosi nummi*, callidi et potentis ad suasionem, quod ad omne facinus facile impellat. *Refulserit*, refulgeat.

13. *Corvos poetas*, quod corvino lucro inducti, non solum cantare possint, sed etiam carmen effingere.

14. * *Pegaseium nectar.* In aliis est *melos.* *

SATIRA I.

1. *O curas hominum.* Semetipsum redarguit, quod ipse relinquit carmina, quae vulgus lecturum non sit, quoniam non sunt vulgaria: et quod minime conveniant robusto ingenio, et libidini iuventutis. Sed haec satyra scribitur de iis, qui publice captant famam eloquentiae ex favore imperitorum. Et hoc velut dialogi genus in principio ex persona interrogantis inducit. Ait ergo *curas hominum inanes*, quod homines sine fructu laborare videt. * *Quantum est in rebus inane.* Graecum est: ὅσον τὸ κενόν. * Deest autem *humanis*, ut sit *in rebus humanis.* *Inane* autem vacuum ac ratione carens.

1 Martial. XIV, 73.
2 C. Barth. Advv. LVI, 2 e cod. ms. edidit glossas ad prologum, nullius fere pretii, nisi quod ad h. v. ibi legitur: „*Chaere*, salve. Cornutus scribit, Caesarem habuisse psittacum ipsi crebro hoc iterantem.“

2. * *Quis leget haec?* Hunc versum de Lucilii primo transtulit [1]*, et humanae vitae vitia increpans ab admiratione incipit. Dicit autem sibi: *Min'* pro *mihine?* Figura synaeresis. *Min' tu istud?* Sic pronunciandum est, quasi de re non manifesta audiat. *Nemo Hercule*, affirmative et adverbialiter. *Nemo?* Interrogat admirans.

3. *Nemo* ergo si acuta prima [2] dicit, Persius dicit *vel duo lecturi erunt:* et cum repetitione intulit *vel* et quia hanc vitiorum materiam dubitat etiam a paucis legi, intercisive dixit *vel*, non addens, unus, vel tres. *Nemo.* Persistit in eo, quod dixit: *Nemo Hercule.* *Turpe et miserabile!* Turpe, si duo, et miserabile, si nemo, et quasi corrigit dicendo:

4. *Quare? ne mihi Polydamas*, id est, multinuba. Polydamas autem Nero, quod multis nupsit [3]; aut quod timidus et imbellis fuit, ut apud Homerum inducitur Polydamas. *Troiades*, Romani accipiuntur. Alii Polydamanta populi personam accipiunt, quae loquax est et inepta, cuiusmodi naturae fuit Polydamas: Troiades vero nobiliores. * *Labeonem*, quia Labeo transtulit Iliada et Odysseam [4], verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Eius est ille versus:

Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos. [5] *

1 Hoc schol. ad vs. 1 referendum putavit G. Pinzgerus in Ien. Litztg. a. 1823 n. 77 p. 130.

2 *adiuncta persona* Vinet. in mg.

3 Sinnerus (catal. codd. bibl. Bernens. I p. 554 sq.) ex Ugutionis sive Eugecionis vocabulario msto haec affert: „Fit hinc Polidamas id est multicuba (leg. *multinuba*) et multigamus, qui multas habet uxores, sicut fuit Nero, qui dictus est Polidamas, nam dicitur vir fuisse omnium mulierum et mulier omnium virorum. Unde Persius: *Ne mihi Polidamas et Troiades Labeonem praetulerint.*“ Quae eadem leguntur apud Io. a Ianua. Papias: „*Polydamas* id est multinuba, qui multas amat; gen. *polydamantis.*“

4 *Iliadam et Ulyxeam* ed. pr.

5 *phisingos* P. Vin. Homeri vs. est Il. δ, 35: *ὠμὸν βεβρώθοις Πριάμου Πριάμοιό τε παῖδας.* El. Vinetus in epist. ad P. Danielem, quam in prolegomenis integram posui, ita hoc schol. affert ex codice Io. Tillii Brionensis episcopi: „Labeo poeta Latinus fuit, ut Fulgentius in libro etymologiarum ait, qui carmen et opus Homericon vertit in Latinum et placuit non magis auditoribus quam lectoribus. Eius versus est: *Crudum manduces Priamum Priamusque pisinnos.*“ Cf. Isid. origg. X s. v. *pisinnus.*

5. *Nugae!* Vim habet reprehensionis. *Turbida Roma.* Ab aqua translatio; vel quod multis gentibus repleatur.

6. *Elevet*, altum faciat laudando, vel incuset. *Accedas*, assentiaris. *Examenve improbum*, ἀλληγορικῶς dicit, hoc est, non debere quaeri iudicium in vulgari iudicio, cum in eo aequitas non sit. * *Examen* autem est lingua [1] vel lignum [2], quod mediam hastam [3] ad pondera adaequanda tenet. *

7. * *Castigare* autem est digito libram percutere [4], ut temperetur, et prae agitatione post in aequum [5] conquiescat. *Trutina* vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est. * *Nec te quaesiveris extra*, id est, noli iudicium de te extrinsecus quaerere, quae est Chilonis Lacedaemonii sententia [6].

8. *Nam Romae quis non?* In populo, inquit, quis non est rudis et imperitus?

9. *Tunc cum ad canitiem*, cum risu pronunciandum. Id est, cum ad senes respicio poetas. *Et nostrum istud vivere triste*, figura graeca est pro *nostram vitam tristem.*

10. *Nucibus relictis*, ludis puerilibus depositis [7].

11. *Cum sapimus patruos.* Eleganter *patruos*, id est, cum veram severitatem sapimus. Patrui enim severi circa fratrum filios. * *Sic Cicero* [8]: *obiurgavit Coelium, ut quidam patruus censor.* * Horatius [9]:

metuentis patruae verbera linguae.

Tunc, tunc, ignoscite, nolo, ἔκλειψις, sc. dicere vel ridere. Tunc praecipue: vel est asseveratio valde dolentis, ut:

1 *lingula* Fabric. Orell.
2 *linum* Schrevel. *filum* C. Barth. Advv. Mss. CLI, 21.
3 *stateram* C. Barth. l. l.
4 *percurrere* Casaub.
5 *per agitationem post in aeq.* ed. princ. C. Barth. l. l. *post agitationem in aeq.* cod. Tur.
6 *Γνῶθι σεαυτόν.*
7 In cod. Par. 8272 hoc schol. est: „Pueri meritorii, id est catamimi (l. catamiti), quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi servitio nuces spargebant, ut significarent, se puerilia cuncta spernere et in robur virile venire.“ — Cf. Catull. LXI, 128 sqq.
8 Cic. p. Cael. 11, 25, ubi ita legitur: *Fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister, obiurgavit M. Caelium sicut neminem unquam parens.*
9 Hor. carm. III, 12, 2 sq.

Me, me adsum, qui feci [1], et:

Tunc, tunc o liceat crudelem abrumpere vitam [2].

12. *Sed sum petulanti splene cachinno.* Id est, non me contineo; lascivior fio risu. Et hoc dicit: Date mihi veniam; talis sum naturae, ut rideam. * Et hoc secundum physicos dicit, qui dicunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere, et pulmone iactari. [3] * *Splene petulanti*, luxurioso pectore; vehementius enim splenetici solent ridere. *Cachinno* autem dupliciter exponitur. Si quidem nomen est et verbum: * nomen est, cum per casus inflectitur, ut hic cachinno, huius cachinnonis, quomodo leno lenonis, palpo palponis. * Est et verbum, cum per modos et tempora declinatur, ut cachinno, cachinnas, cachinnat, et facit cachinnor; ab eo, quod est rideo. * *Cachinnus* [4] autem risus est lascivior cum voce, quem Graeci *μονογέροντας* [5] dicunt. *

13. *Scribimus inclusi.* Aut ordo est verborum: Cum ad canitiem venerimus, tunc scribimus inclusi: aut ad poeticam artem retulit, quod ait *inclusi*, cura remoti, aut metri lege coarctati. Ab hoc ergo loco incipit de malis poetis loqui. *Numeros ille.* Numeri proprie rhythmi sunt, nunc vero metrum significat. *Hic pede liber*, id est, prosaicam orationem componens: quamvis Cicero praecipiat prosaicam orationem ita componendam esse, ut etiam certis quibusdam pedibus et fiat, et terminetur [6].

14. *Grande aliquid.* Hoc per ironiam dicit; id est, putat se tragoediam scribere. *Quod pulmo animae praelargus anhelet;* id est, sermone non humili, imo poetico spiritu, qui proferendo in recitatione pene rumpitur, dum vult hoc, quod

1 Virg. Aen. IX, 427.

2 Virg. Aen. VIII, 587, ubi legitur *nunc*, *nunc*.

3 Cf. Isid. orig. XI, 1. Serv. ad Virg. Aen. VI, 596. VIII, 219; qui nihil de corde nec de pulmone dicunt. *Iactari* corruptum videtur, nisi explicandum e III, 27 est.

4 Papias: „*Cachinare*, ridere, nam *cachinus* est tacitus, solutusq. risus. *Cachinno*, nis, ipse derisor.“ *μωρὸν γέλωτα* F. Morell. *est cum voce lascivius ridens, quem Graeci μωρογελῶντα dicunt.* B. Vulcan. ad gloss. p. 21. *πλατυγέλωτα* Lindenbr. *μονογέλωτα* Reiz.

6 *et terminet cum praecepto, iudicium aurium et naturalem orationi cursum facile enumeratione multi nomen sicut causa pertulerunt.* ed. princ. Quae ita apud Ciceronem non inveni.

scribit, inflatius pronunciare. **Animae* autem *praelargus* dicit vento abundans,* *ἀπὸ τοῦ ἀνέμου.* Ut Virg. [1]:

Quantum ignes animaeque valent. Et alibi [2]:
Ille regit dictis animos. Et Horat. [3]:
Impellunt animae lintea Thraciae.

15. *Scilicet haec populo*, qui talia scribis, ut populi iudicio digna sint, qui nunquam recte iudicat, neque sapit. *Pexusque*, pectinatus vel tonsus. Unde: *propexam in pectore barbam* [4]. *Barbitondium* est tonsurae genus, quo iuvenes tondentur, unde sic tonsi, *pexibarbi* vocantur. Cuius rei meminit Virgilius [5]:

candidior postquam tondenti barba cadebat.

Togaque recenti, nova vel nitida valde. Abusive pro nova. Non enim quicquid est novum, recens est, sed naturalia, intacta, recentia sunt.

16. *Et natalitia tandem cum sardonyche albus, sede legens celsa*, id est, pulpito, vel in rostris recitans. Et hoc dicit: Ad hoc recitaturus, ornatus et festivus incedebat, ut corporis habitu, non dignitate carminis se audientibus commendaret. **Albus*, aut festiva veste indutus, aut recitandi pavore ac meditandi et scribendi taedio confectus, vel veste candida, nondum purpureum [6] adeptus vestimentum, quod *laticlavium* dicitur.* *Sardonychem* autem gemmam dicit, aut quam ipse habebat, aut quam ab amico accepit natali die.

Tandem. In hoc ambiguitas existimatur, quia potest dici vel tandem legens, vel tandem cum sardonyche, vel etiam tandem albus. Alia *ambiguitas in *natalitia*, utrum eam natali suo munere acceperit, an tantum eo die gerere soleat, quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt.* *Sardonyches* gemmae sunt speciosae in anulis, quibus in natalibus suis usi sunt et sacris diebus.

1 Virg. Aen. VIII, 403 ib. Serv.
2 Virg. Aen. I, 153.
3 Hor. carm. IV, 12, 2.
4 Virg. Aen. X, 838. cf. Ovid. Fast. I, 259. *perpexam* ed. pr.
5 Virg. ecl. I, 28. Eius loco ed. pr. hunc vs. affert: *Stiriaque impexis induruit horrida barbis*, qui legitur Georg. III, 366.
6 *purpuratum* C. Barth. l. l.

17. *Liquido cum plasmate.* *Πλάσμα* dicitur medicamentum, quo recreantur fauces clamore sauciatae. Item *liquidum plasma*, quo vox formatur, hoc est per humidas fauces venit, ut Virgil.[1]:

et udae vocis iter.

Vel *plasma* lenis cantilena, vel deficientis gutturis medicamentum[2]. Vel *liquido plasmate*, id est, exquisito, tanquam[3] eo laveris, purum reddideris guttur fletu foemineo agitatum.

18. *Patranti fractus ocello.* *Fractus* id est solutus, effeminatus. *Patranti*, consummanti. * *Patratio* est rei venereae perfectio vel consummatio, unde et *patres* dicti eo, quod patratione peracta filios procreant[4]. Item *ocello* per *ὑποχόρισμα:* quia illum contrahendo minorem facit, unde Iuvenalis[5]: *oculosque in fine trementes.** Et est hypallage, ut: *pictus acu chlamydem*[6], quod fieri solet non solum ablativo casu, vero etiam accusativo, ut: *nuda genu*[7].

19. *Hic neque more probo.* *Hic* dicit in auditorio, ubi recitant poetae, vel *hic* pro *tunc*, et hoc dicit: Cum molliter leguntur carmina, audientium quoque animi ad libidinem excitantur. Laudantium laetitiam insectatur, cum aut tumultuose clamant, aut obscoenos motus edunt ad dulcedinem carminum, quae effeminant aures intantum, ut audientium quoque animi dissolvantur.

20. *Ingentes* autem *Titos* dicit aut generaliter Romanos senatores a Tito Tatio Sabinorum rege, aut certe a membri virilis magnitudine dicti Titi. Idem valuisset si Lucios aut Marcos aut Publios dixisset. *Titos*, *εἰρωνικῶς* Romanos equites, principes magnae auctoritatis et honoris. *Titos.* Tres enim curiae fuerunt primo Romae, Titienses, Ramnes, Luceres: Titienses a Tito Tatio rege Sabinorum participe in regno Romuli. Ramnes a Romulo qui Romam condidit. Luceres a Lucumone, qui aliquando Romulo auxilium dedit; alii a luco nominaverunt. Et est sensus: Haec enim cum effeminate leguntur carmina, audientium quoque solvuntur animi. Itaque neque more honesto, neque voce virili laudant. Item:

1 Virg. Aen. VII, 533 sq.
2 In cod. Par. 8272 haec annotatio est: „*Plasmate*, gargarismo, fonasco. Fonascus dicitur a Graeco, quod est *φωνή* vox, inde enim vox purgatur."
3 Leg. *tum cum*?
4 Isid. origg. VIII, 5.
5 Iuv. VII, 241.
6 Virg. Aen. IX, 582.
7 Virg. Aen. I, 320. Ovid. Met. XI, 536.

συνεκδοχικῶς autem *Titos*, scholasticos, quod sint vagi, neque uno magistro contenti, et ad libidinem proni, sicuti aves, quibus comparantur; nam titi columbae sunt agrestes [1], quibus rustici auditores designantur. *Cum carmina lumbum intrant*, id est tangunt. Bene dicit *lumbum*, et non animum; dicitur enim libido lumbis immorari. Vel certe cum carmen effeminate recitatum fuerit, repraesentare ipsos concubitus solet. Quomodo enim tactus mulierum movet intima, sic et versus enerves non animum intrant, sed lumbum.

21. *Et tremulo scalpuntur. Tremulo versu*, id est, fragili voce cantante, vel [2] modulanti versu pruriunt eorum viscera, sicut tempore coitus. **Scalpuntur* dicit, in libidinem excitantur, ut Iuvenalis [3]:

quod enim non excitat inguen
*Vox blanda, et nequam? digitos habet.**

22. *Tun' vetule auriculis.* Invehitur poeta in captatorem laudis incommodae. *Vetule*, stulte, qui senescis in vilibus carminibus. Et non dicit *senex*, sed *vetule*. Et dictum est satyrice *vetule*, id est, eius aetatis homo vanae gloriae non debet esse captator. Scribis ergo, quod te non delectet, sed quod capiatur auribus imperitis; et ideo laboras, palles, et tibi otia denegas, ut tempore recitationis a pueris tibi plaudatur eviratis et dissolutis. *Escas* autem dicit favorem vel delectationem; id est: existimationem tibi concilias ex favore imperitorum.

23. *Auriculis, quibus*, id est imperitis aut spurcissimis. *Et dicas cute perditus: ohe!* Id est, vigiliis et sollicitudine ad tenuissimam cutem perductus. Aut certe *cute perditus*, senectute pallidus; vel, manifeste cute perditus, ut vitium, quod intrinsecus habes, etiam in cute possis habere. *Ohe*, interiectio est percontantis cum eadem ratione.

24 sq. *Quid didicisse.* Verba poetae illius ad quem scribit, sed *ἀλληγορικῶς* dicit; hoc est: Quid proderit didicisse aliquid, nisi recitatione pandatur? Et est tracta *μεταφορὰ* a *fermento* et *caprifico*. Sicut enim fermentum massam corrumpit, et caprificus saxa: ita ingenium pectus. Fermentum enim intra massam plus una hora non potest contineri [4].

1 cf. Isid. origg. XII, 7. Papias: „*titus*, palumbes."
2 *ubi* vulgo. 3 Iuv. VI, 195 sq.
4 Isid. origg. XX, 2.

Crescit enim et caprificus ex lateribus [1], in quibus est concepta. Invehitur autem in eum, qui carmina sua intra se non potest continere, nisi ea divulget, licet vana sint. Et bene caprificum posuit, quae cum exierit, nullos fructus ex se profert. Item est hic schema *ἀνθυποφορά* [*καὶ παρὰ προσδοκίαν*], id est [a se in alium], cum pro sua in illius transit poetae vocem, quem corripiebat; nec tamen recessit a sua persona. Ergo difficultas imposita sustollitur interrogante se, et alio respondente. Et erit sensus ipsius Flacci quasi dicentis: Et hoc tu putas dulce, quod magis acidum est quam fermentum; et fructus putas ingenii, quod in iecoribus tuis caprificus innata erumpat?

26. *En pallor seniumque, ἐκφώνησις* per indignationem. *Pallor* est anxietas quaedam animi, praematuram faciens senectutem. Vel certe pallorem dicit cogitandi, si quidem pallent poetae cogitando. *Senium* est veluti arcessita miseria senectutis. *O mores!* defecti et perversi.

27. *Usque adeone scire tuum nihil.* Hoc dicit: In tantum scientia tua nihil est et ad nihilum reducta, ut aliquid te scire nescias, nisi alterius iudicium de tua scientia consulas?

* Haec periodus apud Lucilium posita est:

Ut me scire volo dicimus mimi conscius sum,
Ne damnum faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit [2]*

Scire tuum, ut *vivere triste.*

28. *At pulchrum est digito monstrari.* Obiectio est stulti poetae: sed magna gloria est in digito extendentium manus. Hic requiritur [3] historia Demosthenis [4], qui cum transi-

1 *ex latebris* Isid. origg. XVII, 7, ubi eadem leguntur. Intell. *lateres*, *πλίνθοι*.

2 *dicimus* om. Vin. P. Par. addit ed. pr. et F. Morell. — *Conscius sum ut faciat scire hoc si nesciat me* omissis cett. ed. pr. Lucilii frgm. est apud Dousam lib. inc. 25, qui ita coniecit: *Ut me scire volo, mihi sum, puto, conscius ipse, Ne damnum faciam, scire hoc se nesciat, id ni Scire alios scierit.* Marcilius coni.: *Id me Nolo scire, mihi cuius sim conscius solus Ne damnum faciam. Scire est nescire, nisi id me Scire, alius scierit.* C. Barth. l. l. emend.: *Ut me scire volo mimet ceu conscius sum, me indemnum faciam. Scire hoc se nescierit, nisi id scire alios scierit.* Lindenbr. leg.: *Ut nesciri volo mimi conscius sum nec damnum fac.* rell.

3 *relinquitur* C. Barth. l. l.

4 Cf. Cic. Tusce. V, 36, 103. Ael. V. H. IX, 17. Plin. epp. IX, 23.

ret et a mercenario tabernae digito monstraretur, fertur laetatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius lib. IV carminum [1] sic posuit,

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium.

29. *Ten' cirratorum centum.* Potest ex persona Persii ridicule admirantis accipi; potest et ab illo dictum putari, qui gaudet aestimatione poetica. Si Persius dicit, ita est intelligendum: Cur non debes laetari? certe maxima est gloria laudari a centum cirratis. Si ille dicit poeticae laudis cupidus, ita: An tu, Persi, exiguum putas laudari a centum cirratis, id est scholasticis. *Cirratis*, capillatis pueris, quoniam apud antiquos criniti erant adolescentes usque ad certam aetatem, quod de Ascanio Virgilius [2] ait:

Fusus cervix cui lactea collaque.

Nescit, maximam hanc aestimationem videri? Et hoc dicit: Pro nihilo ducas, scripta tua a magistris ludi dictari pueris? Mos enim erat magistrorum, ex aliquo libro dictare discipulis.

* Occulte autem tangit Neronem, cuius carmina, quia [3] imperabat, per scholas celebrabantur. * *Centum* autem finitum pro infinito posuit, ut Virgilius [4]:

Non mihi si linguae centum sint, oraque centum.

30. *Ecce inter pocula.* Hoc dicit: Quod iustum ab iis expectes iudicium, qui iam madentes vino discernunt de carminibus, quae vix integris et ieiunis discerni possent? Bene autem dixit *inter pocula*, ubi sunt instrumenta libidinis.

31. *Romulidae*, id est Romani a Romulo, ut Aeneadae ab Aenea. *Dia*, id est sancta, magnifica, clara, ut Horatius [5]:

Sententia dia Catonis, et Virg. [6]: *Dia Camilla*
Quid dia poemata narrent, id, quod sentiendum sit de poematibus, aut qualia nunc poemata celebrentur.

32. *Hic*, facta in conviviis poematum mentione, dicit aliquis locuples amatorios versus, cum putida vox eius videa-

1 Hor. carm. IV, 3, 21 sq.
2 Virg. Aen. X, 137 sq.: *Fusos cervix cui lactea crines Accipit.* cf. VIII, 660 sq.: *Tum lactea colla Auro innectuntur.*
3 *qui ita* C. Barth. l. l.
4 Virg. Georg. II, 43. Aen. VI, 625.
5 Horat. sat. I, 2, 32.
6 Virg. Aen. XI, 657.

tur exire per nares. *Cui circum humeros.* Qualitatem vestis posuit, ut per cultum corporis, animi cultum monstraret.

Hyacinthina laena est palla variis coloribus tincta, per quam locupletem quempiam vult intelligi.

33. *Rancidulum quiddam,* id est putidum, vel quasi asperi saporis corruptaeque gulae. *Balba de nare,* balbutiente lingua. Linguae est enim proprium balbutire. Et hoc dicit: Refert quosdam versus ita putide, ut vox eius videatur emitti per nares. Relatio ex vitio linguae.

34. *Phyllidas, Hypsipilas.* Phyllidis Hypsipylesque reginarum exitus tristes fuisse noscuntur. Nam *Phyllis* [1] aegre ferens peregrinationem Demoophontis, qui ad Troiam profectus die constituto non remeavit, suspendio periit: et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Reversus Demoophon, cognita re, amplexus truncum est, qui velut sponsi sentiens adventum, folia emisit. *Hypsipyle* vero nna ex Lemniadibus mulieribus, Thoantis filia, Liberi patris neptis, postquam eam, factis duobus filiis apud Lemnios, Iason reliquit, qui eo tempore cum Argonautis venerat, nec ad eam rediit ex Colchis; comperto postea illum ad suam patriam rediisse et se neglectam, ingratum eius amorem diu secum flevit. His itaque si quid simile carminibus suis poetae defleverunt, ita sine vocis asperitate pronunciant, ut audientium aures emolliant. Et ponit historias et ea nomina, quae in carminibus necessaria non sunt, sed quia rara et amatoria sunt, ideo ponuntur.

Plorabile si quid, si quid flebile.

35. *Eliquat,* cum lenocinio vocis pronunciat, et vocem dissolvit in cantilenam. *Tenero palato* dicit, molli, gracili.

Supplantat, supprimit, mutatis accentibus curtat; quasi sonus vocis canorae in ultimi palati cavo leniter infringitur, quo iucundior fiat.

36. *Assensere viri.* Τροπικῶς viros dicit auditores, id est, qui eiusmodi dicta voce sua laudaret. *Nunc non cinis ille.* Verba adulantium per εἰρωνειαν. *Cinis poetae felix est.* Et reprehensibile notat, etiam si bene loquitur, quotiens de mortuis. Veteres autem dixerunt praegravari corpora eorum, qui tantum corpori studentes nihil memorabile reliquerunt.

37. *Nunc levior cippus.* Cippum pro sepulchro posuit, ut fermentum pro acido; proprie autem cippus est lapis sepulchri.

1 Cod. Paris. 8272 Phyllidis fabulam iisdem verbis narrat, quibus Servius ad Virg. Ecl. V, 10.

38. *Laudant convivae,* poetae personam dicit, hoc est, versus poetae ab uno conviva recitatos. Hoc autem irridens dicit. *E manibus illis.* Hic *manes* pro ossibus posuit. Iterum facit vocem illius recitantis in convivio.

39. *Nunc non e tumulo — violae,* res voluptariae vel amoenae, quoniam in sepulchro eorum, qui bene meruerunt, violae nasci memorantur. Haec autem verba eius personae facit, quam retulit versus poetae in convivio recitare, existimantis et dicentis felicem poetam esse et illi defuncto levem terram futuram, cuius scripta omnibus dulcia sunt. * *Tumulus* [1] dicitur terrae aggestio, ubi nulla est memoria. *

40. *Rides, ait, et.* Est *ἀνθυποφορά,* id est obiectatio illius culpati poetae ad Persium, et hoc dicit: Rides et nimium das operam cachinno. Bene autem dicit *uncis naribus.* Incurvantur enim nares, cum eas soluto risu contrahimus. Ut Horatius in primo sermonum [2]:

minus aptus acutis
Naribus, et alio loco [3]:
naso suspendis adunco.

41 sq. *An erit, qui velle recuset Os populi meruisse,* id est favorem; et hoc dicit: An invenietur homo, qui contemnat favorem, nec velit, si laudetur a praesentibus auditoribus, famam sibi ac existimationem poetae perennem linquere?

42. *Et cedro digna locutus.* Carmina digna cedro ideo dixit, quod mos apud veteres erat, ut chartae, in quibus nobilia carmina scribebantur, oleo cedrino inungerentur, quod et diu durabiles faceret, et a tineis conservaret. Alii dicunt cedrum genus ligni esse, quod dignum bibliotheca habebatur. Hoc ergo dicit: Quis non velit ea carmina scribere, quae et populus laudet, et cedro perungantur, quo diutius durent?

43. *Ζεῦγμα* est *velle.* *Nec scombros metuentia carmina nec tus.* *Quae carmina nullum periculum habeant [4] apud salsamentarios et turarios.* Ideo hoc dicit, quod chartae, in quibus vilia carmina scribuntur, quasi non necessaria, aut ad tus inciduntur involvendum, aut ad salsamentum. *Scombri* dicuntur pisces salsi, de quibus fit optimum garum. * Per *scombros* ergo

1 cf. Serv. ad Virg. Aen. III, 22.
2 Hor. sat. I, 3, 29 sq.
3 Hor. sat. I, 6, 5.
4 *manere* add. Eremita. Lindenbr. Reiz.

significat salsamentarios, per *tus* pigmentarios.* — Hoc et Horatius [1] in lib. I. epist. dicit:

Aut fugies Uticam aut nunc tus mitteris Ilerdam.

44. *Quisquis es, o, modo quem.* Haec verba sunt Persii ad quemlibet poetam laudis cupidum, et hoc dicit: At tu quem mihi in hoc libro affatum assimulavi adversarium, qui mihi obiicis risum importunum, audi. Et est *mimica et comica exclamatio, quoniam poetae nonnunquam omisso recto sermone extra scenam soli loquuntur, sustinentes personam suam, aut aliquorum hominum verba [2] interponunt.* Ideo tu quem induxi extra dicentem. Et [3] eam inducit personam, quam ab initio induxit, alterna narrantem.

45. *Non ego cum scribo.* Ordo est: *Non ego laudari metuam;* etiam dico favorem appetendum esse et gratum, si versibus laudabilibus exhiberetur; et si forte aliquid invenirentur in meis versibus gratiosum, quod raro quidem contingit, non fugio laudem, cum scribo.

46. *Quando haec rara avis.* Translatio a phoenice, quae dicitur sexcentesimo anno colorem habere venetum, quae omnes virgulas odoriferas colligit, et sibi parat, quae dicuntur solis ardore incendi, mox autem ut sol occiderit, se flammis imponit: et cum sol oriri coeperit, de cineribus suis cum sole renascitur. Et proverbialiter dicunt raram avem eam quam post longum tempus videmus. Et hoc verecunde Persius raro se commode dicit scribere, ceu phoenix, quae circa partes Indiae est, tarde se ad videndum hominibus profert. Item *scribo* praesentis est, *exit* similiter, unde posteriorem syllabam non dubito Persium doctissimum hominem dixisse correpte, quamvis quidam producant eam, et verbum praeteriti temporis faciant.

47. *Laudari metuam,* id est, nolim laudari. *Neque enim mihi cornea fibra, συνεκδοχικῶς,* i. e. corneum pectus; *μεταφορικῶς* duram quoque et adamantinam dicimus frontem improbam. Fibra pars est iecoris. [Synecdochicos pro tota fronte accipi debet.] Unde qui affectibus non moventur, duram fibram habent, id est praecordia. Ergo hoc dicit: Non tam ab humanitate dissentio aut adeo duro sum sensu, ut ea, quae humanitatis sunt, solus respuam, id est, ut possim non laetari

1 Hor. epp. I, 20, 13, ubi legitur *vinctus.*
2 *aut aliquo ex hominum verba* ed. princ. Leg. *aliorum.*
3 *non* add. ed. pr.

laudatus, nec dolere culpatus. Relatum ad regulam patientiae, quia non negligit laudem et culpam spernit.

48. *Sed recti finemque extremumque*, id est, quod quaero; et hoc dicit: Laudem quidem amo non falsam, sed quae ad finem et ad extremum recti, id est ad veritatem intendit. *Finem recti et extremum* dicit secundum philosophos, qui summum bonum in recto atque honesto constare dicunt. Ut Lucanus [1]:

servare modum finemque tenere.

49. *Esse recuso euge tuum et belle.* Neque enim duravit sensus tantum scribendi, ut statim me recte fecisse perfectumque crediderim, cum tuum *euge* et *belle* audiero. Hoc enim dici solet Accio Labeoni, quod ita voluerit, tanquam in iis summum iudicium sit. Solent namque auditores *euge* et *belle* respondere recitantibus. Sed laudationem, inquit, tuam non puto recti definitionem. Neque enim scribentes debent hoc fine esse contenti, ut *euge* et *belle* audiant. *Nam belle hoc excute totum.* Translatio a vestimento pleno sentibus, vel quibuscunque corpusculis, quod dum excussum fuerit, quicquid habet absconditum, proiicit.

50. *Quid non intus habet?* reprehensionis, vel ineptiarum, vel turpitudinis, vel derisionis? *Non hic est Ilias Acci* [2]? Hic, id est in satyra mea. *Accius Labeo* poeta indoctus fuit illorum temporum, qui *Iliadem Homeri versibus foedissime composuit,* ita, ut nec ipse poeta intellexisset, nisi helleboro purgaretur.

51. *Ebria veratro*, id est vitiis plena, vel nimis insana. Graece autem ἐλλέβορον dicitur, Latine *veratrum*, quod datur insanientibus, ut eos ad integram mentis valetudinem perducat. In hac igitur laude quidnam invenias? Certe si sanus inspexeris hoc genus favoris, invenies etiam ipsum quondam attribu-

1 Lucan. II, 381.

2 Wasse, on latin scoliasts (classic. Journ. II p. 454 sq.) hoc e cod. Persii edidit schol. „*Ilias Accii* sc. Labeonis. Quorumdam opinio est, hunc Accium, de quo loquitur poeta, transtulisse Homeri Iliada. Quod verterit nihil penitus habetur. Sed potius referendum est ad tragoedias illas, quae de excidio Troiae et Polydamante, qui fuit unus ex tribus proditoribus, prout scripsit Dares Phrygius, egregius historiarum scriptor (c. 39 sq.). Et hoc dicit: Opus enim meum fictam laudem non quaerit, sicut tragoedia Acci, quae cum referta esset nugis et rebus inanibus, tamen ille contentabatur in sola populi adulatione non inquirem (*l.* inquirens) rei veritatem."

tum Accio Labeoni, a quo Iliadem Homeri male tractatam esse iam diximus: cui carmen suum negat simile esse Persius. *Ebriam* autem dicit, quod versus non starent; aut quod propter ingenium helleborum biberit et quanquam ebrius eodem tamen nihil profecerit; nam helleboro sumpto saepius, non possunt perduci ad sanitatem.

51 sq. *Non si qua eligidia crudi dictarunt proceres.* Id est, non sunt hic elegidia, quae crudi proceres soliti sunt facere. *Crudi*, Cacotami [1], indigesti vel temulenti. *Elegidia* dixit derivatum ab elegis, ut et hoc nomen mollitiem aliquam significet. Ergo hoc dicit: Nolo me laudes verbis, quibus soles laudare elegos principum versus, qui nunquam nisi crudi poemata faciunt.

52 sq. *Non quicquid denique lectis scribitur in citreis,* a nobilibus scilicet. Nec ea quoque probas, quae in lectulis citreis scribuntur. Apud antiquos citreis tabulis parietes ornabantur, quas et cera incerabant, ut quicquid in animum veniebat, statim notaretur, ne vis ingenii periret. Citrum quippe Romanis antea pretiosum notabatur et auro comparandum. Vel certe quod locupletes recumbentes in pretiosis lectulis delicate ac sine cura scribebant. Et hoc dicit: Non sunt carmina haec, quae super lectulos citreos discumbentes faciant, si quidem non potest ibi aliquid rei politae et doctrinae inveniri. *Belle* igitur et *euge* contigisse saepe locupletibus dicit, qui crudi super lectulos citreos iacentes male scribunt oscitantes, vel delicate ac sine cura; et ideo arguit, quod laudantur locupletum poemata, quia et coenas praestare solent et vestes donare. Et hoc dicit: Tuum *euge* et *belle* recuso, id est carmina, quae interim componis, dum tibi dicitur *euge*. *Sponda* autem exterior pars lecti, *pluteus* interior [2]. *Calidum scis ponere sumen*, convivis scilicet; et dicit illi poetae: Nosti captare animos audientium tua carmina, cum eos sic pascis delicate.

54. *Scis comitem horridulum trita donare lacerna*, id est * scis et byrrum [3] attritum comiti condonare.* Illa re donare dicimus, ut Virgilius [4]:

1 *Cathacini* ed. pr. *κακόχυμοι* F. Morell.
2 Cf. Isid. origg. XX, 11. Gloss. H. Steph. p. 163: *Pluteum, παράθεμα ἐγγώνιον τρικλίνου.*
3 Cf. Salm. ad Spart. Hadr. 3 p. 27 sq. Vopisc. Car. 20 p. 862 sqq. ad Tert. de pall. p. 23 sqq. Burm. ad Anthol. L. t. II p. 408. Heinrich. ad schol. Iuv. VIII, 145.
4 Virg. Ecl. V, 85.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.

Et facit apostrophen ad divitem poetam, propterea quod favorem velit iniuste acquirere. *Tritam* autem *lacernam* dixit veterem, aut certe tenuiter textam. * *Lacerna* pallium fimbriatum [1], quo olim soli milites velabantur; *paenula* autem est pallium cum fimbris longis.*

55. *Et verum inquis amo*, et dicis mihi, te cupidum esse iudicii veri de tua scriptura, utrum scripseris bene an male.

56. *Qui pote?* Hoc dicit: Tu verum examen ab iis audire desideras, quibus non habenda est fides, quoniam te putant poetam esse causa [2] gulae. *Vis dicam? Nugaris* etc. Hoc dicit: Quomodo potes verum amare, cum sis nugigerulus? Vel cum tu, o calve senator, abundantia ciborum [3] pinguis sis et ventrem habeas ultra sesquipedem extensum, quomodo tanta obtusus crassitudine possis aliquid subtile vel tenue sapere? Operam scribendo perdis, cum ventri tuo indulgeas, ut pinguedine crescat. * Tractus sensus ex Graeco versu, quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci [4]. * *Aqualiculus* proprie venter porci est, hic ad ventrem translatio [5]; et est hyperbolicos: omnes senatores stulti sunt.

58. *O Iane a tergo.* Ianus dicitur bifrons esse, qui nec poterit derideri, nec ei a tergo sanna fieri; per quem vult quemvis sapientem intelligi. Ac per hoc solus Ianus est sapiens, qui duas habet facies. *Nulla ciconia*, quam manu formare solent irrisores, qui unitate collatos digitos agunt ad inferiorem partem inclinatam [6] similitudine ciconini rostri, quod cum praesentant post tergum motitantes, derident quos volunt. Ideo sannam Ianus, si a tergo fiat, intelligit, quomodo ciconiam pinsit manus, utpote cui nemo per absentiam detrahere potest [7]. *Pinsit*, dixit assidue percussit. Dictum a

1 *fibulatum* coni. Buonarroti osserv. istor. sopra alc. medagl. ant. p. 258.
2 *obnoxium gulae* ed. pr.
3 *liborum* Vin. *librorum* ed. Par.
4 Graecum vs. *Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον* adscr. Pith.
5 Idem dicit Isid. origg. XI, 1, ubi *hinc*. Papias: „*Aqualiculus*, ventriculus, sed proprie porcorum, pinguendo (l. *pinguedo*) super umbilicum.“
6 *inclinata* vulgo. *collatis digitis ait ad inferiorem partem inclinatis* ed. pr.
7 H. l. C. V. a Vonck in actt. acad. Theodoro-Palat. I p. 171 ita constituit: *Quam formare solent irrisores, qui in unitatem col-*

pistoribus. Pilo enim apud veteres frumenta tundebantur: unde et pistores dicti sunt, quasi pinsores a pinsendo, vel a pindendo. *Pindo* enim id est *ferio:* unde et *pistillum* dicimus, quo terimus in mortario.

59. *Nec manus mobilis,* id est facilis, docta. *Auriculas albas,* id est asininas; nam sic stulti ridentur. Apposito temporibus pollice imitantur [1] aures asini aliis digitis, quasi sannam facientes. *Auriculas albas,* stolidos [2] esse hoc proverbio significatur, ex quo fabula quoque prodidit Midam animi stolidi asinarias habuisse aures, quas *albas* dicit per synecdochen. Est enim interior pars aurium alba, ut populum quoque dicimus album, quod utique folia eius alba sunt una parte, alia parte viridia.

60. Aut protendunt linguam, quantum *Apula canis* multa siti. Et bene Apulam canem dicit, propterea quod Apulia aestuosa est. Etiam hoc genus ridendi est. Nam *tria genera sunt sannarum: aut manu [3] significare ciconiam, aut auriculas asini, aut linguam sitientis canis.*

Tantae, id est tantum prolatae.

61. *Vos o patricius sanguis,* vos igitur nobili loco nati, quorum vita ex [4] debet esse, qui videre quid a tergo fiat non curatis, date operam, ut non derideamini.

61 sq. *Quos vivere fas est occipiti caeco,* id est, vos quos fas est in occipitio oculos non habere. *Occipitium* dicitur posterior pars capitis, *sinciput* anterior. Ac si diceret, qui non sentitis vos a tergo irrideri. *Posticae occurrite sannae,* id est irrisioni; qui non estis Iani, nec potestis a tergo risus videre, nolite vos deridendos praebere. *Posticae,* i. e. post factae. Antiqui ita fores templorum vel aedium dixerunt anticas et posticas. *Posticae* ergo *sannae,* quae fit a posteriori parte. **Sanna autem dicitur os distortum cum vultu: quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.**

63 sqq. *Quis populi sermo est?* Ad eius personam redit, quam superius fecerat dicentem: *verum mihi dicite de me.*

latos digitos agunt ad inferiorem partem manu inclinata — repraesentant — per faciei absentiam.

1 *imitantes* vulg.
2 *stolidas* vulg.
3 *manu* del. C. Barth. l. l.
4 *exemplum* coni. Vonck. l. l. p. 173.

Deinde motus indignatione tam parvae digressionis parenthesin facit. Nam contextus hic est: Verum mihi dicite de me, quis populi sermo est? hoc est, quid de me populus loquitur? an bonum poetam me dicit? *Quis enim, nisi carmina.* Aut responsio convivae illius adulatoris est, aut ipsius Persii. Quid aliud, nisi quod talia carmina facis, quae mollitie et tenero levore suo inoffensa defluunt et unguis severum iudicium non formidant? Quod autem dicit *ungues*, tractum a marmorariis, qui quotiens volunt bene coaptatam iuncturam marmoris approbare, ungue experiuntur, si ulla inaequalitas ipsam levitatem offendit. Et versus ita deduci et dirigi oportet, ut solent fabri rubricata linea opus dirigere, quo certius videant: ad quorum similitudinem diligenter versus sine norma faciunt, versificationi [1] tantum studentes.

66. *Ac si oculo rubricam.* Tractum a fabris, qui quotiens volunt rectitudinem lineae comprobare, retortis in unam partem oculis ambobus, lineam ex rubrica factam inspiciunt, ob hoc scilicet, ne per oculorum divisionem iudicii veritas confundatur.

67. *Sive opus in mores*, in comoediam; *in luxum*, in satyram; *in prandia regum*, in tragoediam. Et hoc dicit: Quicquid eis poetis operis imposueris, non invenies illos dissimiles sui. Si volueris eum scribere comoedias, id est mores, nam comoedia mores hominum exprimit conversationemque. In luxum dicit, si volueris scribere satyram, quae inventionem [2] continet hominum; nam satyrici hoc habent. In prandia regum, hoc est; in tragoedias Orestis, Atrei, Thyestae et Procnae. Nam tales tragoediae coenarum facinorosarum continent descriptionem, qualiter scilicet apposuerunt Thyestae ignoranti membra filii comedenda.

69. *Ecce modo heroas sensus.* Adhuc de malis poetis loquitur, et dicit: Videmus eos, qui hoc tantum sciunt, graecas nugas verbis componere, velle tamen etiam fortes et nobiles sensus carminibus pangere, cum neque vilia aut agrestia carmina didicerint scribere.

70. *Nec ponere lucum artifices*, id est, doctos vel idoneos. *Ponere* dicit scribere, ut Horat. [3]:

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.

1 *versus a normate faciant versificatores* ed. pr.
2 *invectionem* ed. pr.
3 Horat. A. P. 120.

Et Iuvenalis [1]:

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam?

Et hoc dicit: Nec scribere artifices nemora, ita, ut varietas arborum enumeretur decenter, ut non tam scribere quam locum ipsum fecisse videantur, ecce, inquit, sensus nobis heroum et [2] facta suggerunt, ut solent Graecorum moribus pulsati [3] res nugis plenas scribere.

71 sq. *Rus* autem *saturum* dicit rebus omnibus abundans. *Ubi corbes, et focus, et porci,* id est, fertilem agrum, qui necessaria habet, et corbes, et porcos, et Palilia.

72. *Palilia* dicit diem sacrum in honorem Palis deae pastoriciae cognominatum: quo die positis in foco manipulis foeni ludibundi rustici saliebant, qui expiari se hoc sacrificio credebant: ideoque *fumosa* dixit. Aliter. Si *Palilia* dicit, diem dicit sacrum in honorem *Iliae,* quae peperit Remum et Romulum [4], quorum mentionem sacrificiorum Cicero [5] in Philippicis sic commemorat. Palilia, quae nunc Parilia mutatis literis dicimus, vel quod eo die condita Roma est accensis manipulis, accenso foeno colitur, aut Palilia dies festus Palis deae agrorum seu pastorum habitus a veteribus. *Varro sic ait: *Palilia tam privata quam publica sunt: et est genus hilaritatis et lusus apud rusticos, ut congestis cum foeno stipulis, ignem magnum transsiliant, his palilibus se expiari* [6] *credentes.* *

73. *Unde Remus.* Hic occulte tangit Romanos ex rusticis et pastoribus originem trahere. *Unde Remus,* deest *natus,* id est, de saturo rure. Ut Virgilius [7], qui hoc mire laudavit:

Hoc oles veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater.

Sulcoque terens dentalia. Sensus duplex est, et hoc dicit: Non possunt rudes poetae saturum rus laudare, unde Remus ortus est, unde et tu, o Quinti Atili Serrane, cum te ante boves dictaturam lictor induit, et tua uxor trepida domum aratrum tulit. Alter sensus est, adveniente ad se lictore cum insignibus dictatoris, Quintius Atilius Serranus iussit uxori, ut

1 Iuv. I, 1.
2 *et* om. vulg.
3 Num *versati?*
4 Cf. Charis. I p. 43 P.
5 Non legitur apud Ciceronem.
6 *quorum palili faciunt eam expurgari cred.* ed. princ.
7 Virg. Georg. II, 532, ubi: *Hanc olim vet.*

has a lictore vestes acciperet et sibi ad locum, in quo arabat, afferret. Ordo enim sermonum est iste:

74. Cum te, o Quinti, trepida uxor, id est, rei novitate perterrita, ante boves dictaturam induit: et tua aratra domum lictor tulit. Quintius autem Cincinnatus cum suum agrum exararet et sereret, dictatura ei a populo Romano vel decreto senatus delata est: qui contra Samnites progressus, victor extitit: qui a serendo Serranus appellatus est: ut Virgilius [1]:

nec te sulco Serrane serentem.

75 sqq. *Euge poeta.* Ironia per speciem, quae laudando deridet. Est nunc Brisaei quam venosus asper, fortis, et valens. Et est sensus: Sunt qui contemnentes carminis nobilitatem solos student veteres poetas legere, ut *Accium*, qui fortia carmina scripsit, cuius *venosum* ait *librum*, vel *Pacuvium*, qui tragoediam de *Antiopa* scripsit. *Brisaeum* Accium ideo dixit, quia poetae in Liberi patris tutela esse noscuntur. Est autem *Brisaeus* [2] Liber pater cognominatus, vel, ut quibusdam videtur, a mellis usu, eo quod ipse primum invenisse dicatur mel et ex favis exprimere [3]. *Bris* [4] enim iocundum dicimus, ut etiam quidam Briseida existimant dictam, quod Achilli iocunda fuerit. Vel certe, ut aliis videtur, ab uva, quod uvam invenerit et expresserit pedibus [4]. *Brisare* enim dicimus exprimere [6]. Vel certe Brisaeum dictum ex nomine nym-

1 Virg. Aen. VI, 844, ubi *vel te.*

2 Cf. Mythogr. Vat. III, 12, 2: „Item quod *Briseus* appelletur i. e. *exprimens*, quia Liber primus vinum ab uva expresserit, lac ab ubere, mel de favo; vel *Briseus* est *hirsutus*, nam et duas in Graecia is fertur habuisse statuas, alteram hirsutam dictam Brisei, alteram lenem dictam Lenaei.“ Io. a Ianua: „*Briseus, sei*, mas. gen. id est Bacchus et dicitur ad *brisin*, quod est exprimere vel elicere, quia ille primus docuit exprimi et elici vinum de uva, lac de mamma, mel de favo, ut dicit Hugutio.“ Papias: „*Briseus*, Liber, de Brisea urbe, ubi colebatur.“

3 Cf. Etym. M. s. v. *Βρίσαι· νύμφαι οὕτω καλούμεναι· ἢ ὅτι βλίσαι — καὶ γὰρ μελισσουργίαν αὗται τὸν Ἀρισταῖον ἐδίδαξαν — τροπῇ τοῦ λ εἰς ρ.* cl. Heracl. Pont. *πολιτ.* 9. Nam *βλίζειν*, ut ait Etym. Leid., *καὶ Ἀττικῶς βλίττειν, τὸ ἀφαιρεῖν τὸ μέλι ἀπὸ τῶν κηρίων, τουτέστιν ἐκπιέζειν καὶ θλίβειν.* Cf. Ruhnk. ad Tim. p. 63.

4 Cf. Graecum *βριτύ, γλυκύ· Κρῆτες*: unde *Βριτόμαρτις*, quae est *dulcis virgo* Solin. c. 11. cf. Müller. Aegin. p. 164.

5 *Brith*, hirsutus pedibus; *brith* pactum interpretatur. add. ed. pr. Papias: „*Brith* pactum interpretatur.“

6 Cf. Colum. XII, 39: *Postea vinaceos calcare adiecto recentissimo*

phae, quae eum nutrisse dicitur [1]. *Brisaeus* ideo, quia barbatus colitur Liber pater Brisaeus cognomine, et *venosus*, quasi inaequalis, horridus; similiter et *verrucosa Antiopa*, quae est tragoedia nobilis. *Brisaei*, hirsuti; et tractum a Libero patre, qui in Graecia est, ubi eius duae sunt statuae, una hirsuta, quae dicitur *Brisaei*, altera levis, id est, sine pilis, quae dicitur *Lenaei* [2].

77 sqq. *Sunt quos Pacuvius, et verrucosa moretur Antiopa*, id est, delectet et detineat. *Antiopa*, Nyctei regis filia, ab Epapho per dolum stuprata, ob hoc a viro suo Lyco est spreta. Hanc relictam Iuppiter conversus in satyrum compressit. Iratus Lycus Dircem in matrimonium duxit, cui suspicio incidit, virum suum cum Antiopa concumbere, itaque imperavit famulis, ut eam vinctam in tenebris clauderent. Deinde evenit ut includeretur, et instante poena, Antiopae Iuppiter pulchritudine seductus et ardore concubitus eam a vinculis liberavit et impraegnavit, ex quo concubitu in Cytherone monte Zethum et Amphionem procreavit, qui educati a pastoribus sunt. Quos postquam mater cognovit Antiopa, et eis retulit, quomodo fuerit a Dirce tractata, Lycum interfecerunt, et iniuriam Antiopae matris Dirces supplicio vindicaverunt. Nam ob crudele servitium, quod ei fuerat a Dirce impositum, crudeli tauro alligatam in silvam dimiserunt. Hinc fons ille appellatus est Dirce, qui Thebis vicinus est, et ex ipso loco, in quo et ipsa ossa collocata sunt Dirces, subtus fluvius emanat. *Pacuvius* et ipse poeta tragicus, legitur ab ipsis maxime, qui quondam ingenio eius quamvis horrido delectati sunt; cuius esse *Antiopam verrucosam* Persius dicit, quae apud Dircem in squalore fuit servitio oppressa [3]. *Verrucae* papulae eminentes.

musto, — *tum permiscere et subactam brisam prelo subiicere*. Cf. Gloss. H. Steph. p. 613: *Στέμφυλον, vinacium, vinacia, brisa*. In cod. Par. additur: *Unde brisare dicimus frangere*. Io. a Ianua: „*Briso, as* i. e. frangere, vel exprimere, eligere (elicere) et dicitur a *brisin*." Cf. Gallicum *briser*.

1 Cf. Etym. M. s. v. *Βρίσαι*.

2 Cf. Macrob. Sat. I, 18: „Item Liberi patris simulacra partim puerili aetate partim iuvenili fingunt, praeterea barbata specie senili quoque, uti Graeci eius, quem *Bassarea* (cf. Rutgers. VV. LL. VI, 7), item quem *Brisea* appellant." Aristid. or. in Bacch. I p. 29 Iebb.: *Καὶ γὰρ ἐν ἠϊθέοις καὶ ἐν κόραις, καὶ αὖ ἐν ἄῤῥεσιν, ἀγένειός τε καὶ Βρισεύς*.

3 *Sic illuvie corporis et coma promissa, impexa, conglomerata, horrida* add. ed. pr.

78. *Aerumnis cor luctificabile fulta*, id est, aerumnis, miseriis et calamitatibus cor luctuosum habens, ex eo, quod serviret Dircae.

79. *Hos pueris monitus patres lippos*, quod in senectute fere ita afficiuntur oculi; et hoc dicit: Cum videas, non recto parentum iudicio haec ad filios vitia permanasse non bene sequendi poeticam materiam, cur mireris et interroges, unde in linguis iuvenum haec loquendi ariditas personet, aut hoc genus loquendi tam sordidum in locutionem venerit Latinorum? Metaphora pro garrulitatis ardore arguta [1] et sine sensu, qualis strepitus est sartaginis [2].

81 sqq. *Unde istud dedecus*, locutionis scilicet, *in quo Trossulus exultat tibi.* Trossulos equites Romanos dicit, qui impudentissime exultant. **Trossulum* autem oppidum fuit Etruriae non longe a Volscis [3]. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt, Numio [4] quodam duce, unde equites Romani Trossuli dicti sunt.* Aut torosi adolescentes. *Trossulus*, id est brevis, et compactae naturae [5]. Potest et sic intelligi. Ita, inquit, exultant sine respectu honestatis, tanquam Trossulum cepissent. *Levis*, i. e. aut ephebus, aut eo quod eques levis, aut citus in levando se, aut certe levis nihil in se habens severi iudicii.

83. *Nilne pudet capiti*, Hoc dicit: Non est tibi pudori et verecundiae, ut de capite tuo tam grandaevo et senili discrimina non abiicias?

84. *Tepidum hoc optes audire decenter*, hoc est, illa quae inepta sunt, et sine viribus, liceat te favorabiliter audire?

85. *Pedius quid? Crimina rasis*, id est, expolitis et purgatis. Pedius quidam illo tempore damnatus est pecuniarum repetundarum: cui cum crimen obiectum esset furti, non se fortiter respondendo purgavit, sed ex compositione versuum favorem quaerebat; figuris dictionum serviens, securus criminum diversorum [6].

1 leg. *stridore arguto.*
2 Isid. origg. XX, 8: „*Sartago* a strepitu soni vocata, quando in ea ardet oleum.“ Quae repetit Papias. Gloss. H. Steph. p. 192: *Sartago*, *τήγανον.*
3 *citra Volsinios passuum IX M.* Plin. XXXIII, 11, 9.
4 *minimo* ed. pr. *Mummio*, *Numerio?*
5 Gloss. H. Steph. p. 218: *Trusulus*, *ὁ ἐν μικρῷ παχύς.*
6 Leg. *severiorum.*

86. **Antitheta* autem sunt haec:
Fortia neglecti velabant colla capilli:
Et per neglectos velabant colla capillos[1]*:*
Aut[2] *quotiens umbra porrexi brachia mota:*
*Aut quotiens umbra reduxi brachia mota.**
Et est sensus: Cum proposuerit Pedius in carmine suo, crimen obiecti furti purgare, omissa criminis materia ad versuum figuras et antitheta commigravit; quae quidem essent in libris eius laudabilia, nisi ordinem materiae perturbassent. *Librat*, id est, quadam moderatione[3] verba trutinat. **Antitheta*[4] autem ista sunt, quae contra se ponuntur, ut[5]: *Hac parte pudor pugnet*[6]*, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum;* [*hinc castitas*][7]*, hinc fides, illinc fraudatio.** *Doctas posuisse figuras laudatur.* Quia laudatur Pedius docte posuisse figuras, non crimen solvisse, vituperat advocatum, qui brevi sermone obiectum crimen non diluit, sed ambagibus distulit.

87. *Bellum hoc, bellum est: An Romule cevès?* Hoc dicit: O Romane, hoc, quòd laudas et dicis esse bellum, vere est bellum, an ceves, id est, ad turpitudinem inclinatus non sincere iudicas? *Ceves*, mollescis? Molles et obscoenos clunium motus significat. An tu *o Romule*, id est *Romane*, vir non es?

88. *Men' moveat quippe.* Ab exemplo vituperat. Haec similitudo ducta est ab iis, qui mendicant et cantant. Hoc ergo dicit: Naufragus si velit ad misericordiam meum animum flectere sola dulcedine cantilenae, materiam autem suae calamitatis opprimat, in nihilo proficit, neque ei assem pro concinentia conferam; sicut et poeta a me laudem non meretur, qui in solis figuris versuum, neglecta carminis materia, vigilat.

89. *Cantas cum fracta te.* Apud veteres passi naufragia tabulam, qua fuerant liberati, pingebant, ne omnibus cladem suam mendicantes narrare cogerentur. Invehitur ergo in illos, et dicit: Qui me volet flectere ad misericordiam, lacrimis flectat, non cantu vocis. Ἀλληγορικῶς arguit malum poetam

1 *Et per neglecti volitabant colla capilli* Pith. *Et per neglectos velabam c. c.* Marcil.
2 *Au — au* Marcil. *Ah — ah* Lindenbr. Reiz.
3 *modulatione?* Cf. tamen Munck. ad Hygin. astron. praef. p. 347.
4 Eadem leguntur apud Isid. origg. II, 21.
5 Cicero Catil. II, 11, 25. 6 *pugnat* Cic.
7 *hinc castitas* non legitur apud Cic. nec apud Isid.

scripta sua canore vocis commendantem, non dignitate carminis.

90. *Verum, nec nocte paratum. Verum* nomen pro adverbio *vere* posuit, hoc est *non simulate*, et hoc dicit: Qui nostram cupit elicere misericordiam, non exerceat lamentationem *nocte paratam*, excogitatam; quia me non inflectet, eo, quod otium omni die habet, et se plorare fingit.

92. *Sed numeris decor est.* Obiectio superioris. Sed vide, quia, si versus laevigatus sit, non pro nihilo est. Et est ordo: Numeris crudis addita iunctura decor est, id est, metris addita iunctura honorem affert. Ergo quemadmodum semicrudus cibus lacerat mentes, sic et versus semicrudus interficit. Sarcasmos obiicit. Sed videlicet, inquit, putant se novum facere decoremque invenisse crudis et duris sensibus, si compositi sint aliqua lenitate, et statim legitima poemata putant se scribere, si versus spondaicos ponunt, duobus ultimis spondeis claudentibus, ut Virgilius [1]:

Cornua velatarum obvertimus antennarum,

et disyllabo spondeo terminant.

93. *Claudere sic versum.* Hi versus exempli causa proferuntur; non autem sunt Persii, sed poetae nescio cuius graecissantis, qui cum mare describeret, ita dixit *Atin, delphin* in extremitate versuum, quod huius saeculi poetae affectant suorum vitia versuum. *Berecynthius Atys.* Non quod Atys Berecynthius carmina scripserit sic composita, sed nomen tale positum a poeta illo in fine versus. Similiter et *delphin* bene sonat. Et dicit hos versus Neronis in haec nomina desinentes.

94. *Et qui caeruleum dirimebat,* id est, separabat. *Arionem* dicit citharoedum, qui a piratis captus, cum ab iis imperaretur, ut caneret, delphines venerunt. Ille se in mare proiiciens, ab iis exceptus et ad litus perductus est.

95. *Sic costam longo. Costam*, id est syllabam. Sicut robur carminis levitate eviravimus linguae, intermiscendo graecas glosulas [2], hac etiam consuetudine et spondaicos versus tentavimus facere, et de longitudine metri heroici syllabam ita subtraximus, tanquam de longitudine Apennini montis partem aliquam demeremus. Sic longo versui i. e. heroico, qui prolixior est, costam, id est syllabam, subduximus, et fecimus molliorem versum σπονδαΐζοντα, ut est *Apennino* una syllaba

1 Virg. Aen. III, 549. 2 *clausulas?*

sublata. *Costam* dicit, et molliorem versum factum, quod feminae dicantur una costa minus nasci. *Omnia epicorum [1] carmina ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos *spondaizontas* appellant, ut apud Cornelium Severum [2]:

*Pinea frondosi coma murmurat [3] Apennini.**

Ex dactylo enim, qui tribus syllabis constat, transit in spondeum detracta syllaba una, pro qua costam dixit. Sed ita placuit, ut exempli loco daretur. *Longum* igitur *Apenninum*, non quod a superiori mari ad inferius extenditur, sed quia duobus spondeis terminatur. Hoc genus versus si quando evenit, praestat decorem, si affectetur, movet risum: sunt tamen qui affectent. *Longo Apennino*, in longis syllabis extenso.

96. *Arma virum, nonne hoc spumosum.* Quaeritur de iis, qui carmina Virgiliana reprehendunt. Nonne, inquit Persius, in hoc est laudandus Virgilius, quod ita inchoavit: *Arma virumque cano?* Quid habet in se iocunditatis vel laetitiae? *Εἰρωνικῶς* dicit, carmina Virgilii arida videri, et eius versus horridos nihil laetitiae habentes, placere autem ea, quae ipsi vitiosissime scribant Graecis decorata nominibus, quae ita molli et flexa cervice debeant legi, velut versus, qui sequuntur. Non ita asperum carmen est, ut spumam remitteret? Ego puto ita durum esse hoc initium, ut corticem arboris vetustissimae.

97. *Suber* autem dicitur cortex arboris. Virgilius [4]:

Huic natam libro et silvestri subere clausam.

98. *Quidnam igitur tenerum?* id est fluxum, et delicatum. *Laxa cervice*, molli, madente.

99. *Torva Mimalloneis.* Dicit *εἰρωνικῶς*, carmina poetarum illius temporis plena graecissationibus nullum habere intellectum, quae tamen cum nescio qua modulatione resonent. **Mimallones* dicuntur ministrae Liberi patris *ἀπὸ τῆς μιμήσεως* [5],* id est, ab imitatione furoris dictae. Unde et *maniam* [6] dicimus quasi mamiam et per compositionem

1 *epicureorum* ed. pr. Vin.
2 Wernsdorf. Poett. Latt. min. IV p. 225 sq. Merckel. ad Ovid. Ib. p. 378 sq.
3 *Alii: sibilat* Eremita. Lindenbr. *Charis. sibilat* Pith.
4 Virg. Aen. XI, 554.
5 Suid. s. v. *Μιμαλλόνας, τὰς Βάκχας τοῦ Διονύσου, ἀπὸ τῆς μιμήσεως.* Cf. Welcker, Nachtr. p. 220.
6 Num huc pertinet Fest. s. v. *maniae: ficta quaedam ex farina in hominum figuram?*

quasi *εὔμιμον* nominamus. *Torva Mimalloneis.* *Hi versus Neronis sunt,* et huic sunt compositi. *Calandrus [1] Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones cum parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis et thyrsis in modum baccharum ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare discesserunt.* *Mimallones* autem dictae *ἀπὸ τῆς μιμήσεως*, quod imitarentur furorem Liberi. Dicuntur autem bombisonae et Mimallones. *Bombus* autem sonus est tubarum raucus, nec valde acutus. Idcirco in sacris Liberi patris bacchae hos sonos tubarum faciunt, quia primus triumphavit, primus militiae ordinem dedit et docuit. Ipse autem Persius finxit hos versus, velut alii dicunt, in aliorum imitationem, quorum scripta sonum grandem habent, sensum nullum.

100. *Et raptum vitulo.* Pentheum significat, Agaves et Echionis filium, qui Liberum patrem negabat deum, quem mater Libero sacra faciens, furore correpta, sub imagine vituli trucidavit, quem mox deposito furore cognovit; cum in suis manibus caput filii cerneret, conviciata Libero est. *Superbo* autem, sacrilege, convicianti Libero.

101. *Bassaris* [2], ipsa Agave, a qua Bassarides omnes bacchae dictae sunt; sed etiam Liber pater, ut Horatius [3]:

non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam.

*Quibusdam videtur, a genere vestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces *bassarin* vocant. Quidam a vulpibus, quarum pellibus bacchae succingebantur,* et lyncum pantherarumque pellibus. *Vulpes* inde *Thraces *bassares* dicunt [4].* *Et lyncem Maenas flexura corymbis. Co-*

1 Apud Polyaen. IV, 1, qui eandem historiam narrat, vocatur *Γάλαυρος βασιλεὺς Ταυλαντίων.*

2 Papias: „*Bassarides,* vaccae uberes. *Bassaris,* sacerdotia a basso i. baccho.“ Io. a Ianua: „*Bassaris, ridis,* fem. gen. a bassa dicitur, quod est ovis pinguis, et sunt bassarides vaccae mulcariae (mulg.) uberes. Bassarides etiam sacerdotissae Bacchi, a Baccho, et corripit *ri.*“

3 Horat. carm. I. 18, 11 sq. ubi similia schol., cf. Mythogr. Vat. III, 12, 2.

4 Grammaticorum Graecorum testimonia v. apud Schoen. de person. in Eurip. Bacch. habitu scen. p. 146 sqq. cf. Lobeck. Aglaoph. p. 293.

rymbis, id est racemis hederarum. *Lynx* est bestia Libero patri consecrata, ut Virgilius [1] ait:

Quid lynces Bacchi.

Maenas, baccha, a furore dicta; *μαίνεσθαι* enim Graece, Latine dicitur *furere*. Quod significat currui Liberi patris lynces subiectas, easque hedera et pampinis indutas regere; ut Virgilius [2]:

Nec qui pampineis victor iuga etc.

102. *Euhion ingeminat*, id est clamat, quae vox Libero patri celebratur a bacchis. Liber autem pater *Euhius* dictus est ex eo, quod in bello giganteo non apparuisset, et credidit eum pater discerptum a gigantibus, et dixit *heu*, quae vox gementis est, et deinde adiiciebat *υἱόν*, id est, *filium miserum*, vel *ubi es* [3]? Clamantium ergo baccharum vox *euhion* ingeminat, et *assonat reparabilis Echo*. Epitheton est Echonis, quae reparat verba audita.

103. *Haec fierent, si testiculi*. Quasi prius increpantis verba; et hoc dicit: Tam mollia et virtute rerum carentia carmina, qualia sunt haec de bacchis et de satyris scripta, si in nobis aliquid paternae virtutis remansisset, componeremus? id est, non talia poemata a quoquam scriberentur, si quicquam in nobis [6] virilitatis esset, vel si aliquam partem haberemus bonorum, quae patres priores habuerunt [5]. Alii tradunt, si non degenerassemus a nostris parentibus, vel si masculi essemus, non delumbes.

104. *Summa delumbe saliva*. Delumbe est carmen, id est adumbratum, nihilque solidi habens, sed fractum et enerve, quia in lumbis vel renibus virtus est, quam dicit istos non habere.

104. *In udo est Maenas et Atys*. Haec proverbialiter dicuntur, posita esse in udo linguae; soluta sunt et nihil rigidi et astricti habentia, ut est Maenas et Atys, ut ex his

1 Virg. Georg. III, 264.
2 Virg. Aen. VI, 804.
3 Schol. cod. Barocc. Eur. Phoen. 649: *Βοῶσαι εὐοῖ εὐὰν ὑής, ἤγουν υἱὲ τοῦ Διός· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εὐίοις*. Schol. Hor. carm. II, 11, 17: „Euius Liber pater dicitur, quod cum dii bellum cum gigantibus gererent, in leonem conversus occidit gigantem, ex quo facto Iuppiter eum ita laudavit *εὖ υἱέ*, hoc est: *bene fili*.“ Mythogr. Vat. III, 12, 2: „Quod Euius nuncupetur, quod *bonum puerum* interpretari dicunt.“
4 *in membris* ed. pr.
5 *haberemus, quapropter isse possemus* ed. pr.

verbis constet ipsos, qui recitant, in udo esse, id est, in palato, unde humor nascitur. Athyn namque et Maenada dicere promptum est et sine tormento cogitatum venit ore primo emissum.

106. *Nec pluteum caedit.* Lecticae sive [plutei] lecti. *Sponda* est exterior pars lecti, *pluteus* interior [1]. Et est sensus: Quomodo potest esse sensatum carmen scribentis, cum ingenium levitas non pondus sequatur? quod nec diu cogitatum est nec factum manu quaerentis aliquid mirificum afferre. Aut quo ungues rursum prae indignatione rasi non sunt. Nam qui cum cura scribunt, ita intenduntur animo, ut pluteum vel tabulam feriant interdum et etiam ungues corrodant: unde Horatius in primo sermonum [2]:

Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

Quorum nihil faciunt levium carminum auctores, id est ungues non rodunt nec pluteum caedunt, nec ut bene faciant laborant.

107. *Sed quid opus teneras*, id est molles, vel tractabiles. Vel se castigat, quod nimium libere se gerat, vel libellus respondet, apud quem Persius, ut supra dictum est, inchoato sermone singulariter inductis personis locutus est. Ergo, vera sunt, inquit, quae dicis, sed minime opus est *mordaci vero auriculas radere*, id est perstringere vel lacerare. Et bene *mordaci vero* dixit. Veritas enim morsum habet et odium parit seu creat.

108 sq. *Vide sis*, id est *sodes*, vel *si vis*, aut certe *cave;* ecce, praedico tibi, *cave*, ne noceat tibi potentium familiaritas, et excludaris de domo amicorum, cum vis vera loqui; aut certe *limina frigescant*, id est, frigus tibi afferant, id est mortem. *Sis* pro *suis* apud antiquos ponebatur, et *sos* pro *suos*, *sas* pro *suas*, detracta *u* litera; interdum *sis* pro *si vis*. *Sonat hic*, in domo divitum. Nam canes lacessiti [3] conantur *r* literam minitabundi exprimere; idem facturos divites ait, si verum audiant.

110. *Per me equidem.* Et Persius: Quia irascuntur ergo, si aliquid de ipsis dixero, nihil dico. *Sint omnia alba*, id est bona, quomodo et *nigrum* malum dicimus, ut Horatius [4]:

hic niger est, hunc tu Romane caveto.

1 v. ad v. 52. 2 Horat. sat. I, 10, 71.
3 *canes lacessiti sic irruunt* ed. pr., i. e. *hirriunt*. Cf. Doederl. Syn. I p. 156 sq.
4 Horat. sat. I, 4, 85.

et Iuvenalis [1]:

Maneant, qui nigrum in candida vertunt.

111. *Euge.* Haec pars orationis est laus.

112. *Hoc iuvat, hic, inquis, veto.* Inquis, quod hoc delectet aures eorum, ut veritatem non audiant. Si ita est, consentio et ego voluntati tuae neque audeo carmina tua in quoquam vitiare, non veritati sed voluntati tuae inserviens, ut pueris, ne in loco sacro micturiant, anguium pictura terrori est. Ergo tam valide interdicunt divites, ne vituperentur, quam qui aliquem locum urina infectum olere nolunt et pingunt duos serpentes iuxta consecrationis similitudinem. *Faxit* prisca consuetudine dixit pro *faciat.* *Oletum*, locum putidum, in quo solent pueri mingere. *Ἀλληγοριχῶς*, nolo me quisquam vituperet. Hic quasi secunda persona loquitur.

113. *Pinge duos angues*, sub specie religionis, qui meiere volentes summoveant. Mos erat, ut tabernarii cupientes terrere pueros, ne mingerent per stationum suarum angulos, pingerent supra duos angues, deinde interdicerent micturientibus, ostendentes religionem loci. Per quod designat sacrum. Quoniam [2], inquit, pueri si videant pictos dracones, sacrum locum existimantes mingere illic cessabunt, ita volo, ut nullus poeta faciat oletum, id est satiram, apud me. Tabernariorum ergo exemplo interrogat amicum: Vis a me neminem maledici? desine, quae vitia non oporteat, tangere.

114. *Secuit Lucilius urbem.* Quid ergo? Quod aliis licuit, mihi non licebit? Certe novimus, Lucilium in urbe Roma satirographum ita invectum esse in vitia, ut videretur non mores carpsisse, sed homines vulnerasse et necasse. Quos enim non vituperavit et vitiavit? Considera *Lupum*, *Mutium* et alios proceres nostrae reipublicae. Nec tamen ei nocuit iracundia laceratorum, sed profuit. Ita autem invectus fuit in vitia nimio furore iracundiae datus, ut frangeret genuinum illorum.

115. *Genuinus* proprie dens, qui sub genis est, qui simul cum homine nascitur et una cum eo interit, qui dens a Graecis *σωφρονιτήρ* [3] vocatur. Vel dentes vehementer mordentes *genuini* dicuntur, quos Graeci *κυνόδοντας* appellant. Alii eius-

1 Iuv. III, 30.
2 Leg. *quemadmodum.*
3 Leg. *σωφρονιστήρ.* Gloss. H. Steph. p. 66: *Dens genuinus*, *σωφρονιστὴρ ὀδούς.* p. 101: *Genuini*, *σωφρονιστῆρες. Genuinum, ὀδόντα μύλην.*

dem numeri molares ultimi in utrisque maxillis, qui post vicesimum annum accrescunt et sponte nascuntur. *Urbem* autem ideo dixit *secuit*, quia tribus omnes triginta quinque laceravit, ex quibus urbs tota constat.

116. *Omne vafer vitium.* Horatius Flaccus non cum invectione, ut Lucilius, hominum vitia castigavit, sed ut rideret et is, qui emendabatur, quamvis circa viscera eius medendi praecepta versentur, ita ut amici, qui eum audirent recitantem, putarent non tangi vitia eorum. Deinde cum dicta diligentius apud se pertractarent, viderunt vitia sua per illum descripta. Tamen laudem eius lacerando minuere passi non sunt.

118. *Callidus excusso populum*, sciens populum secundum arbitrium suum tractare. *Excusso naso*, emuncto, unde intelligitur prudenti, ut e contrario qui *stulti* sunt, *mucosi* dicuntur, ita *prudentes emuncti.* Horatius Flaccus subtili oratione eos, quibus recitavit, lacerabat.

119. *Men' mutire nefas?* Hoc dixit: Lucilius liber reprehendit alios, et Horatius; mihi autem aliquid mutire nimium est? Proverbialiter dicimus: *Muttum nullum emiseris*, id est, verbum. *Nec clam*, id est, non occulte. Ita dictum est, ut si dixisset: *men' muttire nefas nec clam, nec cum scrobe? Nec cum scrobe.* *Midae historiam tangit, quae talis est.* Mida rex Lydiae fuit, cognitor adhibitus a Marsya et Apolline decertantibus inter se, quorum audita cantilena praeposuit Marsyam. Iratus Apollo damnavit eius stultitiam auribus asininis, quas ab omnium aspectu corona imposita prohibebat. Dum tonderetur autem a suo liberto tonsore, metuens hoc ab eo divulgari, ei poenam imposuit. Cum silentium quoque intra se continere non posset, scrobem fecit, et ita quod viderat, intus narravit. In qua nata est canna, ex qua pastores fecerunt fistulam, et cum ipsi aliquid cantare vellent, fistula tonsoris verba narrabat, id est: *Mida rex auriculas asini habet.* Quod autem terrae seminibus inculcatum fuerat, hoc ipsum canna cantabat. Hoc ergo Persius dicit: Nec illius more tonsoris clam licebit super scrobem garrire, quia mihi non licet aperte nec clam conquestionibus uti.

120. *Hic tamen infodiam*, ut quod ille scrobi insusurravit, ego tibi, libello meo, infodiam, id est committam et inscribam, vel incipiam ad librum meum dicere: *O libelle, vidi homines stultos in hac civitate.* Et dicitur Neronem et Claudium tetigisse sub allegoria Midae, qui aures maximas habue-

runt. Denique Persius sic scripsit: *auriculas asini Mida rex habet*, sed Cornutus hoc mutavit, ita ponens:

121. *auriculas asini quis non habet?* veritus, ne Nero in se dictum putaret. Perseverat autem in metaphora, quod dixit *infodiam*, quia superius dixit *in scrobe*. *Quis non habet* pro rege Mida posuit. *Hoc ego opertum*. Sensus est: Hoc carmen meum, quod latens est, obscurum, nullius momenti, et ridiculosum, atque ineptum, quod ego composui, quo rideo, quo delector, *non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripsit enim Nero Troicon.* Hoc autem per ironiam dicit. Risus occultus significat non plebeiam personam annotari, quoniam in Neronem dixit.

123. *Audaci quicunque afflate*. Metaphora ab incendio, afflatus es. *Cratinus*, *Eupolis*, et *Aristophanes* graecarum comoediarum auctores fuerunt, ut meminit Horatius [1]:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae.

Primi etiam exemplum dederunt libere scribendi, qui cum amaritudine multa invecti sunt in principes civitatis: propter quod lege duodecim tabularum cautum est, ut fustibus feriretur, qui publice invehebatur [2]. Nam unicuique suum epitheton dedit, si quidem *audacem Cratinum* dixit, *iratum Eupolidem*, *Aristophanemque praegrandem*, quia nullus eum poeta satyrographus antecedit, et hoc dicit: Qui afflatus es Cratino et palles legendo Aristophanem: et mea carmina lege.

125. *Aspice et haec, si forte aliquid decoctius*, μεταφορὰ a vino, quod coquitur ad dulcedinem; aut certe translatio est de conflato auro vel argento, quae quanto magis coquuntur, tanto magis praefulgent. Ergo hoc dicit: Vide mea carmina si possunt tibi placere. Si quidem in meis dictis aliquid pulchrum invenies, quicunque instructus animum Cratini satyra mihi venis auditor. *Decoctus*, *vaporata*, translationes pulchrae.

126. *Inde vaporata*, id est, illorum scriptis accensus veniat, qui vult mea carmina legere.

127. *Non hic, qui in crepidas. Crepidis* Graeci a se repertis usi sunt. Est autem genus calceamenti singulari forma, et idem utrique pedi aptum. Crepidas autem dictas quod cum sono stringantur, sive a pedum crepitu inambulando. Cothurni sunt, quibus calceabantur tragoedi, qui in theatro dicturi erant.

1 Horat. sat. I, 4, 1.
2 Cf. Cic. rep. IV, 10. Tusc. IV, 2, 4. intpp. Hor. epp. II, 1, 152.

128. *Sordidus*, nullius verbi pensator; moribus scilicet sordidus. Et hoc dicit: Non ille me legat, qui habitum Graecorum cupit deridere, cum sit impudicus, et iocari sibi sine urbanitate permittat. Hoc de Nerone, qui invehitur contra tragoediographos. Vel aliter: Alter, qui patitur philosophorum calceamenta risu digna iudicare. *Gestit*, gaudet. *Crepidas*, caligulas, quibus utuntur philosophi. *Et lusco, qui possit dicere lusce.* Naturalia vitia sunt, ut homo sit luscus, hominum vitia sunt, ut si quis improbus in moribus. Ergo, qui sapiens est, quod naturale est vitium non imputat. Hoc ergo dicit: Nec ille mihi sit auditor, qui fortunae vitia deducit ad iocos, id est, stultus, cum de moribus debeamus esse obnoxii.

129. *Sese aliquem credens. Supinus*, id est superbus. Hoc inquit: Nec ille mihi sit auditor, qui se putat honoratum esse et incomparabilem propterea quod meruit dignitatem aedilitiam in aliquo oppido Italiae fracturus inaequales mensuras, id est, minora vasa [1], ex Aretio municipio, ubi fiunt Aretina vasa.

131. *Nec qui abaco numeros*, id est stultam urbanitatem habens. Nec ille sit auditor mihi, qui deridet stulta urbanitate geometras. *Abacus* enim dicitur mensa, in qua geometrae designant loca vel mensuras. *Et secto in pulvere.* Nec illo delector, qui alienus literis liberalibus deridet geometriam. Geometrae consueti sunt in abaco radio, id est aliquo stilo, formas aliquas et mensuras in summo terrae annotare.

132. *Multum gaudere paratus.* Ille stultus paratus gaudere, si viderit meretricis manum delicatam philosophi barbam tenentem: quod de Diogene Cynico philosopho dicitur et Laide meretrice, vel Thaide.

134. *Cynico* ideo, quia habebant philosophi communem vitam. Item quibusdam videtur in philosopho derideri ista res, sed minime; nam impudentia potius meretricis vituperanda est, non patientia philosophi deridenda. **Nonaria* autem dicta est meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione militari illo irent adolescentes [2]. * Significat autem Laidem, quam Diogenes amabat.

134. *His mane edictum.* In usu fuit, ut praetores edicta proponerent certis temporibus compellentia debitores satis-

1 Cf. Iuv. X, 101 sq.
2 Cf. schol. Iuv. V, 117. Orelli ep. crit. ad Madvig. p. LIX.

facere creditoribus. Ergo si huiusmodi homines derisores sunt rerum propositarum a me, invicem mutabo eorum risum in lacrimas, ostendendo eis edictum praetorium, cuius aspectus debitoribus horribilis est; ac simulatque incaluerint potu, do eis cantandam tragoediam poetae cuiusdam indocti, qui *Calliroen* vel aliquam historiam pueriliter et indocte scripsit. Vel, ut alii dicunt, haec *Callirhoe* nympha fuit, quam Paris ante Helenae raptum habebat, quae deserta multum dicitur rupti amoris dulce flevisse consortium. Hanc comoediam scripsit Atines Celer pueriliter. Vel certe Calliroe pantomima fuit. Mane ergo edictum praetoris, scilicet ob culpam, vel propter aes alienum, deinde post prandium animi voluptates. Nolo me legant circulatores, qui mane edictum consulis aut imperatoris populo recitant, meridie levia carmina dicunt.

SATIRA II.

1. *Hunc Macrine diem.* Hanc satyram scribit ad Plotium Macrinum de bona mente, significatque eodem die eiusdem Macrini natalem esse, quem diebus latis albo calculo more Cretensium indicat assignandum. Nam Cretenses diffinientes vitam ex laetitia constare, dies laetos albo lapillo, et tristes nigro indicabant; postea computo facto lapillorum videbant, quantos dies in anno laetos vixerant, vel habuerunt, et eos se vixisse testificabantur. Nam etiam in tumulo cuiusdam ita scribebatur: *Vixit annos tot, duravit autem tot* [1]. Est autem hic sensus et in Horatio [2]:

Cressa ne careat pulchra dies nota.

Et dicit placandos Deos non sumtuosis sacrificiis, sed solo mero, ideo quod Macrinus nihil iniustum ab eis petat, nisi hoc solum, quod possit etiam sine sacrificiis mereri. Bona enim

1 De Simili sub Hadriano praefecto, haec narrat Dio Cass. LXIX, 19: Ἐν ἀγρῷ ἤσυχος ἑπτὰ ἔτη τὰ λοιπὰ τοῦ βίου διήγαγε, καὶ ἐπί γε τὸ μνῆμα αὐτοῦ τοῦτο ἐπέγραψεν, ὅτι Σίμιλις μὲν ἐνταῦθα κεῖται, βιοὺς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά. Eadem ex Io. Gazensis libro περὶ ἀρχαιολογίας inedito protulit Salmasius ad Spart. Hadr. 11 p. 77, nisi quod ibi legitur: βιοὺς μὲν ἔτη $\overline{\nu}$, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά.

2 Horat. carm. I, 36, 10.

hominibus dii sponte concedunt. Irridet autem eos, qui putant suae malitiae effectum sumptuosis sacrificiis promereri. *Alloquitur Macrinum, hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat indulto sibi pretio aliquanto.*

2. *Qui tibi labentes. Labentes* dicit natura lubricos, ut Ovidius [1]:

Labitur occulte, fallitque volatilis aetas.
Et nihil est annis velocius.

et Horatius [2]:

Heu heu fugaces Posthume, Posthume,
Labuntur anni.

Apponit autem dicit *adiunget*, quia ad praeteritos alii accedunt. Item Horatius [3]:

Et illi quos tibi dempserit apponet.

3. *Non tu prece.* Non tu, inquit, ea poscis emaci prece, quae nisi secreto optari non possunt propter turpitudinem ipsius voti; sed illa scilicet aperte petis, quae bonae fidei sunt. Et notandum *prece* numero singulari, ut Horatius [4]:

prece qua fatigent
Virgines sacrae minus audientem.

Emaci prece dixit ab emendo, quod emat votum deorum precibus.

4. *Seductis*, id est, dono corruptis diis, quia putant impia postulantes promissis votis deorum redimere voluntates.

5. *At bona pars procerum.* Satirice carpit nobiles personas, licet ad amicum scribat, et cum aliud agere videatur, efficit tamen aliud. *Bona* autem ait, id est *magna*. *Acerra* autem, patera in qua libatur. Virgilius [5]:

et plena supplex veneratur acerra.

Aut *acerra*, id est, arca turis [6]. *Tacita acerra* autem ait, pro tacitis ipsis, qui ideo palam non orant, ne iniqua eorum petitio audiatur. Iusta vero principum pars, cum sacrificat, nihil neque murmure, neque clam a diis petit, sciens deum nosse, quibus indigeat. *Tacita acerra*, id est, sine hostia, aut tacita prece acerra libabit.

1 Ovid. Met. X, 519 sq. 2 Horat. carm. II, 14, 1 sq.
3 Horat. carm. II, 5, 14 sq.
4 Horat. carm. I, 2, 26 sq. ubi *sanctae*.
5 Virg. Aen. V, 745.
6 Papias: „*Acerra*, arca turis, vel turibulum, vel turarium.“

6. *Haud cuivis promptum est.* Non cuivis facile est, nec potest hoc inveniri in homine, ut faciat vota evidenter et dilucide, asciscens omnium notitiam testem. Difficulter potest inveniri, qui sine murmure et susurro vota faciat. Pene enim aequa nemo precatur. Alia expositio. Non potest quivis sine murmure optare, nec facile cuiquam contingit clare a diis postulare, quae petit. *Humilesque susurros,* pro iis, qui humiliter fundunt humiles susurros. Ut Virgilius [1]:

Per gentes humilis stravit pavor,

id est, qui est humilium animorum.

8. *Mens bona, fama, fides, haec clare, et ut audiat hospes. Hospes* pro quolibet ignoto posuit, et hoc dicit: Mentem bonam, famam, fidem, clare optant, ita, ut omnis praeteriens audiat. Et subaudiendum *dicit* [2]. Hoc dicit, quia haec nullum lucrum in se habeant sine aliqua dubitatione et ideo peregrinis auribus committunt, ut bene sentiant eorum mentes, et ut existimationi eorum placeant.

9. *Illa sibi introrsum.* At ea, de quibus erubescerent, nequis audiat, murmure intra suam conscientiam celebrant, et magis haec animo deprecantur, neque ultra murmur vota sua nefaria [3] efferunt conscientia sua deterriti. Haec intra se nequiore voto agunt, ut patruus moriatur, ut pecunias inveniat, aut pupillus, cuius hereditati ipse proximus est, intereat.

10. *O si ebulliat patrui.* Hypallage, non *praeclarum funus*, sed quia praeclaram dat hereditatem; vel praeclarum funus, si patruus ebulliat. *Ebullire* autem proprie exspirare, metaphora sumpta a bulla, quae aliquo venti tenore sustentatur; quae bullae cum in aqua fiunt cadentibus guttis, rumpuntur, et spiritum, quo continentur, emittunt; ex quo etiam proverbialiter dicitur: *Homo bulla est* [4]. Propterea *ebullit,* id est, exspirat. Nam cum ebullit aqua igne subiecto, altius quidem vapor emittitur [5]; ideo eleganter dixit *ebulliat;* siquidem senum fata tarde coquuntur, hoc est, terminantur, heredum cupiditate praecipiti.

11. *Et o si sub rastro.* Item optat, ut, dum suum opus exerceat, Hercule propitio thesauros inveniat. Et idcirco Her-

1 Virgil. Georg. I, 331. 2 *dicit* om. vulg.
3 *ac furia* ed. pr. *necessaria* Vin.
4 Varr. R. R. I, 1, 1: „Cogitans, esse properandum, quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex.“ Petron. 42: „Nos non pluris sumus, quam bullae.“ Cf. Lucian. contempl. 19.
5 Cf. Isid. origg. XX, 8.

culem ponit, quod aut ipse sit deus lucri, aut quod divitiae non sine virtutibus acquirantur, aut quod Hercules labore proprio omnia adeptus est bona. *Seria*, dolium fictile oblongum.

12. *Pupillumve utinam.* Non utique cuius tutor sit, sed puerum adhuc inter pupillares constitutum annos, et nondum sine tutela [1], cuius secundus heres substitutus est: quem scabiosum biliosumque et vitiosum ideo dicit, tanquam ex hoc speret celerius moriturum.

13. *Expungam*, proprie foras mittam. *Tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur [2], metaphora a bello, in quo cadente, qui primus est, succenturiatur,* id est, subrogatur *alius,* cui mortuo secundus succedit. Itidem in stipendiis [3] pro meritis accipiunt mercedem, et primo mortuo secundus succedit. *Impello* autem ait, id est, prosequor. *Namque est scabiosus.* Merito sperat, eum esse cito moriturum, et deos precatur, qui illum videant et plenum scabie et vehementi cholera frequentius excitari. *Et acri bile*, id est melancholia.

14. *Nerio iam tertia.* Nomen fictum est. *Nerius* quidam *morte coniugum locupletatus, foenerator factus est notissimus, de quo Horatius [4] ait:

*Scribe decem Nerio.**

Ille, inquit, nobilitatus coniuges tumulando, mea uxor nec aegrotare patitur. *Dos enim a cive Romano data, non ex patrio dicta [5] nomine [6], si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet [7].*

15. *Haec sancte ut poscas.* Tempore, quo haec postulas, tu [8], quisquis es avarus, putas te caste petere, si lotus petieris, lotus propterea quod nocturno coitu sis inquinatus.

1 *suae tutelae* ed. pr. cod. Par.
2 *cum erasi militiae ceris mittuntur* C. Barth. l. l.
3 *suscipiendis* ed. pr. *sopiendis* ed. Par.
4 Hor. sat. II, 3, 69.
5 *dictata* Vin. *patris dotata* ed. pr.
6 C. Barthii membrana addit: *aut patre hausta*, unde efficit: *aut matris hausta bonis.*
7 Cf. Ulpian. frgm. VI, 4 sq.
8 *Tpe hoc, quo tu postulas* ed. pr. Leg. *Turpe hoc, quod tu post., quisq.*

17. *Heus age responde.* Ad avarum dicit poeta votorum talium editorem: Non te pigeat uno verbo. *Minimum est, quod scire laboro,* id est, quod te consulo. Iovem illum, quem tu postulas talia, qualem esse putas? excordem et dementem esse, qui assentiat, id est, qui consentiat huiusmodi precibus?

19. *Vis Staio?* Nomen fictum, quomodo supra *Nerio.* Aelius [1] Staius in Iuniano iudicio et consortio sedit, qui pecuniam a reo et accusatore accepit, decepitque utrumque. Erat ergo inter notissimos cives. Potest igitur Iuppiter vel hoc melior videri? An etiam in hoc dubitas, quis possit melior iudex esse, Iuppiter an Staius? An adhuc dubitas vel Staio praeponere Iovem? Elige tibi quemvis pessimum, cui ducas anteponendum Iovem animi bonitate. *Staius autem praetor tutelarum [2] fuit, Gutta et Albus [3] et caeteri praepositi fuerunt iudices, qui in Iuniano iudicio corrupti, Oppianicum damnaverunt.*

21. *Hoc igitur, quo tu Iovis.* Sensus est: Si ille Staius, comessor omnium innocentium, non potest sine iracundia haec se postulantem audire, sed statim dicit: *O Iuppiter!*

23. *At se non Iuppiter clamet?* huiuscemodi non indignatur, non obtestatur maiestatem numinis sui, dicendo: *O Iuppiter?* At Staius ipsum invocabit Iovem, quem tu non credis perfidia tua moveri, et clamabit tanquam de importuno. Nam et mali sentiunt, quid turpe et nefarium sit, et aspernantur, ubi ipsorum nulla utilitas est. Referuntur autem haec ad vota, quae ad funus patrui et pupilli pertinent. Sensus autem est: Iovi non videatur importunum, quod Staio videtur?

24. *Ignovisse putas, quia.* An putas Iovem veniam prosecutum petitioni tuae, quia te necdum fulmen perculit? Nescis dilationem non esse in poenam? Crede, dilatio periculi illud quod imminet, gravius facit, ut ait Iuvenalis [4]:

cura graviore timetur
Proxima tempestas.

Aliter. Putas tibi Iovem veniam dedisse, quia tonitru facto fulminantur arbores ocius, quam tu et domus tua?

1 *Alius* Vin. Cf. Cic. Brut. 68, 241. p. Cluent. 26, 70.
2 *praetor tutelarius* ed. pr. Cf. Gothofr. ad cod. Theod. I p. 361. Frgmm. Vatic. 232 p. 56. 244 p. 58 M. *tutor pupillarius* cett.
3 *Bulbus* Cas. cl. Cic. Verr. II, 32, 78.
4 Iuv. XIII, 227 sq.

25. *Sulfure* autem pro fulmine. Ex eo enim, quod sequitur, intelligitur quod praecedit. Fulmen enim praecedit, sulfur sequitur, ut Virgilius [1]:

Et circum late loca sulfure fumant,

quia dum fulmen ceciderit, loca vicina odore sulfuris implentur. Unde *sacrum* dixit.

26. *An quia non fibris.* Hoc dicit: Putas deos tuorum scelerum oblitos, quia non iaces fulminatus in lucis bidentalium? *In usu fuit, ut augures vel aruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius impetratione [2] rei oves immolabantur.* Hoc ergo dicit: Et quia necdum te fulmine perculsum sepelivit caesis hostiis Ergenna, ideo derides Iovem? *Ergennae* nomen aruspicis fictum secundum morem Etruscorum [3].

27. *Bidental* [4] autem ideo dicitur fulmen, aut quia duos dentes habeat, aut certe quod in eo loco, ubi ceciderit, bidentes mactentur. Caetera autem fulgura qualibet hostia procurantur, sed omnia calcare nefas dicitur, ideo *evitandum* dixit esse. *Triste iaces*, id est, quod leto tuo alii tristes efficiuntur. *Iaces*, quia fulminati supra terram positi non mandantur sepulturae [5]. **Bidental* dicitur locus sacro [6] percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.* Ergo bis eadem de coelo tacta, quae expiari non possunt nisi bidente, bidental; caetera fulgurata immolata qualibet hostia teneantur [7].

29. *Aut quidnam est, qua.* Aut dicas mihi, qua confidentia tales superis offers preces?

1 Virg. Aen. II, 698, ubi *late circum.*
2 *in patratione* Pith. Marcil. Bulenger. opp. p. 430. Cram. ad schol. Juv. VI, 587. Müller, Etrusk. II p. 172. Orell. Illud probat Salm. ad Solin. p. 803.
3 *aut pro quolibet posuit, nam et rusticum nomen est* add. ed. pr.
4 Papias: „*Bidental*, fulmen, vel quod bis a fulmine percussum est, quasi bis dentes, vel sacrificium est.“ Io. a Ianua: „*Bidental, alis*, neu. gen. locus in quo fulmen cadit sic dictus a bidentibus ibi sacrificatis, vel aliquid fulmine percussum, Persius: *Triste iacens lucis evitandumque bidental.*“
5 Cf. O. Müller, Etrusk. II p. 173.
6 *secundo* ed. pr.
7 Ita leg. videtur. Ed. pr.: *non possunt nisi immolata qualibet hostia, bidental, caetera fulgura tenentur.*

30. *Emeris auriculas.* An forte quaedam commercia cum Iove habuisti, quibus ille compellatur obedire iniustis petitionibus tuis? *Lactes* [1] sunt loca in lateribus sub umbilico pube tenus adeo delicata, ut plagam ferre non possint. Inde est, quod *lactidiatum* [2] dicimus, qui male sit calce percussus. Vel certe *lactibus*, intestinis pinguibus. Vel ut alii dicunt, membranae sunt, quibus cohaerent inter se intestina.

31. *Ecce avia aut metuens.* Dicit nunc, quae mala et inania ab eis petantur. Sunt aviae quaedam et materterae, quae statim puerum a cunabulis solutum votis suis diis caelestibus commendant, postulantes eis divitias, formam, vires, eloquium. In hoc petendo ostendit vota hominum nimium esse importuna. *Metuens divum*, ut Terentius [3]: *fugitans litium*, id est *fugiens lites.* Transit iterum ad novas superstitiones mulierum, quae dum ad nutriendum infantes acceperint, eos digito turpi, id est medio, vel salivis expiari fascino putant; et hoc obscoenitatis indicium est.

32. *Frontemque atque uda.* Tollit eum de lecto, et incipit eius puerili fronti aliquid incantare et labellis eius tenerrimis.

33. *Infami digito* ait medio, qui obscoenitatis [4] est, ut ait Iuvenalis [5]:

cum Fortunae ipse minaci
Praeberet laqueum, mediumque ostenderet unguem.

Sunt autem nomina digitorum: *pollex, salutaris, infamis, medicinalis, ultimus* [6]. *Lustralibus salivis*, purgatoriis, liberantibus puerum ex omni malo, quod dicunt mulieres, fascino; vel quia frequenter infantibus salivae fluant.

34. *Urentes oculos*, merito, quia fascino urunt, tanquam consumunt. Virgilius [7]:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Urentes ergo, id est fascinantes, *inhibere perita*, id est prohibere, ne fascinent.

1 Cf. Gloss. H. Steph. p. 129: *Lactes, λοβοὶ τῶν σπλάγχνων· λεπτὰ ἔντερα τῶν ἐρίφων.* p. 527: *Λεπτὰ ἔντερα, hae lactes, singulare non habet.* p. 529: *Λοβοὶ τῶν σπλάγχνων, hae lactes, singulare non habet.*
2 Cf. Gloss. Philox. p. 103 Labb.: *Lactidiaci (ti)*: *λελαχτισμένοι.* cl. Gron. obss. IV, 13.
3 Terent. Phorm. IV, 3, 18.
4 Cf. Gloss. H. Steph. p. 223: *Verpus, δρῖλος, καὶ ὁ μέσος δάκτυλος τῆς χειρός· λέγεται δὲ καὶ ὁ λειπόδερμος.*
5 Iuv. X, 52 sq. 6 Cf. Isid. origg. XI, 1. 7 Virg. Ecl. 3, 103.

35. *Et spem macram supplice voto*, id est precatione supplici, *spem macram*, id est modicam, quae recte mediocribus optatur. Vel certe *macram*, dubiam. Nihil enim tam dubium, quam exspectatio summa de infante.

36. *Nunc Licini in campos.* *Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo dives cognominatus. Huius ergo divitias optat puero. Alii volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praedivitem, cuius monumentum est pretiosi operis [sepultus] via Salaria prope urbem, ad lapidem secundum. De hoc* homine *non invenustum Varronis [1] epigramma fertur:

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo:
Pompeius nullo: quis putet esse deos? *

Metri vero causa fecit synaeresin nominis *Licini* pro *Licinii*, et a nomine cognomen diiunxit, ut Virgilius [2]:

non haec tibi littora suasit
Delius, aut Cretae iussit confidere Apollo.

Interdum epitheton a nomine, ut [3]:

nec talia passus Ulixes
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

Ordo est: spem macram voto supplici modo in campos Licinii [4], nunc in aedes Licinii Crassi mittit, dicens: Da illi quantum Crassus habuit. Sed hic quoque admonet, ignorare stultos, quid sit petendum a diis, ideo ait: *Nutrici non mando vota.*

37. *Hunc optent generum*, id est, ametur iste ab imperatore, et tollatur gener a rege et a regina, quod est felicitatis immensae, ut optetur gener etiam a regibus; et a puellis ob pulchritudinem suam rapiatur.

38. *Quicquid calcaverit hic*, id est, ubicumque pedem posuerit, statim exinde rosa nascatur, et pullulet terra floribus pede calcata pueri.

1 Idem epigramma refert Schol. Cruq. Hor. A. P. 301, ubi est:
Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius parvo: quis putet esse deos?
Vs. 2. *credimus esse deos* ed. pr. Pith. *Tironis* cod. Heinsii apud Burmann. ad Anthol. L. t. I p. 205 sq. *Exstat* in Anth. L. II, 37. n. 77 M. Wernsd. poett. Latt. min. IV p. 587. Cf. Wüllner, de P. Terentii Varronis Atacini vita et scriptis p. 7 sqq.
2 Virg. Aen. III, 161 sq. 3 Virg. Aen. III, 628 sq.
4 *Licinii* del. Hauthal. p. 135.

39. *Ast ego*, inquit, contemptor divitiarum, nolo a diis talia mihi impetrare. Nutricem arguit et imperitos, qui nesciunt, quid sit consequens optare. Se vero dicit non solum ineptis votis non teneri, sed et omnibus modis se denegare vota Iovi, adiungens precem, ut cum fuerit rogatus, non audiat, tanquam pecuniarum contemptor; et non dicit haec aut huiusmodi vota, sed omnino nulla. Veto quicquam infanti meo optari. **Non mando*, verbo usus est aruspicum [1], cum eis dicitur: *Mando tibi, ut maximum Iovem audias* [2]; ut quemadmodum procurationis assertio [3] fit, ita fiat* et in sacris* et in prece.*

40. *Negato Iuppiter haec illi*, id est, si nutrix mea voluerit a te talia flagitare, o Iuppiter, noli illi annuere, licet te albata rogarit, id est petat. *Albata* autem festiva, aut certe *albata*, pura, et vitiis carens.

41. *Poscis opem nervis*, ut fortis sis. *Corpusque fidele senectae*, ut sis robustus in senectute. *Corpusque fidele*, id est, validum, quod sustineat senectam, quae morbis omnibus abundat, unde dictum est: *senectus ipsa morbus est.*

42. *Esto, age: sed grandes patinae.* Ad alios transit, qui sua intemperantia votis officiunt. Bonam valetudinem optas, quae te etiam in senectute non deserat, et in membris auxilium poscis, sed hoc tibi a diis praestari quotidianae epulae ac luxuriae non permittunt. **Tuceta* [4] apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur caro condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata, et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad saturarum iura [5]. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione est nominatus Tuceta [6].* *Tuceta* autem sunt condimenta gulae deliciosae, quibus bona hominum valitudo corrumpitur.

1 *aruspicum* ed. pr. Reiz. *aruspico* Vin. Pith. *aruspicino* Orell.
2 *tibi*, *Maxime*, *ut Iovem adeas* Erem. Lindenbr. Reiz. Cf. Brisson. de form. p. 116 ed. Bach.
3 Cf. Non. c. 2 s. v. *mando.*
4 Papias: „*Toceta*, escae regiae, *salciciae* vulgo.“ Io. a Ianua: „*Tucetum.* a tondo, dis dicitur hoc tucetum, ti, cibus, qui fit ex carnium concisione, sicut salcicia est. Persius: Sed grandes patinae tucetaque crassa.“ — Ceterum *salcicia* sunt *saucisses.*
5 *aut assatarum carnium iura* ed. pr.
6 *Tucca* Erem. Lind. Reiz. Gloss. H. Steph. p. 218: *κατάχυμα ζώμου. Tuccetum, ζωμὸς παχύς.*

Vel *tuceta* dicuntur loca, in quibus tunsae carnes ponuntur [1]. Iterum agit de hominum optationibus, cum petant, ut fortes sint corpore, et eadem fortitudo usque perseveret in senectam; sed hoc a diis non potest concedi, dum quotidie ipsum corpus crapula corrumpitur.

43. *Iovemque morantur*, id est a beneficis retinent.

44. *Rem struere exoptas caeso bove*, id est, sacrificio. Hoc dicit: Sunt alii, qui poscunt sibi patrimonia augeri non sine damno, et petentes divitias, ipsi prius impendunt sacrificiis deorum. Et bene ad invidiam *caeso bove* dixit, quasi auctore rei familiaris; cultura enim bovum ditescunt homines. *Mercurio* ideo dixit sacrificium facere, quod deus est lucri, quomodo supra [2] dixit Herculem:

et o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule.

Sed illum dixit absconditi lucri esse praesidem, Mercurium autem evidentis lucri. *Rem struere exoptas.* Dum exoptas, ut negotia tua impleantur, Mercurio sacrificas caeso bove, dicens, ut locupletior efficiaris, et gregibus tuis feturam plenius tribuat. Cui Mercurium inducit respondentem: Qua ratione haec tibi contingant, cum quotidie vitulas, quae possent gregem multiplicare, occidas?

45. *Da fortunare penates*, id est, fortunatos facere.

46. *Quo pessime pacto.* Hic quasi Mercurius respondeat. Quo pacto possum augere rem tuam, cum hoc, quod habes, consumas et disperdas hostias faciendo? Vel certe Persius in eum indignatur, vel invehitur.

47. *Iunicum* autem ait iuvencarum. *Iunices* [3] dicuntur aetate viridiores vaccae, inter vitulas et vaccas. *Iunices* feminae, *iuvenci* masculi dicuntur. *Iunices* autem dicuntur tenerae aetatis boves, quae iam cesserunt vitulis, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenerunt. Dicuntur autem a iuvenibus, unde comparativus iunior, quia sint iuniores iuvenibus. *Omenta* autem sunt membranae, quae exta continent.

48. *Attamen hic extis.* Bene ait *vincere*, quod superstitione sua contendat Mercurium superare. *Opimo* ait pingui vel pleno. *Fertum* autem genus est panis vel libi,

1 *tuceta dicuntur in ollis tunsae carnes* em. Marcil.
2 vs. 10 sqq.
3 Gloss. H. Steph. p. 127: *Iunix*, *δάμαλις*.

quod diis infertur a pontificibus in sacrificio. Dictum autem fertum a ferendo. Alii vas dicunt, quod ornatum certis speciebus sacris et refertum diis infertur. Et est sensus: Cum haec saepe clamantem audiat deum, tamen, inquit, perseverat in voto, et effecturum se putat, quod improbe petit; donec omni re consumpta, ad unicum redactus numum, quem in exhausta arca et sine censu invenit, superstitionem suam gemens excrucietur. Verumtamen quamvis audiat talia, non cessat deos sacrificiis fatigare, et sperando divitias futuras arcam suam exhaurit, quamdiu ullus nummus in arca suspiret.

49. *Iam crescit ager.* Intra se cogitantis verba refert.

50. *Donec deceptus et exspes*, id est, donec decepta exspectatione et spe accessionis, pecunia usque ad ultimum consumta nummum, in eo cogitationes eius deficiat, posita *in imo*, id est, in fundo arcae, frustra iam gemitu et suspiriis prosequente exspectationem parium suorum. Aut certe ipse suspiret, quia nihil videt in imo fundo nummorum. Non minus τροπικῶς, ut *tacita libabit acerra*, pro *ipse tacitus*.

52. *Si tibi crateras.* Ad alteram animi infirmitatem transit, et aggreditur eos, qui inaniter vota solvunt, credentes deos iis delectari, quibus ipsi delectantur. Si tibi ergo argentea vel aurea vasa donavero, *sudes* gaudio, et *guttas excutias*, quod cor tuum hinc sit laetum. *Incusa* autem dicit caelata, id est, producta, unde *incus* dicitur, a cudendo, caelata, castigata spei vanitate. *Pingui auro*, id est lamina. Transit igitur iterum ad aliorum hominum voluptates, qui cupiditate tenentur; qui, si contingat, ut subito divitias inveniant, statim eis inventis potius fatigantur.

53. *Sudes et pectore laevo.* Ideo *laevo* dixit *pectore*, quia in parte sinistra pectoris cor habemus. Ut Iuvenalis [1]:

culpa docentis scilicet arguitur, quod laeva in parte
mamillae nil salit.

Vel certe *laevo*, contrario.

54. *Excutias guttas*, aut sudoris, aut lacrimarum. Nam et hoc potest intelligi, quia de sudore iam dixerat, ut est illud Terentianum [2]: *Lacrimor prae gaudio. Laetari pertrepidum*, propter sudorem prae gaudio natum toto corpore trepidabis: vel quod ad laetitiam festines, et *pectore laevo*, id est malo, sudoris guttas excutias.

1 Iuv. VII, 158 sqq.
2 Terent. Adelph. III, 3, 35: *Oh, lacrumo gaudio.*

55. *Hinc illud subiit*, id est, evenit e tali dissolutione, ut auro putes numina delectari, quod tu diligis, et iis vultus deaurandos existimes. *Ovato* sive quod ovo perfunduntur statuae, ut bractea melius inhaerescat; sive quod bractea talis est, qualis ovi membrana. *Ovato*, quia medium ovi simile est auro; hoc est, in modum ovi.

56. *Nam fratres inter ahenos.* *Acron tradit, quod in porticu* quondam *Apollinis Palatini fuerint L Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti [1]. Ex iis autem statuis quaedam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula.* Alii autem fratres aënos, Pollucem et Castorem, qui utique fratres fuerunt, et aliquando nocte Persen Macedoniae regem nunciaverunt victum [2], in quorum templo somniorum interpretes haberi solent, qui puros a pituita visus hominum exponebant. Aliter: Cum Romani pestilentia laborarent, Castor et Pollux in somniis populum monuerunt, quibus remediis morbi curarentur, et licet eorum multae essent statuae Romae, tamen [cum non essent] paratae sunt illis similes, quas postea Romani deauraverunt.

57. *Somnia pituita, qui purgatissima*, id est certa, quia pituita pleni nihil veri somniant. *Pituita* autem est purgatio cerebri, vel morbus gallinarum, qui ex edacitate nascitur, unde evenit, ut gravati homines somno non bona somnia videant. Sensus ergo est: Nam fratres inter aënos, quorum sacras effigies ovato auro perducis,

58. *praecipui sunto*, id est, sint praecipui honoris, magis colendi, honoratiores. Est autem *praecipui* adverbium.

59. *Aurum, vasa Numae.* Alter sensus est: Dum ovato auro effigies linit, expulit antiquum ordinem ministerii, quia Numa instituit, quibus aliis modis oporteat venerari deos. Numa Pompilius, rex Romanorum, vasis fictilibus usus est etiam ad religionem deorum, ex quo Numa dictus est, quod numinibus deserviret. Nam primus religiones invenit apud Romanos. *Saturniaque impulit aera.* Saturno enim in Italia regnante, aes in usu fuit, quod etiam postea in aede Saturni condebatur: unde *aerarium* dictum est. Nondum enim fuit argentum neque aurum. Illud enim aes una parte capite Iani notatum erat, altera nave, qua Saturnus fugiens ad Italiam

1 Ita Lindenbr. (ut refert Passovius ex exemplo Christiano, in Hamburgensi nihil inveni) Reiz. *Aegisthi* cett.

2 V. veterum scriptorum locos apud Klausen. Aen. II p. 665.

vectus est. Bene autem in illo nummo geminum erat signum, et hospitalitatis Iani, et adventus Saturni, quod *aes* postea, ut dictum est, *in aede Saturni condebatur, nondum argento auroque signato, unde aerarium nomen accepit. Fuit autem *assis* libralis hoc est libra appensus, et dipondius* duarum librarum, *quod hodie in usu remansit, et solebat pensari potius quam numerari, unde et *dispensatores* dicti *prorogatores* [1].* Et est sensus: Mysteria innocentium ac simplicium vasorum avaritia et [2] caeca removit ambitio. Vel quia Saturnus aereis vasis placabatur.

60. *Vestalesque urnas*, aut Vestae aut Vestalium virginum; utrumque enim est. Sunt autem vasa, quae serviunt Vestae, fictilia. Virginesque Vestales vasis fictilibus in sacris etiam usae sunt. *Tuscum fictile*, sive quod in Etruria creber usus vasorum fictilium fuerat, sive quod Tusci deorum simulacra fictilia fecerunt. Haec omnia luxuriante mundo mutata sunt.

61. *O curvae in terris.* Dicit, spiritum divinum hominibus natura esse inditum, et intelligentiam summam, animosque nostros originis divinae immemores esse factos, et more pecudum humum spectantes, ut Sallustius [3] ait: *quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Et caelestium inanes*, id est, qui ignorent caelestia, e quibus originem ducunt.

62. *Quid iuvat hoc, templis nostros*, id est, quid prodest, ut credamus, deos cupiditate aliqua vel ambitione, sicut homines, tangi? vel, ut humana corpora credamus deos luxuria, vel pompa, aut ambitiosis delectari carnibus, et felicitatem deorum in auro positam?

63. *Et bona diis ex hac.* Quid delectat credere cupiditate deos tangi, et bona eorum malis nostris existimare? *Pulpa* est caro sine pinguedine, dicta quod palpitet; resilit enim saepe et *viscum* vocatur, propterea quod glutinosa sit [4]. *Pulpa* dicta, quod cum pulte mista olim vescebatur, unde et *pulpamentarium* et *pulmentum* dictum [5]. Haec eadem pulpa, id est, hoc corpus nostrum omnium vitiorum causa est, quod detractive sceleratum appellavit.

1 Cf. Cramer ad schol. Iuv. VII, 165. *erogatores* Cas. Reiz.
2 *et* om. vulg.
3 Sal. Cat. I, 1.
4 Eadem habet Isid. origg. XI, 1. Papias s. v. Io. a Ianua s. v.
5 Eadem refert Isidor. origg. XX, 2.

64. *Haec sibi corrupto.* Hanc eandem carnem multis delectamur aromatibus, vestium magnitudinibus, margaritarum dignitatibus, et auri copia. *Casiam*, quam scilicet terra orienti proxima homines toto corpore contecto, paulum oculis relictis ad visum in terris propter multitudinem avium infensarum, quae sunt vespertilionum similes et gladicibus [1] colligunt, et se colligentes [2] aquarum superficiem in limi modum. Haec casia olivo mista unguentum facit. *Haec sibi.* Incipit iam de vitiis corporalibus loqui, et tangit delicias, quas sibi homines invenerunt. Casiam ad carnem reperimus. Corpus enim nostrum omnium vitiorum causa est. Est autem *casia* odoris genus, quod oleum corrumpit, ut Virgilius [3]:

Et casia liquidi corrumpitur usus olivi.

Et aliter: *Casia* herba, vel pigmenti genus, quo oleum meliore odore inficitur, quod oleum odoribus vitiatur.

65. *Haec Calabrum coxit.* Lanae coloribus tinctae corporis usibus inquiruntur ad ambitionem. Sensus est: Apulam lanam conchylio inficit. Ideo in Apulia, quod ibi oves plurimum nascuntur. *Vitiato murice*, cocto, vel fracto conchylio, quo tingitur purpura. *Vellus* autem ob hoc dictum, quod prius lanae vellerentur, non tonderentur.

66 sq. *Haec baccam conchae rasisse*, pro radere margaritas de conchis marinis. Uniones enim nascuntur in conchis, pro quibus baccas posuit, ut Horatius [4]:

Quaerunt unionibus onusta baccis.

Bacca ergo gemmae genus, quod in conchis nascitur. *Et stringere venas*, quia aurum et argentum de terreno pulvere separatur, et in fornace coctum in massam confertur. Ideo autem *crudum pulverem* dixit, quia coquitur, ut metallum fiat. Et bene *stringere*, quia coquendo redigitur in massam.

68. *Peccat et haec, peccat.* Haec faciendo ab integritate sua mores humani vacillant; in quo tamen crimine possumus hominibus ignoscere, eis scilicet, qui concupiscentiis non utuntur. Nam crimen est ambitione petere. Utitur tamen ea, quamvis peccet supervacua reperiendo. Cum habet tamen aliquem usum appetitorum, fortius peccat et amplius.

69. *At vos dicite pontifices.* Hoc dicit: Sacerdotes, reddite mihi rationem, quid opes in templis faciant? cur diis

1 *aligerisque serpentibus* ed. pr.
2 *coll. enim et sitilegentes* ed. pr.
3 Virg. Georg. II, 466.
4 Horat. epod. VIII, 13 sq., ubi: *Quae rotundioribus.*

et non usuris consecrantur? quibus diis tam sunt opes supervacuae, quam Veneri puppae [1], quas virgines nubentes donant. *Solebant* enim *virgines antequam nuberent quaedam virginitatis suae dona Veneri consecrare. Hoc et Varro scribit.* Si homines, inquit, auri cupiditate corrupti vitia incurrunt, ut [2] quid aurum superis, quibus solent haec vitia displicere?

70. *Nempe hoc* ibi facit aurum, quod puppae in templo Veneris. Et cum hoc faciunt homines, naturae vitio corrumpuntur; verum vos pontifices, dicite, in templis aurum quid facit?

71. *Quin damus id superis.* Feramus, inquit, ad templum dona, conscientiam bonam, et sic fiet, ut tantum mola salsa litantes exaudiant dii, quod potest et pauper; quod genus sacrificii non locupletibus tantum, sed maxime pauperibus facile est.

72. Per *Messalae* autem *propaginem* eos vult ostendere, qui non pura conscientia diis sacrificant. Hic autem *Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebrae eius in exteriorem partem verterentur.* Fuit enim et multis deditus vitiis. *Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Marcus Aurelius Maximus vocabatur, originem trahens ab Aurelio [3] Messala, qui septies [4] fuit consul; qui cum a quodam Gallo ad monomachiam in praelio vocaretur, corvus super galeam in capite eius sedit, et victo hoste Corvinus appellatus est.*

73. *Compositum ius*, honestam cogitationem, et ius compositum in animo, et secretas cogitationes et sanctas, et honesti tenacitatem, ut erui non possit. Animi virtutes enumerat, quas si quis frequentat, nullis victimis, sed farre tantummodo deos placat. Et discretas cogitationes honestatemque sanctam significat. Nam qui quaerit, inquit, iustus et innocens et fidelis esse, per haec honestus habetur et iam ture placabit deos.

1 Gloss. H. Steph. p. 176: *Puppae*, πλάγγονες, αἱ τῶν παιδίων νύμφαι.
2 Leg. *at*.
3 *Valerio* Fabric. Scilicet notum est, hic significari M. Valerium Corvum.
4 *sexies* Reiz.

74. *Et incoctum generoso. Incoctum*, id est valde coctum ac maturitate animi et honestatis plenum. *Generosi* dicuntur, qui propitio genio nascuntur, et ideo benevoli et honesti.

75. *Haec cedo, ut admoveam templis. Ce* in hoc loco adiectio syllabica: nam in *cedo* verbo producitur. Hic quoque sensus ab Horatio [1] sumptus est, qui ait:

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos penates
Farre pio et saliente mica.

SATIRA III.

1. *Nempe hoc assidue?* id est, numquid non assidue hoc facis? *Nempe* enim est *numquid non.* In hac satira in desidiam et intemperantiam hominum invehitur, et ita hesterno vino onerari, ut edormire ante horam quintam non possint, quam desidiam nunquam dicit evitari. Et quaeritur subinde causas necti, quominus studia celebrentur. Ad hoc ergo satirae principium pertinet, quod philosophi dicunt necesse esse vitiis sapientem incidere. Sed hoc inter sapientem stultumque interest, quod se vitiis sapiens cito evolvit, ibidem merso [2] atque involuto stulto. Ergo, ne is, quem Persius hac satira ob desidiam culpat, ad excusationem sui criminis dicat sapientem quoque posse aliquotiens vitio detineri, hoc primum ei poeta opposuit, quod is non aliquando, sed assidue vitiis semet tradiderit. *Hanc satiram poeta ex Lucilii lib. IV transtulit, castigantis [3] luxuriam divitum et vitia.* Et cum inducit paedagogum obiurgantem scholasticum, increpat humanam vitam, et dum exprobrat uni, omnium notat segnitiem. Et inducit unum ex comitibus alium castigantem. *Iam clarum mane: mane* nomen est temporis, non tempus. Nam *mane* quando ipsum tempus significat, adverbium est et verbo cohaeret, ut *mane venit, mane fecit;*

1 Hor. carm. III, 23, 17 sqq.
2 *menso* ed. pr. *inciso* Vin.
3 *castigans* ed. pr.

quando autem nomen est, epitheton sumit, ut est *clarum mane*, vel *mane novum* [1].

2. *Fenestras intrat, et angust.* Figurate quod lux prima per fenestras intrat. Mane scilicet per rimas fenestrarum se tota lux infundit, et ea capi non potest piger.

8. *Indomitum Falernum*, id est vinum multae virtutis, ut Virgilius [2] ait:

et durum Bacchi domitura saporem,

et Lucanus [3]:

Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

Sensus autem iste est: Tam diu hesterno [4] sopore deprimitur, ut possint hi, qui nimia ebrietate gravati sunt, tam longo somno crapulam Falerni vini discutere. *Falerna* autem regio dicitur Campaniae, ubi optima vina nascuntur, unde dicitur mons Falernus. Vel aliter. Utrum tantum dormimus, ut in tanto tempore, qui Falernum bibunt, concoquere possint, id est digerere? Unde et crudi dicuntur indigesti. Aut quanto concoquimus Falernum, aut quantum sufficiat Falerno tempus in nobis *despumare*, id est defervescere.

4. *Quinta dum linea*, dum umbra medii styli, qui in horologio est, quintam lineam attigerit; pro hoc, ac si diceret, usque ad horam quintam.

5. *En quid agis?* Unum ex comitibus inducit castigantem tamdiu dormientis desidiam et dicentem: Quid tamdiu dormis, cum iam aestus meridianus coeperit? *Canicula* ardentissimum sidus, quam ideo *insanam* ait, quod sub ortu eius multi aegrotent, aut certe insanam, nimiam, ut Virgilius [5]:

Insanam vatem.

6. *Et patula pecus*, id est, iam meridianae horae sunt, in quibus sole ferventissimo tactae segetes maturescunt et pecora nemoris umbras requirunt. Ut Virgilius [6]:

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant.

Ordo est: En quid agis? unus ait comitum dormienti.

7. *Verum ne. Itane?* Personam ponit interrogantis: an vere meridianae horae sint. *Ocius adsit huc aliquis.* Verba sunt surgentis de somno, vel vocantis famulos, et quod tarde respondeant, irascentis; et clamantis pueros, et irascentis, quod tardius respondeant clamanti.

1 Virg. Georg. III, 325.
2 Virg. Georg. IV, 102.
3 Lucan. X, 163.
4 Leg. *diuturno.*
5 Virgil. Aen. III, 443.
6 Virg. ecl. II, 8.

8. *Turgescit vitrea bilis*, id est ira *vitrea*, id est viridis, perspicua, quod iratus intelligitur ex vultu. Ira enim virides et pallidos facit homines. *Vitrea*, quae cito appareat, ac velut aliquid apparet, quod in vitreo vase ponas, ita qui cholera patitur, cito paret.

9. *Findor, ut Arcadiae.* Hoc dicit: Ita rumpor clamore, ut asinos credas clamare. *Arcadiae pecuaria* asinos dicit, qui primum in Arcadia nati sunt. *Findor*, id est rumpor, ut existimes Arcadicos asinos rudere, qui campum nacti insane exultant. *Ruditus* proprie asinorum est.

10. *Iam liber et bicolor positis. Bicolor*, id est, una parte crocea [1] capillis demptis. Ea, quae causantur qui pigre student, enumerat; et hoc dicit: Incassum excusas, quod vacatio alicuius officii te desidiae tam longae tradidit, cum habeas, quod agas, nisi tibi inventis vanis occasionibus vanas necessitates procures, dum vel crassum, vel nimis remissum causaris atramentum: aut non bonam calami dispositionem accusas, tuo quaerens otio consulere. Ambigua est enim *bicoloris* membranae ratio. Aut enim *bicolor* membrana, quia quondam capillos habuit; aut quae bicolor facta est, ut posuit capillos; aut merito *bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat* membrana, quae de pellibus animalium antiquitus scribebatur in una parte, nunc vero in utraque parte derasis tantum pilis. Vel hoc dicit, quod vigilans sibi occupationes per desidiam generat, dum aut de calamo intemperato queritur, aut de pingui aut aquoso atramento. Et notandum feminino genere *membrana.*

13. *Nigra quod infusa vanescat, *sepia*, pro atramento a colore posuit, quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine caeteri conficiant atramentum.* [2] Nigra sepia vanescit ex infusa lympha, quia ita sepia piscis nigrum habet sanguinem, ut atramentum ex ea conficiatur.

14. *Dilutas querimur*, id est, dissolutas nimia aqua fistula geminet. *Fistula* pro cannali calamo posuit exquisite. Et eum reprehendit, quod quaerendo hoc et illud tempus perdit, nec proficit.

15. *O miser, inque dies.* O magis atque magis periture desidia, qui tam inepte piger es et ad hanc dissolutionem

1 Cf. Iuv. VII, 23.

2 Ed. pr. hoc schol. non habet. Isidor. gloss. „*Sepia*, incaustum. Persius."

lapsus es. Et hoc dicit: Solent enim vitia processu temporis minui, cum in te contra accessu temporis augeantur, qui stultam imitaris mollitiem delicatorum, vel nobilium puerorum, quos ipsa magnarum divitiarum frangit luxuria, voces mutilas imitaris, ut *pappare* [1] pro comedere, et *lallare* pro velle dormire. Nam qui parvulas aves nutriunt, commanducatos cibos diducto earum rostro inserunt. Hoc genere nutrices etiam infantes delicatos instituunt.

16. *Palumbo*, et *columbo*, melius est, ut pueros intelligamus, quos quae [2] nutriunt blandientes columbos, pullos, et passeres vocant. At [3] cur non commanducatos cibos poscis? aut cur a nutrice iussus dormire, ploras? *quae infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe: *lalla, lalla, lalla; aut dormi, aut lacte.* [4]* Quod quasi irati infantes nolint.

19. *An tali studeam calamo?* Eius obiurgati verba sunt scholastici. Tu, inquit, calamum causaris. *Cui verba?* Hic poeta dicit: Tanquam fatuus ista loqueris, quia dum aliam rem ex alia causaris, tibi perit tempus, in quo nihil agis. Quid mihi has excusationes succantas?

90. *Succinis*, ut concinis, ita succinis, id est, submurmuras. *Tibi luditur*, id est, te illudis. *Effluis amens*, id est, desidia deciperis, tempore sine actibus trito. Alludit autem a vase vitiato, quod nihil in se continet, quemadmodum hic effusus per vitia, nihil sapientiae in se continet; ut Terentius [5] in Eunucho:

Plenus rimarum sum, hac atque illac effluo.

Effluis amens. Tempore quo tibi necessarium fuerat te facere aliquid, desidia laberis et deciperis.

21. *Contemnere*, scilicet, a vitiis, relicta virtute, quia virtus in te et rigiditas mentis et sapientia, quae vitia expellat, non est. Item **contemnere*, haec ab Horatio [6] male translata, intempestiva sunt: *quin tu*

Invidiam placare paras, virtute relicta?
*Contemnere miser.**

Sensus est: An virtutem paras, qua relicta contemnere? Hic

1 Gloss. H. Steph. p. 152: *Pappat, μασᾶται.*
2 *qui* leg. Hauthal p. 177.
3 *aut* vulg. Emend. Hauthal p. 179.
4 *lacta* Hauthal p. 179.
6 Terent. Eun. I, 2, 25.
6 Horat. sat. II, 3, 13, ubi *quin tu* non exstat.

quippe efficaciter. Neque enim officia extorquenda, sed voluntario petenda. *Sonat vitium,* *ut Virgilius[1]:

*Nec vox hominum sonat.**

Ambiguum est, cum non sit vitium sonare, et cum non sit proprium fideliae respondere, utrum sonat vitium, an percussa maligne respondet. Caeterum et *sonat vitium* active dicimus, ut *nec vox hominem sonat,* et *maligne* pro acriter dici potest. Hoc dicit ergo: Quomodo vas non bene coctum non acutum sonum reddit et tinnitum, et prodit vitium suum, ita et homo non bene sapientia politus vitium suum tentatus ostendit, et apparet, qualis futurus est, id est miser. *Ἀλληγορικῶς*

22. *viridi limo,* quod sono non tam cruda, quam cocta vasa explorantur. *Viridi limo,* id est, cruda, non cocta, vel adhuc habens limum, id est, argillam. Sed dubium utrum similitudine usus est, an allegoria.

23. Nam et *udum et molle* translatio. Et redit ad allegoriam, cum ait, *rota* esse effingendum, pro, erudiendum. *Nunc nunc properandus.* Translatio est a figulis. *Udum lutum es,* id est, non bene fictus, nec decoctus es sapientia, ideoque *acri rota,* id est veloci politaque doctrina debes omnia, quae in te vitiorum labes mollierat, corrigere. Item: *udum et molle lutum,* figurate, adhuc crudus es et assidua exercitatione formandus, ut fictilia circumactu rotae formantur.

24. *Sine fine,* sine intervallo, incessanter. *Sed rure paterno.* Hic anthypophora usus est. Sed inquis vel respondebis mihi, esse tibi rem familiarem mediocri frugalitatis farre contentam, et tibi posse sufficere, etiamsi minus proficias; vel etiam far modicum et salinum ac patellam, quibus rebus in sacrificiis utimur, *μετωνυμικῶς* vota et spes non improbas se concipere dicit, unde securior sit et minus timeat in rebus impetralibus et quae relevare hominem frugi possint.

25. *Purum et sine labe salinum. Sine labe* dicit sine macula. *Salinum* vas fictile, in quo sal ponitur.

26. *Cultrixque foci,* *quia delibatae[2] dapes in ea positae ad focum feruntur.* Ideo *cultrix foci* dicitur, quasi integram domum, ut[3]: *Hortor amare focos. Secura patella,* id est, securos faciens. Item: *cultrixque foci secura patella,* qua in rebus divinis utuntur, et non pa-

1 Virg. Aen. I, 318.
2 *deliberatae* ed. pr. *delibantia* Vin. Pith. *delibandae* Erem. Lind. *delibatae* Cas. Reiz. Klausen. Aen. II p. 632.
3 Virg. Aen. III, 134.

tella secura, sed ille quasi securus; et sine dubio hoc satis potest etiam intelligi, tanquam modo anthypophora sit et ille adhuc respondeat.

27. *An deceat pulmonem,* id est, inflatum esse.

28. *Stemmate quod Tusco.* Poetica et familiaris figura est. Dicit ergo: *An oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate millesimus a magno auctore numereris, et ramum aliquem ac lineam successionis a genealogo in stemmate numeratus obtineas? Vel in equitum Romanorum recognitione trabeatus censorem et donis militaribus insignis salutes[1]? Cognitio enim equitum Romanorum censoribus erat subiecta, quae nunc consulum est officii[2].* *Trabea* erat togae species ex purpura et cocco, qua operti nobiles Romanorum initio procedebant[3]. Trabea autem dicta, quod in maiori gloria hominem transbearet, hoc est ultra et in posterum ampliori dignitate honoris beatum faceret[4]. *Stemmata* dicuntur ramusculi, quos etiam faciunt advocati in iure, cum causam partiuntur, ut puta, Ille filius illius, ille pater illius[5]. Proprie autem dicuntur stemmata rotundae imagines: quoniam στέψαι Graece, Latine dicitur coronare. *Tusco* autem dixit, quod nobiliter in Etruria natus est; vel quod Tusci fuerunt nobiles apud antiquos. Hoc et Horatius[6] de Maecenate dixit:

Tyrrhena regum progenies tibi.

30. *Ad populum phaleras;* ornamenta, quae beneficio fortunae habes, quae te ornant extrinsecus, aliis ostende; *ego te intus et in cute novi,* id est, animo et conscientia, quod vitiosus es.

31. *Discinctum* dicit negligentem et perditum, ut Horatius[7]:

1 *salutas* vulg. Corr. Reiz.
2 Cf. Lips. de mil. Rom. I, 5.
3 Eadem sunt apud Isid. origg. XIX, 24, nisi quod *reges* dicit. Cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 612.
4 Haec omnia de trabea iisdem vv. refert Papias s. v., nisi quod apud eum est *transveheret.* Io. a Ianua: „*Trabea.* A transbeo, as dicitur haec trabea, genus vestis imperialis, qua soli imperatores utebantur, quasi transbea, quod ultra alios beatum designabat.“
5 Eadem Isid. origg. X, 6. Io. a Ianua s. v.
6 Horat. carm. III, 29, 1. 7 Horat. epod. I, 34.

Discinctus aut perdam nepos.

Vel discinctum, obesum et ventricosum luxuria, quia cingi non possit. Nam ob pinguedinem incalluisse hunc Natam induxit: quod potest ab Horatio [1] videri translatum, qui ait:

ungor olivo
Quo non fraudatis immundus Nata lucernis.

Apud utrumque tamen Nata nomen fictum est. Alii putant Natam fuisse quendam luxuriosum, qui patrimonium suum perdiderit, et nobilitatem male vivendo exturpaverit [2].

32. *Sed stupet hic vitio.* Sed hic incalluit et tam crassi cordis est, ut peccare se non sentiat et semel mersus nesciat emergere, id est a malis suis ad bona verti non possit, miserabilis magis, quam reprehendendus [3].

34 sq. *Et alto demersus.* Hoc dicit: sicut ii, quos vorago coenosa absorbet, non remissi ab alta undarum fauce ebulliunt, ita hos quoque, quos magnitudo criminum mersit, necesse est vitiorum mole gravatos nescire quomodo virtutem agnoscant, vel qua arte sceleribus careant.

35. *Magne pater divum.* Ut ostendat, quid mali patiantur, qui cum cognoscant et videant bonam vitam, malam tamen sequuntur, hic precatur Iovem, ut tyrannos, hostes publicos, hac poena afficiat, cum vindicat, ut faciat eos videre bonam vitam et gloriae probitatem, nec tamen sequantur, possessi actibus pravis. Ergo

36. *haud alia ratione,* non dissimili poenarum conditione, quam ut virtutem cognoscant, et cognitam deserant.

Cum dira libido, id est, cum malignitas eorum et cupiditas prava surrexerit, vel prona voluntas circa quamlibet rem.

37. *Ferventi tincta veneno.* Nunc animi venenum ait, ideo ferventi. *Metaphora a lana, quae corrupta ad pristinum colorem reverti non potest.*

39 sqq. *Anne magis Siculi.* An maiora tormenta passi sunt ii, quos Phalaris Agrigentinorum tyrannus tauro aeneo torquebat inclusos; an gravior sollicitudo Democratem [4] philo-

1 Hor. sat. I, 6, 123 sq.
2 *exstirpaverat* ed. pr.
3 In cod. Par. 8272 hoc schol. exstat: „*Pingue*, pinguatum habet cor, ideo non curat legere; *pinguedo* enim non est Latinum. Pingue enim cor homines facit hebetes, quod probamus ex onagro. Nam onager ceteris animalibus cor habet pinguius, et ideo stultior omnibus esse videtur."
4 *Democritum* Vin.

sophum torsit, quem Dionysius tyrannus opus et felicitatem mirantem, invitavit ad coenam, appositoque apparatu omni eum magnis epulis frui iussit, sed ita, ut gladius ligatus seta ex laquearibus supra cervices eius penderet, quam torquentur huiusmodi suis cogitationibus, cum se decipi intelligunt, neque tamen corrigunt et apud se ita murmurant, ut nec uxori credant, ut secretum eorum ea nesciat, quae scire debeat. Item *Quod proxima nesciat uxor:* Uxor, inquit, quae est proxima, i. e. corpore adiuncta. *Imus, imus praecipites.* Quomodo ille, qui sibi soli dicit vitia sua, et ne culpetur, non vult ea pandere, ita, ut uxori hoc secretum abscondat, et tantum tormentum animi cum silentio sustinet. *Quam si sibi dicat*, non furore compulsus, sed interna conscientia furtim obmurmuret.

44. *Saepe oculos memini.* Sensus est: Tu autem, cuius desidiam et inertiam culpo, non potes tua crimina pueritiae venia refugere. Omnes quidem sapientiae propter aetatis ignorantiam pueriles ludos praeponimus: tu vero iam potes et vitia morum corripere, et sapientiam cognoscere, et vitae viam meliorem indagare. Et enumerat quae puer fecit, ne ad scholam iret. *Merito, inquit, mihi lippitudinem accersebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moreretur, an non: aut quibus verbis uti potuit, cum se destinaret interficere.* Oculi autem oleo tacti perturbantur ad tempus, et tamen tormentum hoc cum silentio sustinebat, ut turbatis oculis ad scholam non iret. Quasi divisus sensus a superioribus est. Sed eo respondet a pueritia eos aversum ab eruditione habere animum. Poetico autem more finxit hunc sensum. Merito mihi accersebam lippitudinem: id enim mihi potissimum erat, talis ludere et vim uniuscuiusque casus nosse, et in collum orcae nuces iactare, et turbines flagellare. Et hinc dicit, quibus modis pueritia evitabat studia.

46. *Insano magistro*, id est nimis sano, ut est illud Virgilii [1]: *insanam vatem aspicies*, pro valde sanam. Aut certe *insano*, qui discipulorum suorum carmina laudabat, cum aliorum debuerant iudicio comprobari.

47. *Quae pater sudans*, id est sollicitus de spe filii recitantis.

1 Virg. Aen. III, 443.

48. *Iure etenim id summum.* Hoc erat, inquit, mihi potissimum, talis ludere, id est tesseris, et vim cuiuscunque casus nosse. *Dextrum senionem* dicit propitium, quia in iactura talorum semper boni aliquid affert. Aut **senio maior missus, ut Sceva; immerito*[1], *inquit, flebam ista*[2], *cum semper luderem*[3].* *Tali* in hoc loco tres tesserae sunt, numerum impressum tenentes in alea. *Senio* autem et *canicula* et *Venus* propria nomina iactus tesserarum sunt. Verbi gratia. Dum tres seni proveniunt, is iactus *senio* est. In quo notandum, quia interdum etiam est sinister; dum vero tres uni, *canicula; Venus* autem, dum iactus iuxta rationem numeri optime connectuntur. Quam connexionem unio, i. e. canicula in fine tabulae efficere solet[4].

49. *Damnosa canicula.* Canicula pro *cane*, quae in calculis ex omni iactu talorum quinque detrahit, excepta Venere, in qua sola prodest. *Canicula* enim genus est aleae, quod de numero quinque subtrahat.

Angustae collo non. Collo amphorae ex distanti loco ait nuces mittere, ut manus non erret; qui ludus ubique celebratur, et ita praestat, ut extra collum missae nuces non colligantur; ludo (?) nucum circa orcae collum ponitur, et qui certo iactu iacit in eodem collo, victor existit. *Orca*[5] est amphorae species, cuius minore vocabulo *urceus*, diminutivo *urceolus* est.

51. *Buxum torquere flagello*, id est, turbine buxeo ludere potior; *flagello*, ut Virgilius[6]:

Dant animos plagae.

52. *Haud tibi inexpertum curvos.* Aut interrogative aut pronunciative legendum, dicens, non illi esse incognitum pravos et turpes et peccantes mores, quos *curvos* appellavit.

1 *maior demissus ut sena. Merito* ed. pr. in quo verum latere videtur. *ut canis minor* Erem. Lind. Reiz.

2 *istam* Vin. *istas* Pith. *istos* Erem. Lind. Reiz. *ista* Cas. Legendum videtur *studebam* vel *sciebam ista.*

3 *laudarem* ed. pr. Vin. Pith. *luderem* Reiz.

4 In cod. Par. 8272 hoc schol. est: „Ludus tesserarum apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, trio, quarto, senio. Appellatio singulorum mutata est, et unionem *canem*, trionem *pupum*, quaternionem . . . . (lacuna) vocaverunt.“

5 Eadem Isid. origg. XX, 6. Papias s. v. Schol. Lucan. V, 394 *orcam* dicit esse urnam, in qua sortes antiqui mitterent. Cf. Wunder. Var. Lectt. p. CLXII.

6 Virg. Aen. VII, 383.

Ergone vidisti dextrum litterae Pythagoricae? Aut magis pronunciative: Certe degustasti philosophiam.

53. *Quaeque docet sapiens.* Atheniensium porticum dicit, in qua picta erat pugna Atheniensium et eorum, qui cum Xerxe Persa ad oppugnandam Graeciam venerant, gesta apud Marathonios campos, quam porticum sapientem dixit, quoniam sapientes in ea philosophabantur, ex qua etiam *stoici* dicti; Graece enim porticus στοά dicitur, quam et *Πεισιανάκτειον* [1] vocant.

54. *Insomnis quibus et detonsa iuventus*, id est, nosti etiam illa praecepta, quibus invigilat *iuventus intonsa*, id est philosophi, qui non tondebantur.

55. *Siliquis et grandi pasta polenta*, id est, naturalibus cibis vivere contenta, id est, leguminibus et farre; vel victu facili esuriem suam implens; aut quia philosophi non utantur carne, dicentes animas animabus non debere dari. Unde Ovidius [2]:

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animam animantis vivere leto.

56. *Et tibi quae Samios.* Haud tibi inexpertum est, quae Pythagoras Samo insula ortus praecepit, qui literam Y invenit ad modum humanae vitae, quae in infantia, vel in initio monitionum paedagogi, et paterno metu secta non est. At postquam in adolescentiam quis venerit, dividitur. Et in sinistra parte rami velut vitia sunt, quae devexioribus facilem ad se praestat ascensum. Et altera dextera, in qua virtutis opera celebrantur, arduum ac difficilem limitem pandit: qua qui evaserit, quieta sede excipitur: quas partes quisquis ab anno sextodecimo obtinebit, in iis fuerit staturus. De qua similitudine dicebat per vitia ad perniciem cito tendi ac perveniri, ad felicitatem per virtutem tarde veniri.

57. *Surgentem dextro monstravit limite callem*, arduum ac difficilem, sed gloriosum et certum.

58. *Stertis adhuc*, cuius aetas apta est sapientiae, et philosophis praeceptis. *Laxumque caput compage soluta*, id est, crapula marcidus, vix caput sustinens iuncturis maxillarum extensis in rictum et vehementer patefactis.

1 *pisionatum* ed. pr. *ipsi ἀνάκτιον* Vin. Emend. Rutgers. VV. LL. V, 1.
2 Ovid. Met. XV, 88 sqq.

59. *Oscitat hesternum*, crapulam significat, ut est illud Virgilii [1]:

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

60. *Est aliquid, quo tendis?* Interrogantis est. Proposuistine tibi aliquod genus vitae, quod sequi debeas, et in quo nervos animi extendas? An vagus sine proposito vitam peragrans, ut libuit, omnia facis?

61. et *corvos* lapidibus insectaris, quod est inertium et stultorum indicium. Corvi enim instabiles sunt, huc illuc transvolantes, et non curant aut in alta arbore sedere, aut in palustribus in aquaticisque locis, et adulteros figurant [1].

62. *Ex tempore vivis*, hoc est, non quo te sapientia, sed quo vitiorum impetus duxerit, traheris. *Atque ex tempore vivis.* Cum tua nihil putes interesse, quo te pedes ferant, ad horam, et nihil de crastino cogites: habes, inquit, iam propositum rectioris vitae, an adhuc titubans nondum invenis firmiorem sententiam, quae te cogat aliquod remedii genus quaerere, ut tuae vitae, victus iam turpitudine, subvenias.

63. *Helleborum frustra cum iam.* Stulti quidam solent inveteratis morbi vitiis medendi remedia implorare, cum utique primo cavendum sit, ne quis sanis membris morbus irrepat. Ἀλληγορικῶς, a medicis tractus intellectus. Sic hominibus captis turpitudine subveniri non posse, sicut a medicis non potest valetudine diutina victis subveniri. *Helleborum* autem medicaminis genus est, quod hydropici saepe bibunt, quod si nimium sumpserint, necat.

65. *Magnos promittere montes.* In proverbio est: *montes aureos.* Grandia enim promittunt, qui in periculo sunt. Satius est ipsis venientibus morbis occurrere, antequam morbus veniat, cavere. Quid enim prodest post morbos sera remedia quaerere et Cratero medico multa promittere? Hic *Craterus* Augusti temporibus nobilis fuit, de quo Horatius [3] dicit:

Non est cardiacus: Craterum dixisse putato.

Per hunc vult omnem medicum accipi.

66 sq.. *Discite, et o miseri, et causas cogn.*, id est, philosophiam. Dicit, unumquemque debere discere omnium rerum rationem, ut sciat, quid ipse est, et ob quam causam natus est. Sed et finem vitae debet intueri et quae fugiat,

1 Virg. ecl. VI, 15. 2 Cf. Iuv. II, 63.
3 Hor. sat. II, 3, 161.

quae exoptet, quemadmodum in cupiditate teneat se, quod bonum, quod malum asper nummus habeat, vel quantum suis parentibus largiri oportet, unde est [1]:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Discite ergo aut naturalem philosophiam aut moralem. Naturalis est quae tractat de rerum natura, moralis quae de moribus nostris. Et hoc dicit: Discite in quem usum nascimur victuri aut qualiter victuri et quid futuri. *Quid sumus, aut quidnam.* Quia mortales et rationis capaces, et a ceteris animantibus sola ratione discernimur, quam nos sequi decet; nam ideo facti sumus, ut cum hac vivamus. Quae ratio officiorum et qui finis beatae vel facilis vitae, vel quam cito vita nostra terminetur, quam debemus virtute protendere.

67 sq. *Ordo quis datus, aut metae;* id est, unde et ubi vertamur, vel quem ordinem vivendi natura constituerit; quia decet sapientem, ut in bono vitae proposito constitutus, si necesse est inflecti, ad meliora flectatur.

69. *Quis modus argento.* Quis habendi divitias modus sit. *Quid fas optare.* Quid maxime optandum est, quia solent stulti optare sibi saepe contraria.

70. *Quid asper utile nummus habet,* hoc est, quid in se utilitatis divitiae habeant, quia ille bene possidet divitias, qui eis non abutitur, sed cum honestate dispensat. *Asper nummus*, aut male partus, aut criminosus. *Patriae carisque propinquis.* Quomodo patriae vel propinquis sit largiendum, siquidem largitatem remuneratio, tenacitatem poena subsequitur; ut Virgilius [2] hoc volens ostendere ait:

et qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis.

Et Horatius [3]:

Cur eget indignus quisquam te divite?

71. *Quem te Deus esse,* hoc est rationabilem et disciplinae capacem.

72. *Et humana qua parte locatus es in re,* id est, in humana re ad quos usus constitutus sis, scilicet, ut sapientiam consequaris; vel, quod regnum teneas inter omnia animalia.

73. *Disce,* subaudi philosophiam, et non invideas divitibus, quod sapientia non est, in quorum cellariis tanta est

1 Virg. Georg. II, 490.
2 Virg. Aen. VI, 606 sq.
3 Hor. sat. II, 2, 103.

dapium abundantia, ut etiam putrescant epulae, quae consumi prae multitudine non possunt; quae cellaria muneribus pinguium Umbrorum vel clientum referta sunt, quibus defensionem patrocinando praebet.

74. *Pingues* autem *Umbros* dixit nobiles, populos Tusciae, Umbria enim Tuscia est, ut Virgilius [1]:

Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.

Et bene *penu* dixit, non *penore*, ut Virgilius [2]:

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum struere:

quia ab eo, quod est *penus*, facit huius *penoris*, ab hoc *penore:* ab eo, quod est *penum*, huius *peni*, ab hoc *peno* [3]. Ergo quas tibi partes iniunxerit deus in convictu, qui cum hominibus est, summa illarum partium omnium est philosophari: nec te abstrahat admiratio abundantiae et potentiae causidicorum a sapientia, quod plerisque iuvenibus accidit.

75. *Et piper et pernae*, subaudi putent. *Monumenta* sunt munera, quae memoriam efficiunt, eo, quod memoriae haereant, qui ea dant, aut quia mentem moneant.

76. *Maena* salsamenti genus est ex pisce minuto, quae locupleti oblata est prius quam finiret illa, quae in cellario primum habuerat.

77. *Hic aliquis de gente hircosa. Hircosa* dixit aut ab odore corporis, quia ex multo labore et cibo et somno foetidum sudant, aut ad mores barbaros retulit, ut quidam eorum dici putidi solent. Et hoc poeta dicit: Me de philosophia tractantem si quidam militum audiat, hoc dicat.

78. *Quod satis est, sapio mihi*, hoc est, sufficit mihi naturalis sensus nullaque ex philosophia eruditione delector.

79. *Non ego curo esse quod Arcesilas.* Non curo esse hoc, quod Arcesilas philosophus, aut Solon, qui apud Athenienses philosophus et legislator erat, qui duas tabulas legibus addidit. *Solones* autem sane more Romano dixit, ut Catones, Camillos, Drusos. *Aerumnosi* autem, quia frugalitas philosophorum misera videtur luxuriosis et prodigis, eo quod animum colentes corporis cultum abiiciant. *Arcesilas* Scythi filius, Pitanaeus, Cyrenaicus philosophus peritissimus fuit, qui Academiam primus invenit.

1 Virg. Georg. II, 139. 2 Virg. Aen. I, 703 sq.
3 Cf. Serv. ad Virg. l. l. Reisig. gr. lat. § 85.

80. *Obstipo capite*, quod tacita et intenta cogitatione quasi obstupidi videantur. *Obstipo*, id est inclinato et gravitatem simulante et cum obliquitate fixo. *Et figentes lumine terram*, id est, luminibus immobiliter in terram fixis, ut Virgilius [1]:

Obtutuque haeret defixus in uno.

Et alibi [2]:

Divo solo fixos oculos aversa tenebant.

81. *Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt*, id est, cogitationes atque inventiones suas susurro immurmurantes et disputationes suas minutas et sensim prolatas.

82. *Atque exporrecto trutinantur*, id est, dialectico more verba examinantes; quorum disputatio talis est, ut quasi diu aegrotantium hominum somnia videantur. Hoc disputantes,

84. *de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Prima physicorum quaestio est, et de qua inter omnes convenit, nihilum de nihilo nasci, et nihil in nihilum solvi. Et mundus de nihilo factus est et in nihilum redigetur. Ideo autem mundum nihil esse dixerunt, non quod hoc est, sed eo quod erit, quia ex nihilo est, in nihilum vadit. Quae omnia negat centurio velle se discere: et dicit ita: Philosophi sibi oculis formant, de quibus scripturi sunt, ut sunt diuturna infirmitate homines, quibus siccitate febrium et insomnitate diversorum imagines oculis eorum formantur. Stoici asseverant, non posse ad nihilum aliquid reverti et aliquid non in nihilum dissolvi. Nam corpus atomis constat, quod cum decidit, in atomos dissolvitur. Et ad utrumque respondet, posse gigni de nihilo nihilum, ad nihilum nil posse reverti.

85. *Hoc est, quod palles.* Ipse adhuc loquitur: Ex tali studio palles? Ecce ieiunii fructus; quia tam diuturna cogitatio tanquam lucubratio vel inedia pallorem corporibus iniicit.

86. *His populus ridet.* Verba poetae. Id est, de talibus verbis. *Multumque torosa iuventus.* Istis ergo disputationibus ridet populus et torosa iuventus. Aut *multum ridet*, aut *multum cachinnos ingeminat*, aut *multum tremulos*, aut *multum naso crispante.*

88. *Inspice, nescio quid.* De iis nunc dicit, qui infirmitate invalidi vitia cupiditatum suarum superare non possunt et ebrietate aut aliis vitiosis desideriis tracti in maius aegritudinem suam corroborant, ut etiam usque ad mortem per-

1 Virg. Aen, I, 495. 2 Virg. Aen. I, 482, cf. VI, 469.

veniant. Et sunt verba aegri loquentis impatienter, quod salutem suam negligit. Item: *inspice, nescio quid.* Ad superioris sensus vim redit:

Helleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas:

et in eos invehitur, qui non opus sibi medicina esse dicunt et dant poenas huius contumaciae.

89. *Gravis halitus*, id est, *male olens*, ut Virgilius [1]:

et graviter spirantis copia tymbrae;
grave olentia centaurea.

Sodes, id est, sodalis [2], *aut antiquae affectationis est, adeo ut soluto eo quidam usi sint, ut Plautus [3], qui per solutionem sic ait: *Dic mihi, si audes, quae ea est, quam ducere vis uxorem?**

90. *Iussus requiescere, postquam.* Hoc poeta dicit: Postquam ille aeger a medico iussus est requiescere et tertia dies eum sanum invenit, rogat famulos, ut de nobili apotheca lagena Surrentino plena vino sibi antequam lavet prius adducatur.

92. *Modice sitiente lagena*, id est, non valde plena, quae non impleatur nisi usque ad collum; vel quod vetustate decoquatur ac per sese tanquam sitiens ebibat [4].

93. *Surrentum*, oppidum Campaniae, quod bona vina mittit, id est electa, lenia. Vel vina Surrentina, cum sint fortissima, dixit *lenia*. Unde et Horatius [5]:

Surrentina vafer qui miscet faece Falerna.

94. *Heus bone tu palles.* Verba medici ad aegrotum, quae ostendunt non finitum esse laborem. Et introducuntur

1 Virg. Georg. IV, 31; 270.

2 Io. a Ianua: „*Sodes.* A suadeo, des dicitur sodes adv. blandientis vel obsecrantis, unde Ps: Iuveniuntur adverbia terminata in *es* productam, ut *sodes*. Alibi tamen connumerat *sodes* inter verba defectiva, sed ibi secutus est opinionem eorum, qui dixerunt, quod *sodes* est verbum comicum, ut *sodes* i. si audes. Sed est sine dubio vox blandientis et obsecrantis. Quod autem quidam dicunt, quod *sodes* tantum valet, quantum *socius*, omni caret ratione sec. Hugucionem.“

3 Plaut. Aul. II, 1, 48, ubi nunc legitur: „*Die mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem.*“ Prisc. XIII, 3 p. 960: „*Die mihi, si audes, quis ea est, quam vis d. u.*,“ et ita voluit Voss. de anal. IV, 28.

4 In cod. Par. 8272 hoc schol. est: „*Lagena*, vas, a graeco λαγώς, latine *lepus*.

5 Hor. sat. II, 4, 55.

moriens et monitor loquentes, quorum alterna responsio est. *Nihil est.* Verba aegri curam spernentis; et medicus: *Videas tamen istud quicquid id est.*

95. *Surgit tacite tibi lutea pellis*, id est tumescit. Hydropicis enim luteus color est, id est subcroceus.

96. *At tu deterius palles.* Item aegrotus incandescit, et dicit: Quid me mones? *Ne sis mihi tutor*, quem ego iam pridem extuli, id est obrui. *Tu restas*, id est resistis; aut certe: tu alter tutor es, aut ille, quem sepelivi. *Perge, tacebo.* Et medicus: Quia perseveras non curari, sileo, et discedo.

98. *Turgidus hic epulis.* Ostendit negligentiae causa fieri hoc, dum impatientia gulae tantos cibos sumit, quos digerere difficile sit. *Turgidum* dicit crudum, indigestum, ut Iuvenalis [1]:

Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.

Albo ventre, hydrope pallido.

99. *Gutture sulphureas*, id est non coctum cibum ructans. *Sulphureas mephites*, a loco foetido dixit, qui in Italia graviter spirat, ut Virgilius [2]:

saevamque exhalat opaca mephitin.

Id est indigestionem; vomitus sulfurei. Vel *sulfureas*, indigestas, corruptum ructans, aut putidas.

100. *Calidumque triental excutit. Triental* [3] dicit calicem talem, qui tertiam partem sextarii capit, aut tres heminas.

103. *Hinc tuba, candelae.* Quia sepultura tubis apud antiquos celebrabatur, ut Virgilius [4]:

It caelo clamorque virum clangorque tubarum.

Candelae etiam in sepulturis ante mortuos praecedebant: ut idem Virgilius [5]:

et de more vetusto
Funereas rapuere faces.

Beatulus dicit, non quod beatus sit, sed *quod nunquam splendidiore habitu fuerit,* quam eo, quo effertur; *aut certe, quia Romanae consuetudinis fuit simpliciter sepelire, ambitionem irridet, non quia μάκαρες et μακάριοι dicuntur mortui, non

1 Iuven. I, 143. 2 Virg. Aen. VII, 84.
3 Ita Vin. *trientem* ed. pr. 4 Virg. Aen. XI, 192.
5 Virg. Aen. XI, 142 sq.

est enim Romanae consuetudinis;* ὑποκορισμὸς derisum significat; *sed quia pretiosa in funeribus veste stragula, caeterique, etiam pauperculi, exponebantur.*

104. *Crassisque lutatus amomis*, id est, multis oblitus unguentis foras pedibus exibit mortuus de domo sua; *alto compositus lecto*, quia lecto melius strato in porta effertur, quam eo, quo dum viveret utebatur.

106. **Hesterni*, ait, a defuncto prius manumissi, id est, liberti, et cives Romani facti. *Capite induto*, quia manumissi pileati incedebant ante funus.* *Subiere*, quod plerumque ipsi manumissi manumissoris corpus portandum subirent.

107. *Tange miser venas.* De his dicit, qui desidiae suae consulentes infirmitatem fingunt, quam mox visis cupiditatibus suis abiiciunt, ut vel avaritia vel libidine trahantur. *In pectore* ideo dicit, quia quotum plus solito cor aut salit aut calet, infirmitatis indicium est. Considera, inquit, tui corporis qualitatem, et ex venarum motu sanum te esse cognosce. Sed si aut pecuniae capiendae spes fuerit aut puella mollis riserit forsitan, caleas, inquit, necesse est, et corde palpites, donec effectum res, quam desideras, sortiatur. Modo in avarum eumque luxuriosum invehitur et dicit: Intelligo te male valere.

108. *Summosque pedes att.* Digitorum summitates sive in manibus sive in pedibus si frigidae fuerint, infirmitatem insinuant. Ergo *nil calet* et *nil friget*, quod ait, aut ipsius aegroti interrogantis verba sunt et aliter pronunciandum est, quoniam ex cupiditate manuum summitates pedumque frigescunt, aut verba sunt respondentis.

109. *Visa est si forte pecunia, sive candida vic.* Haec dicit esse vitia, quibus perduntur ii, qui infirmitates simulant.

111. *Rite* autem dixit, iam non est infirmi, sed recte, ut sani. *Positum est algente catino.* Ad illum dicit, qui sese mollitiei dedicaverat. Fingis, quod non possit os tuum delicatum cibos durissimos transglutire, et *panem non deliciosius cribro discussum [1], sed plebeium, de populi annona, id est fiscalem;* sed frustra hoc fingis. Alia enim sunt animi tui vitia vel ulcera, quae non possunt levibus purgari remediis. *Algente catino*, non frigidum

1 *dec.* Reiz.

pulmentarium habente, sed misero et egestuoso, velut tales qui sunt algeant. Positum est in catino olus, et posita farina non scilicet catino. *Farinam* nunc panem dicit: et hunc fingit gregalem et plebeium esse positum. Hoc valet: Fingamus apponi tibi, qui consuesti elegantius vivere.

113. *Tentemus fauces.* Invitantis verba. *Tenero latet ulcus, ἀλληγορικῶς* vitium labii dicit usum vescendi.

114. *Quod* autem *non deceat,* aut quod non oporteat, quod impatiens sit: *radere* hoc exasperare dicit ulcus. Est alter sensus: Non levibus aut popularibus cibis tui fastidii ulcera possunt purgari. Hoc est, quod ait *plebeia radere beta. Beta* genus est cibi. *Radere* autem dicit extergere, ut Horatius [1]:

Hoc potius, quam gallina, tergere palatum.

115. *Alges, cum excussit membris.* Adiciitur etiam, quod instabilitas tuae mentis furiosum te facit; siquidem modo frigore, id est timore, tremebundus efficeris et pilos erigis — *aristas* enim pro pilis posuit, — modo in iram calefacto sanguine commutaris et ea dicis ac facis, quae etiam ipsis furiosis furiosa videantur. *Timor albus* dicitur pallidus, eo, quod timor homines pallidos faciat, sicut [2]:

Pallida mors aequo pulsat pede.

117. *Scintillant oculi,* id est, nimio calore inflantur, et cum times, frigore horrescis.

SATIRA IV.

1. *Rem populi tractas.* Hic de iis dicit, qui honoris cupidi supra modum aetatis suae publici moderaminis gubernacula quaerunt suscipere, quod significat per Alcibiadem, qui relictus a patre sub tutela Periclis [3], prae nobilitate et divitiis puer rem publicam Atheniensium administravit. Et est sensus: Cum puer es, possis rempublicam ministrare? *Barbatum hoc crede magistrum dicere,* hoc est: Puta Socratem loqui cum Alcibiade suo: qui Socrates in carcere cicutam bibit et

1 Hor. sat. II, 2, 24.
2 Horat. carm. I, 4, 13.
3 *philosophi* add. ed. pr. Vin., om. cod. Par. 8272.

periit ob hoc, quod in hunc discipulum infamis diceretur. Hic autem Socrates cum incriminaretur a turbis de turpi amore Alcibiadis discipuli sui, venenum bibit in carcere, quo puniretur, et postquam bibit, crimen suum purgavit; et dum ei diceretur, quod illud venenum, quod sumpturus erat, accusatoribus daret, noluit, sed ut ostenderet, nihil esse morte absolutius a crimine, sumpsit.

3. *Quo fretus?* id est, unde praesumis, ut rem populi tractes? Merito dicit *pupille Pericli:* quia sub tutela Periclis avunculi sui degebat: et tutores dicunt pupillos suos, quibus tutelam gerunt.

4. *Scilicet ingenium.* Credendum est tibi ante pubertatem magnum ingenium vel prudentiam venire, ut scias quid vel loquaris vel taceas; vel peritus es dicendorum et tacendorum. *Velox prudentia,* ideo dixit, quod celeritate sua pubertatem praeveniat sapientia.

5. *Ante pilos* autem antequam pili nascantur debet intelligi. *Pilos* autem pro *barba* posuit.

6. *Ergo ubi commota fervet.* Sensus est: Dum commota plebs furit, poterisne manu tua seditionem populi sedare?

7. *Calidae turbae,* id est fervore iracundiae excitatae.

8. *Maiestate manus,* quia quasi magna et profutura hominibus locuturi tacere iubent moventes manum. *Quid deinde loquere?* Ergo cum seditio orta erit, quibus eam verbis compesces? *Quirites,* abusive dixit, id est *cives.* Quirites enim cives Romani sunt.

9. *Puta,* nempe, adverbium est.

10. *Scis etenim iustum.* Hoc per ironiam dicit. *Revera scis iustitiam in lance pensare, et ipsius dubiae lancis rectitudinem calles discernere.* *Lance,* id est *libra.* *Et curvam regulam momentanae, ubi inter curva subit. *Regulam* dicit ipsum momentanae [1] stilum.* *Varo pede,* id est torto, hoc est declivi post pondus. Scis etenim aestimare huc illuc inclinans iudicium, donec in liquido stet sententia. *Pede varo,* id est inflexo et aliorsum quam ad rectitudinem deducto, aut *regula* nunc pro *norma* abusus est. Est enim ea vara.

1 Cf. Papias: „*Momentana* duabus lancibus et uno in medio stilo librata aequaliter constat, dicta quod parva modicaque pecunia in ea solita sit appendi.“ cf. Isid. origg. XVI, 24.

13. *Et potis es*, id est, possibilis es, ut Virgilius [1]:

At non Evandrum potis est vis ulla tenere.

Est sensus: Potesne damnare vitium, et tuo iudicio annotare *theta*, id est suam notam? Quoniam *iudices literam theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito *Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου*,* id est, a morte, *eo quod quasi habeat telum [2] suum, ideoque *triste* intelligitur, vel mortis signum; unde quidam ait:

*O multum ante alias infelix litera theta.**

14. *Quin tu*, id est, nunquid tu desinis ante diem populi favorem adulationibus captare, quorum adiumentis honore fungaris, cum sis tantum summa pelle decorus et non animo? Ideo autem *summa pelle*, quod verborum blanditiis malitiam sui cordis, donec ordinentur, abscondant.

15. *Ante diem* autem dicit in comitiis, quia comitiales dicebantur dies, in quibus ad futuros honores homines designabantur. *Blando caudam iactare popello*, id est, populo blandire? Translatio est a canibus, qui cum blandiuntur dominis, caudam movent. *Popello* diminutive a populo. Vel, desine igitur, speciose, populi iudicia adulationibus captare, et helleborum potius bibe, ut purgatus convalescas, nec optes quod implere non possis.

16. *Anticyras melior sorbere.* Pro tali ergo animi cupiditate eum insanum simulat poeta, quem et dicit non nisi multo helleboro posse purgari. *Anticyra* oppidum Phocidis, ubi helleborum nascitur, quod propter ingenium meliorandum percipitur: unde Horatius [3]:

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

Merito pluraliter *Anticyras* dixit, ut appareat eius tam magnae insaniae unam sufficere non posse. Ideo adiecit et *meracas*, id est pingues, ac si diceret pingues Anticyras. *Anticyras τροπικῶς* dixit, neque enim ipsa civitas sorbetur, sed helleborum, quod in ea nascitur.

1 Virg. Aen. XI, 148.

2 *τέλος* Erem. Cf. Isid. origg. I, 3: „Θ, quae mortem significat. Nam iudices eandem litteram theta apponebant ad eorum nomina, quos supplicio afficiebant. Et dicitur *theta ἀπὸ τοῦ θανάτου*; unde et habet per medium telum, id est, mortis signum. De qua quidam sic ait: *O multum ante alias infelix littera theta.*"

3 Horat. sat. II, 3, 83.

17. *Quae tibi summa boni est?* Adhuc hic sermo Socratis est ad Alcibiadem, et quaerit, quid summum bonum aestimet. Culpat per hunc etiam eos, qui in cultura corporis student et ingenium negligunt, quod Horatius [1] dicit:

Si bene qui coenat, vivit bene, lucet, eamus
Quo ducet gula.

Luxuriosum et otio deditum interrogat consequente responsione, quod summum bonum in coena lautiore et in nitore corporis ducat, hoc est nitido cultu, et epularum urbano apparatu. In quo fine beatam vitam reponis? Potest et respondentem eum facere. *Uncta vixisse patella.* Traditur autem Socrates ita Alcibiadi ad aurem dixisse, sed turpe responsum est. Itaque sic adaudiendum est, nempe, scilicet summa boni est tibi uncta vixisse patella.

18. *Semper et assiduo curata cuticula sole*, subaudi: summa boni est tibi. **Curata*, scilicet a chromatiariis. Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se et in sole erant, ut oleum corpus inbiberet, ut Iuvenalis [2]:

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem
*Effugiatque togam.**

19. *Expecta*, inspice, ut Lucanus [3]:

Omnis in Ionios spectabat navita fluctus.

Et hoc dicit: Inspice, si non ea, quae dicis, quaelibet anus respondeat.

19 sqq. *I nunc: Dinomaches ego sum*, Alcibiades quasi ita respondet; *suffla*, inquit poeta [4], id est extende te, et intumesce nobilitate, quod Cliniae et Dinomaches filius sis, quorum Alcibiades filius traditur. *Dinomaches*, subaudi filius. *Sum candidus, Esto: dum ne deterius sapiat pannucea Baucis.* Id est: Nunc suffla, et iacta te Dinomaches esse filium; consentio, te et divitem esse et formosum, dum te non minus intelligat Baucis pannucea, quae quotiens vendit ocymum, non sine modulatione vocis, id est, adulatione, ad ementes clamat. *Baucis* nomen fictum, inopis anus. *Pan-*

1 Horat. epp. I, 6, 56 sq.
2 Iuv. XI, 203 sq.
3 Luc. III, 3.
4 *ut poeta* ed. pr., quam in hoc schol. constituendo secutus sum.

nucea vulgariter pro [1] pannosa dixit, id est pannis obsita [2]. Dicit hoc, summum bonum esse coenandi, etiam anum esse dicturam.

22. *Discincto vernae*, a servitio absoluto vernaculo: vel quod secure et simpliciter vivat, vel quod praecincta tunica lintea [3] amiciuntur vernae. Vernae dicuntur vel qui Romae nati sunt, aut servi domi nati, aut utroque modo dicuntur. Est autem proprie verna domi natus. Aut dicit, qui pridie verna fuit, vel absolute verna dictus.

23. *Ut nemo in sese tentat*, id est, ut nemo intrinsecus se considerat, nemo vult sese experiri.

24. *Sed praecedenti spectatur.* Aesopus apologorum scriptor dicebat, unumquemque hominem duas manticas ferre vitiis plenas, et in ea, quae ante pectus est, aliena vitia, in ea vero, quae a tergo, nostra ferri, eoque evenire [4], ut aliena potius vitia delictaque videamus quam nostra. Unde merito Persius ait *praecedenti tergo*, hoc est, pectore, ubi aliena vitia cernimus. Et hoc dicit: Quam difficile est, ut quis se ipsum intelligat? quia cum omnes propriis vitiis palleant, aliena vitia tamen culpant. Item: *Ut nemo in sese tentat descendere;* facilius enim quis aliena vitia notat quam sua. Ab Aesopo, ut diximus, tractum, qui ait nos manticas id est duos folles vitiis repletos referre, et in ea mantica, quae ante pectus pendet, aliena vitia esse, in ea, quae a tergo est, ferimus nostra, ut magis aliena cernamus, nostra non videamus. Zopyrus [5] autem *φυσιόλογος* de vultu hominum mores agnoscebat; qui cum ad Socratem veniret, ait ei: *libidinosus es:* Alcibiades risit. At illum iniuriis discipuli afficere voluerunt, quod de magistro eorum iniuriose locutus sit. Tunc ille ait: Parcite, sum quidem libidinosus: sed meum est ipsam libidinem vincere.

25. *Quaesieris: nostin' Vectidi praedia?* Ab aliquo quaeris, an norit Vectidii praedia. Quorsum hoc dicat ambigitur, nisi ut [6] ostendat quod de alienis vitiis dicere solemus. Prudentes autem iniquitates hominum notant: ex quibus iniqui-

1 *pro* om. vulg.
2 Isid. origg. XIX, 22. cf. Hauthal. p. 235.
3 *licio* em. Marcil. 4 *evenit* vulg.
5 *Dopyrius* vulg. Cf. Cic. de fato 5, 10. Tusc. IV, 37, 80. Maxim. Tyr. XXXI, 3. Alex. Aphrod. 6. cl. Fülleborn. Beitr. VIII p. 30 sqq.
6 *ut* om. vulg.

tatibus nec sordidi nec mundi placent. *Vectidium* autem quendam dicit in Sabinis possidentem praedia non pauca.

26. *Curibus*, quod nomen loci est, unde et Iuno Curetis dicitur, quia ibi vehementer colitur. *Quantum non milvus oberrat*, quod dici solet *secundum proverbium: *Quantum milvi volant*,* quia milvi multum volant. Vel ὑπερβολικῶς ex proverbio tantam dicit regionem, quantam volans milvus circumire non possit. Inducit ergo per Vectidium diis iratis et malo genio natos, qui cum divites sint, esuriunt et sale et caepe vescuntur et poscam etiam in sacrificio libant, dum non velint dolium vini reserare. Hoc ergo aut poeta loquitur, aut ille, quem aliena vitia culpantem inducit, et dicit alii: *Quaesieris: nostin' Vectidi praedia?* Et ille: *cuius?* Et poeta: *Dives arat Curibus, quantum non milvus oberrat?* Et ille:

27. *Hunc ais?* Et poeta: *Hunc.* Et sequitur *diis iratis genioque sinistro*, natum subaudi, quasi sibi sinistro, quod dives esuriat et sale et caepe vescatur: quod et Terentius [1] ait: *suum defraudans genium comparsit miser.*

28. *Qui quandoque iugum pert.* Qui quotiens diem festum aratro fixo in compitis celebrat, timens seriolam vini aperire, acetum potat. **Compita* sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta.* Aut *compita* proprie a conpotando, id est simul bibendo, *pertusa* autem, quia pervius transitus est viris et feminis. **Vel compita* sunt non solum in urbe loca, sed etiam viae publicae ac diverticulae [2] aliquorum confinium, ubi aediculae consecrantur patentes,* ideo **pertusa ad compita; in his fracta iuga ab agricolis ponuntur* velut **emeriti et elaborati operis indicium,* sive quod omne instrumentum existiment sacrum. Vel *compita* dicuntur, ad quae plura itinera competunt. Quamvis rei divinae operatur: Nec sic tamen ab avaritia discedit: timetque dolium aperire diu servatum.

29. *Seriola* est orcarum ordo directus, vel vas fictile vini [3], vel dolium, vel apotheca. *Limum* pro luto posuit, quo dolia oblinuntur [4].

1 Terent. Phorm. I, 1, 10.
2 *viae publicae deverticula* Hauthal. p. 255.
3 Isid. origg. XX, 6.
4 Gl. cod. Bern. „*Deradere*, intsigilan, denodare. *Limum*, cleibesal."

30. *Tunicatum*, multis coriis purgatum. Non comedit, nisi pultem, farra et caepe, pueris plaudentibus atque ea desiderantibus, quia pueri pultes amant.

32. *Morientis*, dicit evanescentis, et mira *αὔξησις* non boni vini saltem in aceto morientis. Saepe enim videmus, ut evanescente sapore corrumpatur, quod vulgo *vappa* dicitur.

33. *At si unctus cesses et figas*. Hoc dicit: Si contra corpori curando indulgeas et uncto corpori, non deerit, qui alium cubito tangendo de moribus loquatur. Et infra subiicit, dicens aliquem tam perversos mores habere, ut excrescere barbam vel pilos sinat [1], quam pectat et balano unguento ungat et pilos in pudendis vellat. Est iuxta te quem nescis, qui te sic vitiis deditum emendet, et sputo castiget.

35. *Arcanaque lumbi*, scilicet podicem; et notandum singulariter *lumbi*.

36. *Runcantem*, depilantem. *Runcari* enim proprie segetes vel herbae dicuntur, cum extirpantur. *Vulvas* dicit secreta pudenda corporis, quae inhoneste et muliebriter vivens libidini dedicavit. *Vulvas* vero pro natibus posuit multo audacius; nam feminarum loca vulvae sunt.

37. *Tu cum maxillis balanatum. Balanum* genus unguenti, unde et Horatius [2]:

Pressa tuis balanus capillis.

Et hoc dicit: Cum barbam nutrias, et unguento madidam pectas: quare inguina tua psilothro denudas? Item *gausape* dixit propexam barbam. Id est: Cum pexa barba delecteris, quam in maxillis tuis velut gausape habeas unguentatam, et defricatam balano: cur pubem vulsam habes [3]?

38. *Gurgulionem* autem nunc penem dicit, cum proprie in gutture sit gurgulio [4]. Hinc iterum translationes sunt fortes. Sic fere a tonsoribus curantur, ut in maxillis pexa barba sit et unguentata, infra mentum autem detondeatur. Ideo autem dixit gurgulionem detonsum extare, scilicet libidini alienae.

1 *non sinat* vulg.
2 Horat. carm. III, 29, 4.
3 Gl. cod. Bern. „*Pectas*, strâles.“
4 Io. a Ianua: „*Curculio* dicitur quasi gurgulio a gutture. Et hinc facta translatione curculio dicitur priapus; cum enim est inflatus, est similis illi vermi, totus enim videtur constare in gutture. Et vere nihil aliud esse videtur, nisi guttur. Secundum Hugutionem.“

39. *Quinque palaestritae licet.* Sensus est: Licet athletae aut certe tonsores capillos tuos semper evellant, fieri tamen non potest, ut evulsi non iterum crescant, quemadmodum filix herba, quae multas radices mittit; et licet aratro vellantur, non tamen eius radices funditus extirpantur. Et bene ait *plantaria*, permanens in metaphora, pro quo superius dixit *runcantem*.

40. *Elixasque nates*, id est psilothro demollitas labefactent [1] et pilis demptis expoliant.

42. *Caedimus inque vicem praebemus.* Allegoria a sagittariis, qui aliena crura sagittis feriunt, et sua ferienda aliis praebent; et ad superiorem sensum pertinet, quo dixit: *Sed praecedenti spectatur mantica tergo.* Ita et nos vitam obiurgamus aliorum, et alii nostram, et hoc omnibus commune esse dicit, quod in vicem nos carpamus inter nos atque alios reprehendimus et reprehendimur.

43. *Vivitur hoc pacto: sic novimus*, ut culpemus et culpemur.

44. *Ilia subter caecum vulnus habes.* *De gladiatoribus tractum, qui accepto vulnere [2] inaurato balteo tegunt.* Ita et nos vitia nostra aliquo dignitatis velamine vel praetextu divitiarum celamus. *Sed lato balteus auro.* Hoc est: Nobilitas celat vitia: vel et hoc videri potest, quod omnes habent, quod occultent. Ἀλληγορικῶς expressit intellectum gladiatorum. Nam et nos habitu et dignitate tegimus mala nostra, cum ipsi eis assentiamur.

45. *Ut mavis da verba.* Qui vulnus accepit, dissimulat, et aliorum visus vel suspiciones illudit, caeterum *nervis*, id est viribus suis, *verba non potest dare*, id est, non potest fallere conscientiam suam.

46. *Egregium cum me vicinia.* Verba illius culpati interrogantis poetam: Si bonus et honestus vulgo videar, non credam, aut iudicio populi fidem non habeam? aut si boni vulgo dicimur, quid ad rem, si sine ratione vivimus?

47. *Viso si palles improbe.* Si cupidus es et ad conspectum pecuniae pallescis, si libidinosus, et gravis debitoribus foenerator, supervacuo aures tuae laudantium vocibus inflantur.

1 Gl. cod. Bern. „*Labefactent*, besleifen.“
2 *accepta vulnera* Erem.

49. *Puteal* vicus est apud urbem, ubi foeneratores debitoribus pecuniam credebant. *Puteal* autem dictum est, quod ibi debitor creditori dans bona sua, tanquam in puteum mittat. *Vibices* dixit cicatrices ἀλληγορικῶς, quod foeneratores debitoribus suis usuras innovantes tanquam vulnerum in eis cicatrices aperiant. *Flagellas* dixit, id est ad exigendum eos commoves. Haec omnia faciens, frustra opinioni vel existimationi popelli credulas aures accommodas. Quid enim ad rem pertinet, si vitiosis moribus sumus et sine ratione ac modo vivimus? Tunc bonum te, inquit, cives iudicabunt, si contemnes pecuniam, incorrupte vixeris. *Foeneratores ad puteal Scribonii Libonis [1], quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum consistere solebant.* *Puteal* autem dictum est, in quo foeneratores deambulabant. Est hypallage, id est sensus conversio. Non puteal flagellas, sed debitores, qui illo conveniunt. *Multa vibice*, id est multa et gravi usura. Siquidem ut vibices, hoc est plagarum cicatrices, faciunt homines recordari, ita usurae, damnum patrimonii facientes, cogunt mendicare debitores. *Vibice flagellas*, asperas usuras pecuniae. *Vibices* sunt plagarum tumores ac livoris vestigia. Vel *vibicem* dicimus genus arboris lentae, quod vulgus *biduvium* vocat.

51. *Respue quod non es;* id est: respue laudibus capi, quas in te non habes nec agnoscis. *Tollat sua munera cerdo*, adulationis. Barbarus ille, imperitus nescio quis ex populo, sibi habeat, quo te laudat; aut unus ex vicinis, quem alloquitur, habet falsum testimonium. Per *cerdonem* plebeiam turbam significat. Ideo *cerdo* populus dictus ἀπὸ τοῦ κέρδους. Nam κέρδος *lucrum* dicitur [2].

52. *Tecum habita;* id est, quod nemo magis, quid sis, scire potest, quam tu, qui conscius es tui. *Ut noris, quam sit tibi curta supellex;* hoc est, quam multa tibi desint, ut sis vir egregius. Translatio ab angusta re familiari ad inopiam virtutum.

1 *Scribonis Licinii* vulg. Emend. Erem. Reiz. Weichert de Q. Horat. epp. p. 10.
2 Cf. Schol. Iuv. IV, 153.

SATIRA V.

1. *Vatibus hic mos est.* Hanc satiram scribit ad Cornutum, in qua eos culpat poetas, qui solent ad ornanda sua carmina, tanquam sint gravia et difficilia, centum linguas et centum voces exposcere, quodcunque opus velint scribere, sive bella, sive tragoedias. Dicit autem sibi iis vocibus opus non esse, utique qui mediam et vilem satirici carminis materiam scribit. Superciliosa poemata scribentibus mos est forsitan intra se optare hoc, alioquin in nullo carminum notorum tale aliquid votum est.

3. *Fabula seu moesto.* Sensus est: sive tragoediam, sive bella describant. *Moesto* dixit, rem moestam scripturo, quoniam omnes fere tragoediae sceleribus constant et earum argumenta ex rebus luctuosis sumuntur. *Ponatur*, scribatur, ut idem Persius [1]:

nec ponere lucum artifices.

Hianda, a vocis magnitudine, vel oris diductione, vel etiam ab habitu personarum, quas acturi accipiunt.

4. *Vulnera seu Parthi*, sive heroico carmine virorum fortium facta narranda sint. Specialiter *Parthi* nomine usus est, cum generaliter Parthos barbaros significet. Hoc et Horatius [2] ait:

Aut labentis equo descripsit vulnera Parthi.

5. *Quorsum haec? aut quantas.* Hoc dicit: Quid proficit hoc, ut carminibus centum ora poscas? Nunquid habes in robore et crassitudine tuorum scriptorum tam immensas delicias, ut possint centum patentia [3] ora implere? quae tanta materia est, ut centum linguis opus sit [4]?

7. *Grande locuturi nebulas.* Grandia locuturis huiusmodi poetis concedendum. *Nebulas*, id est vanos spiritus dicendi ex fonte Helicone captent, ut insolita et tumida carmina scribant. Ideo Helicona petunt, quia Musis sacer est.

8. *Si quibus aut Procnes.* Illi scilicet Helicona petant, quibus propositum et libitum est carmina vel tragoedias de rebus luctuosis facere. Nam Procne ob stuprum sororis, quod

1 Pers. I, 70 sq.
2 Hor. sat. II, 1, 15.
3 *patientia* vulg.
4 In cod. Par. 8272 est hoc schol.: „*Offa* propria dicitur aliqua (?) cum pane commixtio, quae vulgo *tortella* vocatur.„

a marito est compressa, dolens, filios suos, quos de Tereo marito habuit, occidit, et ei epulandos apposuit. Similiter et Atreus, Thyestis fratris filios interfecit, propterea quod eius uxoris adulterio utebatur, et ei de filiis suis epulas praeparavit. Qui Atreus habere dicebatur agnum purpureis velleribus, de quo oraculo responsum fuerat, tam diu imperaturum donec esset qui eum immolaret; et cum eum adultera moecho tradidisset immolandum, ille re cognita filios adultero comedendos apposuit, ex quo maximo crimine scripta tragoedia est.

9. *Saepe insulso coenanda Glyconi.* Hic Glycon tragoedus fuit Neronis principis temporibus. *Insulso*, quod sine iocis fuit, vel moribus insulsus. Alii Glyconem pantomimum significant. *Coenanda* bene dixit, tanquam intersit feralibus cibis qui de talibus rebus assidue tragoediam composuit. *Glycon tragoedus populo mire placuit et ideo a Nerone manumissus est, datis Vergilio tragoedo, domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat [1], sestertiorum trecentis [2] millibus. Hic fuit [3] staturae longae, fusci corporis [4], labio inferiori demisso, antequam subornaretur deformis, nescius iocari, propter quod eum insulsum Persius dixit.*

10. *Tu neque anhelanti coquitur.* Hoc dicit: Tu non describis more poetico Vulcani officinam, in qua dicuntur venti clausi follibus ignes tam diu adiuvare, quamdiu rigor ferri mollescat. Unde et Horatius [5] ait:

At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare.

11. Tu cum scribis, non inflas te ut fabrilem follem ventos exprimentem. *Folle premis*, non profers res tumentes. *Nec clauso murmure raucus.* Mos est alta cogitantium carmina, frequenti deambulatione, donec reperiant apta, tacite secum murmurare.

12. Et hoc dicit, Tu Cornute, neque tecum *cornicaris*, id est, more cornicis lentus cum murmuratione incedis, quae

1 Similiter Panurgus Fannio et Roscio fuit communis, cf. Cic. pro Rosc. com. 10, 27.
2 *sexcent.* ed. pr.
3 Pro *hic fuit* in ed. pr. legitur: *Nam adhuc viveret minax.*
4 Leg. *coloris.*
5 Hor. sat. I, 4, 19 sqq.

raucum quiddam secum murmurat. Nam de incessu eius Virgilius [1] ait:

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

Cornicaris, novum a poeta verbum compositum; submurmuras, et quasi more cornicis voces profers, id est, et summe scribis, et summe pronuncias, quod tecum cum murmure loqueris, in modum cornicis murmuras; vel certe iratus, ut cornices, clamas superflue, tumido gutture, vel succinis homerice.

13. *Nec sclopo tumidas.* Neque talia scribis, quae ventosis et inanibus verbis inflata sint, sed quae aequalitate sua sint robusta et pinguia. *Sclopo* dixit *μεταφορικῶς*, a ludentibus pueris, qui buccas inflatas subito aperiunt, et totum simul flatum cum sonitu fundunt [2].

14. *Verba togae sequeris*, id est, apta paci, vel forensia, quibus causidici in sermone quotidiano utuntur. *Toga* [3] est dicta, quod velamento suo corpus tegat atque operiat. Est autem *purum pallium, forma rotunda, et fusiore atque inundante sinu, et sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur; cuius similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace utebantur, belli autem tempore paludamentis. Mensura togae iustae senas ulnas habebat.[4]* *Toga palmata* dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus palmas [5]. Sic ergo scribis, ut sermo tuus urbane atque aperte iungatur. *Iunctura callidus acri.* Hoc dicit: Praecepta philosophica plane et bene aptatis [6] verbis exequeris, doctus mores pallentes eradere, et sale satirico vitiorum culpas signa-

1 Virg. Georg. I, 389.
2 Cf. Papias: „*Stoplum*, gravis sonus.“
3 Papias: „*Toga* dicta, quod velamento sui corpus tegat, qua Romani in pace utebantur, belli vero tempore paludamentis. Mensura iustae togae VI ulnas habet.“ Et iterum idem: „*Toga* vestis Romana antiquissima a Pelasgis“ (Tert. de pall. 1) „prius inventa est, pallium purum, forma rotunda, et fusiore et quasi undante sinu, quem Romani obvolutum super sinistrum humerum tenebant, cuius similitudinem in operimentis simulacrorum aspicimus.“
4 Hor. epod. 4, 8 ib. schol.
5 Haec omnia de toga iisdem vv. leguntur apud Isid. origg. XIX, 24.
6 *captatis* vulg.

re [1]; vel bona compositione tantum, id est versificatione, discedens a vulgo.

15. *Ore teris modico*, id est ita formato ore, ut compte loquentibus figuretur. *Teris*, id est expolis. *Modico*, id est brevi sermone. *Pallentes radere mores*, peritus mores obtrectare vitiosos scribendo satiram, et obiurgationis animadversione corrigere, ut medici radere dicuntur carnem de vulneribus putrem, dum ad vivum perveniant, quo facilius curent. *Pallentes* autem conscientia, aut vitiosos generaliter, aut aegros.

16. *Ingenuo*, id est liberali ludo; *defigere*, id est ferire culpam, vel ingenuis iocis notare, subaudi *cautus*. Vel *defigere* dixit notare. Vel *ingenuum ludum* dixit satiram, quoniam nisi ingenuus et liber a criminibus non iocatur.

17. *Hinc trahe quae dicas*. Id est: aut ex simplicibus verbis, aut ex ludo; id est: moribus corrigendis scribe, et tragoedias praetermitte.

18. *Cum capite et pedibus* dixit ad superiorem sensum referens, ubi Atreum Thyestis filios coxisse commemoravit. Deinde cum ille minus, quod comedebat agnosceret, capite et pedibus filiorum oblatis intellexit Thyestis filios proprios comedisse. *Plebeiaque prandia noris*. Securos et sine sceleribus plebeios cibos, id est satiram; aut ἀλληγορικῶς, mediocritatem sectare.

19. *Non equidem hoc studeo*. Nec studium meum est tale, ut more Graecorum culpatus [2] tragoedias scribam, sed contentus sum satiras scribere. *Pullatas* autem *nugas* tragoediarum ait, propter tristes fabulas, et quod maxime pulla veste, id est lugubri, tragoedi utebantur. Legitur et *bullatis*, id est ornatis. Hoc non est propositi mihi genus, ut studeam bullatis nugis quicquam scribere, id est puerilibus iocis ac verbis; sed nos loquimur digna gravibus verbis, o Cornute. Vel *pullatis* i. e. palliatis vel Graecis.

20. *Dare pondus idonea fumo*, quae digna sunt incendio, allegorice quidem fumus, res vanas et leves extollere, et vilissimas res pro ponderosissimis commendare. *Dare pondus idonea fumo*. Hoc dicit: Sed est is, qui velit vanam rem et levem, aut vilem materiam nobilibus verbis describere, et ad res nugosas centum voces vel multa pectora exoptare, quomodo si velit fumo pondera ferenda imponere.

1 Leg. *fricare*. 2 Leg. *culposas*, aut *pullatas*.

21. *Sécreti loquimur.* Hoc est: ea quae scribimus, digna non sunt theatro, nec magnis auditoribus recitanda, sed tibi, o Cornute, placitura. *Tibi nunc hortante Camena,* tibi praebeo purganda vel probanda carmina mea.

22. *Quantaque nostrae pars.* Similiter ait Horatius [1] de Virgilio:

Et serves animae dimidium meae.

Ad Annaeum Cornutum philosophum, egregium virum, quia eius auditor fuit, loquitur. Sententia a Pythagora tracta; ille enim interrogatus quid esset amicus, respondit quae Horatius [1] sic posuit:

Et serves animae dimidium meae.

Persius autem ut aliquid scilicet novaret, permisit Cornuto aestimare, quantam vellet propriae animae partem suam dicere.

23. *Tibi dulcis amice ostendisse iuvat,* aut carmina, aut praecordia.

24. *Pulsa dignoscere cautus.* Allegoria ab iis, qui pulsando explorant, an integra sint vasa. Et hoc dicit: Scis enim intelligere, quid sit integrum aut vitiosum: ut idem infra [2]: *Respondet viridi non cocta fidelia limo.*

25. *Et pictae tectoria linguae,* id est, qui nosti hominum vitia, quae verbis celantur, invenire.

26. *Hoc ego centenas,* ad hoc mihi centum voces opto, ut talem te dicam, qualem te habeo in pectore.

27. *Sinuoso in pectore,* capaci, et imis praecordiis *fixi.*

28. *Voce pura,* fideli. Ego ad hoc centum ora habere cupiam, ut digne dicam, quantum mihi tui sit cura. *Totumque hoc verba resignent,* et hoc totum, quod te in intimo pectore et in imis praecordiis fixum diligo, verborum reseretur indiciis.

30. *Cum primum pavido custos.* Dicit se poeta mox praetexta deposita Cornutum sequi. Praetexta iuvenilis est vestis, qua usque ad sextum decimum annum pueri utebantur, in quo cultu dicit sub disciplina esse. *Pavido* ergo ait, timenti, quod sub metu paedagogorum praetextati sunt, vel pueriliter magistros timent.

31. *Bullaque succinctis laribus.* Genus vestis puerilis est bulla, quam solent pueri deposita pueritia diis penatibus donare. Vel certe ornamenti genus est, quod ante pubertatem habent, ut Iuvenalis [3]:

1 Horat. carm. I, 3, 9. 2 Pers. III, 22.
3 Iuv. XIII, 33.

Die senior bulla dignissime,
id est, qui dignus est dici puer. *Succinctis laribus.* *Quia Gabino habitu cincti [1] dii Penates formabantur, obvoluti toga supra humerum sinistrum, dextro nudo [2].*

32. *Cum blandi comites*, adulatores dicit adulescentium servos, qui blandiri domino adulto consueverunt, quos praetextatos coercebant. *Totaque impune Subura. Subura* pars frequentissima urbis, illecebris plena. Et est sensus: Cum mihi iuventus concessit libere ambulare et sine correctione custodis, quae vellem, aspicere.

33. *Sparsisse oculos*, huc illud detulisse. *Permisit sparsisse*, quia hoc turpe praetextatis; idem in iuvenibus minus notabile est. *Candidus umbo, συνεχδοχικῶς pro toga, alioquin et in praetexta candidus umbo est.*

34. *Cumque iter ambiguum est.* Adolescentiam vel pueritiam dicit inter virtutes et vitia nutantem, ideo, quod in ea positi nescientes erramus, dum ambigitur utrum ad virtutes, an ad vitia declinare velimus. Hoc ergo secundum Pythagorae rationem, qui Y literam similem vitae nostrae dicebat. Aut *error* qui est *vitae nescius*, id est, quomodo vivendum sit; aut *vitae error*, qui est nescius, vel imprudens et stultus.

35. *Deducit trepidas*, alternare proposita facit, et modo hoc, modo illud iter cogitatione apprehendere. *Ramosa compita* dicit plures vias habentia, ut in stemmate rami sparsi solent esse. *Compita* proprie dicuntur, ubi multae conveniunt viae, ut trivium, aut quadrivium.

36. *Me tibi supposui*, tanquam aliquod pignus [3]. Et est ordo: Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, me tibi supposui. *Teneros tu suscipis annos*, hoc est, ineuntem adolescentiam meam sapientiae contubernio, et morali erudi-

1 *cincti* cod. Par. 8272 et cod. Trev. apud Creuzerum, Symbol. II p. 877. (III p. 582 ed. 3). *cinctuque* Vin. Pith. *cinomia* ed. pr. quod Marcil. explicat *pelle canina.*
2 *et sub dextro* om. *nudo* cod. Par. 8272. ed. pr. *super humero sinistro et dextro* cod. Tr. Cf. Müller, Etrusk. I p. 268 et Thierschius, in Jahresberichte d. Kön. Bayerschen Acad. I p. 29 sqq. qui duas diversas glossas in h. schol. distinguit; contra eum disputat B. Starkius, Paläogr. Bemerkk. üb. e. Meilenstein (Landsh. 1840) p. 77 sqq.
3 Gl. cod. Bern. „*Seposui*, gelieh mih zuozedir.“

tione suscepisti. Et bene hic *suscipis* dixit, propterea quod ait supra *supposui.*

37. *Tunc fallere sollers apposita.* Mox ut me excepisti, apposita mihi a te regula vivendi est; quae regula, sollers fallere, intortos meos mores extendit; et de vitae pravitate ad melioris vitae rectitudinem adduxisti. *Sollers fallere* ideo dixit, quod cum stultis obrepat, sapientes oportet recte cognoscere, ut ipsa emendatio lente ac sine tormento fiat, ne per asperitatem doctrinae in ipsis rudimentis non tolerantes impatienter ferant corrigi. Vel: si quid in me corrigendum fuit, ratione emendasti.

40. *Artificemque tuo ducit.* Praeceptis tuis ita formatur animus meus, sicut artifices simulacra pollice et manu depingunt. *Artificem vultum*, per artem factum, secundum intellectum simulacrorum, quae ab artificibus finguntur.

41. *Memini consumere soles. Soles* dixit dies ut Virgilius [1]:

Tris adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago.

42. *Primas noctes*, pro primis partibus noctis posuit.

43. *Unum opus et requiem*, id est, simul studiis exercemur, simul otiis fruimur.

44. *Atque verecunda*, honestis iocis ad mensam utimur, ut animus seriis remittatur. Ad mensam enim cuiuslibet rei relaxanda est asperitas, ubi nihil colloquimur, nisi . . . . [2]

45. Certa lege et decreto naturae consentire dies natales sui dicit atque Cornuti.

46. *Et ab uno sidere duci.* *Hoc secundum astrologos dicit,* qui dicunt nativitates hominum in sideribus constare. Et hoc dicit: Non puto discordare genesin in nativitatibus nostris, sed ab uno sidere nos procreatos.

47. *Nostra vel aequali.* In diversas eiusdem librae lances imposita aequale examen habuerunt. *Libram* autem dicit, quae est ex duodecim signis. *Aequa libra*, quia mensurae vices fungitur in aequinoctio, ut Virgilius [3]:

Libra die somnique pares ubi fecerit horas.

Horam nostram, fatum, quod mutari nescit, libra coniunxit.

1 Virg. Aen. III, 203 sq.
2 Deest aliquid, *iocunda* vel sim.
3 Virg. Georg. I, 208.

48. *Parca tenax veri,* id est, fatum immutabile; ut Virgilius [1]:

Desine fata deum flecti sperare precando.

Seu nata fidelibus hora. Quia tantum possunt *Gemini*, quantum potest et *Libra* mathematicis: Ergo quia aut in Libra sumus nati, aut in signo Geminorum, merito concordant mores et animi. Sub *Geminis* enim nati in amicitiis permanent, ut et ipsi concordissimi fratres sunt. *Seu nata fidelibus*, ad generandos fideles inter se, quod verisimile est in geminis existere, quia unum ex duobus corpus hoc signum est. Id est: in signum Geminorum fata nostra dividit, id est, dividendo coniungit. *Sensus ab Horatio [2] tractus:

Seu Libra, seu me scorpius aspicit
*Formidolosus.**

50. *Saturnumque gravem.* Stellam Saturni gravem prae ceteris stellis dicit, meliorem Iovis stellam memorat. Nam stella Saturni malefica est illis, quorum natalem diem aspicit, Iovis benefica, quae cum radiaverit, Saturni astrum frangit. Et hoc dicit: Si quid erat, quod malum geniturae meae signum Saturni inferret, prosperitate stellae Iovis est depulsum. *Saturnum gravem*, qui est gravis in genesi utriusque, frangimus *nostro Iove*, quia mitis est, aut *nostro Iove*, favente hominibus et succurrente adversus gravem Saturnum, ut non sinat obesse Saturnum.

51. *Quod me tibi temperat astrum*, coniungit, aequalem facit. Hoc dicit: Sive sub Libra, sive sub Geminis nostra nativitas uno astro lustrata est, credo tamen aliquod astrum me tibi concordare.

52. *Mille hominum species.* Varios homines exprimit, et quasi reprehendit, et ut vultus esse dissimiles, ita actus diversos esse monstrat, *ut Horatius [3]:

quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia.

Et Terentius [4]:

*Quot capita, tot sententiae.**

Hoc dicit: Cum variae hominum voluntates sint, et diversa proposita, optimum est ea, quae imbutus hortor, etiam ceteros

1 Virg. Aen. VI, 376.
2 Hor. carm. II, 17, 17 sq.
3 Hor. sat. II, 1, 27 sq.
4 Terent. Phorm. II, 4, 14, ubi: *Quot homines, tot sententiae.*

affectare. Aliter. Ut variae figurae hominum, et rerum non unus usus, ita variae quoque voluntates, nec idem omnes appetunt. *Et rerum discolor usus.* Variis actibus in vita utuntur.

53. *Velle suum cuique est.* *Et Virgilius [1]:

*Trahit sua quemque voluptas.**

54. *Sub sole recenti*, sub regione orienti vicina, et *recenti*, nondum fatigato. Et *est hic sensus ab Horatio [2] tractus:

*Hic mutat merces surgente a sole.**

Et hoc dicit: Hunc delectant mercimoniorum lucra, dum alias merces ab his mercibus mutat.

55. *Rugosum piper*, bene dixit, epitheton ipsius est. *Et pallentis grana cumini*, quia etiam hoc pallidum est, vel quia, qui id bibunt, pallere soleant, aut quod pallidos faciat, non quod palleat. Est enim contrarium sanguini, quo accepto tabescit sanguis, et nascitur pallor. Unde Horatius [3]:

Quod si
Pallerem casu, biberent exangue cuminum.

56. *Hic satur irriguo mavult turgescere*, pinguescere, quia pleniores sunt venae in somno, et corpus eo inflatur. Alium dicit somno operam dare. *Satur* ergo, cibo plenus. *Irriguo;* eo, quod somnus corpora irrigat, ut Virgilius [4] ait, somno irrigari corpora.

57. *Hic campo indulget*, aut campo Martio, pro honoribus appetendis, aut certe campo agriculturae; vel campo, lusibus et exercitationibus vacat, vel militiae. *Hunc alea decoquit.* Alium studium aleae labefactat, et re familiari spoliatur: unde *decoctores* rerum suarum venditores dicimus alieno aere cogente.

58. *Ille in Venerem putris.* Alter assiduo coitu enervis, efficitur ad concubitum inutilis et solutus et libidinosus, et ipsa re [5] infirmus. Legitur et: *in Venerem putrit*, id est putrescit, conficitur. *Sed cum lapidosa chiragra. Lapidosam chiragram* dicit articularem morbum, id est dolorem manuum, quia chiragricorum articuli tubercula habent, quae lapidis duritiem exercent et sunt ramorum fere tumidorum similitudine pares. Legitur et: *curvaverit*, sicut ventus arbores, vel earum

1 Virg. ecl. II, 65.
2 Hor. sat. I, 4, 29.
3 Hor. epp. I, 19, 17 sq.
4 Virg. Aen. I, 692. III, 511.
5 Leg. *venere.*

ramos. Vel quia dicuntur chiragricis lapides inter artus, id est inter nodos, exire. Artus enim membra sunt maiora, unde *articuli* dicti; qui morbus cum manus tenuerit, eius humor in lapides convertitur, et digitos frangit ac tortuosos facit, ut sint similes tortis ac veteribus ramis fagi.

60. *Tunc crassos transisse dies.* Per intemperantiam et libidinem dicit homines debiles fieri et sero vitiorum suorum poenitentiam velle agere: quae vitia emendare volentes ingemunt, quod iam transacta meliori vita fraudati sint. *Crassos dies* dicit, in quibus obtuse et sine ulla ratione vixerunt. *Lucemque palustrem*, obscuram, propter nebulam, quae de paludibus nascitur; sed hoc ad animi caecitatem transfertur.

61. *Et sibi iam seri*, eo quod vita eos reliquit in vitio positos; vel non sufficiente ad correctionem tempore, vita relicta, tanquam non vivant, qui vitiis semper indulgent. *Ingemuere* autem bene expressit, quia tales senectus debiles excipit.

62. *At te nocturnis.* Verum tibi, o Cornute, libitum est, studendo de vigiliis pallorem contrahere.

63. *Cultor enim iuvenum. Cultor* ait, non cliens, sed emendator vel eruditor adolescentium. *Purgatas inseris aures.* Tractum est ab agricolis, qui arbores infructuosas, ut sint fertiles, purgant et inserunt. Ita et tu persuasionibus tuis aures iuvenum a vitiis emundatas bono cultu doctrinae instituis.

64. *Fruge Cleanthea*, fructu philosophiae vel stoicorum praeceptis, cuius sectae Cleanthes philosophus fuit. *Petite hinc iuvenes.* Discite, o senes et pueri, quo debeat animus tendere, id est, ad philosophiam.

65. Et senectuti vestrae discite *viatica*, hoc est praesidia vel solatia senectutis.

66. *Cras hoc fiet.* Verba studiorum desidis ad poetam. *Idem cras fiet*, Persius.

67. *Quid quasi magnum nempe diem donas.* Et ille studiorum deses: Quasi aliquid magnum concedis, si unius diei spatio otiosus sim. *Sed cum lux altera venit, iam cras.* Et Persius: Nulla dilatio est interponenda studiis. Siquidem ii decipiuntur, qui tolerabiliter existimant unam diem indulgere vacationi, qua transacta delectabit vacare in alia. Sic dum leve videtur una die otiosum esse, annus per singulos dies in otio consumitur.

69. *Ecce aliud cras egerit hos annos;* id est: Hoc cras, quod ais, annos eliquat et consumit vel praeterire facit. *Et semper paulum erit ultra;* id est, differendo semper studium, desidia nullum finem inveniet; quia dum venerit cras, aliud superest, quod iterum differas.

70. *Nam quamvis prope te.* Hunc locum poeta per similitudinem redae, quod est genus vehiculi quatuor rotarum, exprimit, dicens: Licet sub uno temone praecedens et subsequens rota decurrat, nunquam tamen posterior praecedentem consequitur, licet parvo spatio interposito; tantundem prior, quantum et posterior volvitur. Ita et nos docet, quod diem, quam differendo doctrinam perdimus, nunquam die consequente ad studia reparamus.

73. *Libertate opus est.* Ad sapientiam hortaturus, materiam hanc sibi delegit, dicens, solum liberum esse sapientem. Constat autem et Aristippum sic iuvenes solere ad studium sapientiae hortari. Libertate opus est, tanquam si diceret, sapientia in omnibus necessaria est. *Non hac, qua, ut quisque Velina;* non illam libertatem dicit, quam quisque per manumissionem civis Romanus factus consequitur; in tribu Velina censeri [1], publicum frumentum accipere: sed eam libertatem, quae de studio philosophiae nascitur. *Velina tribus numero aliarum tribuum accessit. Nam qui circa Velinum lacum habitabant, Romam translati sunt. Romae autem erat consuetudo, ut omnes, qui ex manumissione cives Romani fiebant, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent.* Ergo sensus est: Libertate, hoc est sapientia, utendum est, non autem illa, quam Publius emeruit, qui per tesseram *scabiosum far* possidet, id est corruptum et putre frumentum.

75. *Heu steriles veri*, id est ignari veritatis. Sunt qui existimant libertatem per solam manumissionem acquirere. *Quibus una Quiritem vertigo facit;* quia *quotiens [2] manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, et liberos confirmabant, unde manumissio dicta, quod manu* eius *mitteretur.[3]* *Quiritem* autem singulariter abusive dixit, licentia poetica. Nam sicut *pater conscriptus* non dicitur, ita nec *Quiritem* dicere possumus.

1 *et — censetur* vulg. 2 *quos* Pith.
3 *manus immitt.* Fabr.

76. *Hic Dama est non tressis.* Quasi interrogans poeta dicit: Hic, qui liber est factus, iam *Dama* est, id est nobilis senator, et non servus? *Agaso* iumentorum ministerio deputatus appellatur, quem sic nullius meriti esse dicit, ut eum tribus nummis valere concedat.

77. *Vappa* proprie sordes sunt aceti. *Lippus*, pravus. Hunc autem pravis moribus significat et fraudulentum, quia nec dum iumentorum cibariis se temperat.

78. *Verterit hunc dominus;* hunc, qui liber efficitur.

79. *Papae!* Interiectio, quasi vox admirantis. *Marco spondente*, id est, fidem dicente.

80. *Marco sub iudice palles?* Hoc εἰρωνικῶς dicit, quia neque illo fidem dante pecuniam credere dubites, neque illo iudicante formides. Dignus is est, qui iudicet, apud quem non timeas, ne iniuste damneris.

81. *Assigna Marce*, id est sigilla.

82. *Haec mera libertas?* Hanc tu arbitraris certissimam libertatem, quam ex servo factus liber et civis Romanus acceperit? *Hanc nobis pilea donant*, servis, qui beneficio dominorum manumittebantur, ut superius dixit [1]: *At illum hesterni capite induto subiere Quirites.*

83. *An quisquam est alius liber.* Propositio talis est syllogismi: Alius liber non est, nisi si cui licet vitam secundum suam voluntatem producere; assumptio est haec: Mihi autem licet vivere, ut volo; deinde infertur conclusio: Sum ergo Bruto liberior.

85. *Mendose colligis, inquit.* Contradicit autem philosophicis propositionibus hic Persius, syllogismi dicens falsam esse collectionem, quod omnis, qui vivit, sicut vult, liber sit. Hic autem secundum quod in assumptione superius dixit, quod voluntati suae serviens vivat, cum vitiis sibi dominantibus trahatur.

86. *Mordaci aceto*, acri et pungente sapientia eruditus.

88. *Vindicta postquam meus.* Rursus ille manumissus proponit, et dicit: Ex quo meus praetoris vindicta factus sum, cur mihi non liceat secundum voluntatem meam vivere, excepto quodcunque legum tituli prohibent? *Meus* dicit, id est liber, mei iuris. **Vindicta* [2], virga est, qua

1 Pers. III, 105 sq.

2 Papias: „*Vindicta* est virgula quaedam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens eundem servum in libertatem vindicabat, dicens verba quaedam solemnia, unde vindicta vocabatur."

manumittendi a praetore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Hic *Masurius Sabinus* legis consultus fuit,* cuius **rubricam* vocat minium, quo tituli legum annotabantur.*

91. *Disce, sed ira cadat naso.* Et poeta: Disce, inquit, et desine irasci: quo possimus aniles fabulas, quas nutris, de tuis praecordiis extrahere. *Ira cadat naso.* Tractum a canibus, qui iram rugosis naribus monstrant.

92. *Veteres avias* dicit aut aniles ineptias, aut inveteratam stultitiam.

93. *Non praetoris erat.* Sensus est: officium est praetoris libertatem stultis, non sapientiam concedere. *Tenuia rerum officia*, ait, subtile acumen sapientiae, ingenii.

94. *Usum rapidae vitae* eandem sapientiam dicit. *Rapidae*, celeris, cito transeuntis.

95. *Sambucum citius caloni. Calones* dicuntur militares servi. *Alto* dixit, quod alte cingantur; aut *alto*, quia proceri eliguntur propter belli necessitatem, aut certe *alto*, quod superbi sint. Significat autem rem ineptam facilius doceri, quam necessariam. *Sambuca* est genus ligni fragilis, unde quasi tibiae componuntur [1].

96. *Stat contra ratio.* Hoc dicit: Resistit ratio, id est sapientia, ne alicui liceat illud facere malum, quod agendo peius efficiat. *Secretam gannit in aurem*, in intimo pectore [2].

98. *Publica lex hominum.* Tam publica, quam ipsius naturae lege cautum est licita permitti fieri, illicita prohiberi, ut illa mala, quae efficienda non sunt, ignorantiae tradamus.

99. *Inscitia debilis*, ignorantia, quae ratione caret.

100. *Diluis helleborum.* Sensus est: Diluis, lavas, quoniam lavatur helleborum primo, ut acrimonia letali carere possit; aut certe *diluis*, id est, aliis herbis admisces. *Certo compescere puncto.* *Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quae punctis et unciis signatur.* *Compescere*, id est temperare.

Io. a Ianua: „*Vindicta;* a vindico, cas dicitur haec vindicta, tae, quod aliquando dicitur pro virga praetoris, qua servi percussi liberabantur et inde libertatem acquirebant. Et tunc dicitur a vindico, quasi vendicta, quod vendicet libertatem. Persius: *An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat.*“

1 Eadem sunt apud Isid. origg. II, 20, Papiam, Io. a Ianua.

2 Gl. cod. Bern. „*Garrit*, zuizeret.“

102. *Navem si poscat.* Hoc dicit: Si velit rusticus navem gubernare, cum nec freta, nec siderum rationem noverit, exclamet Melicerta nullum esse *pudorem; templum enim pudoris est frons.*

103. *Melicertes,* deus marinus, Inus filius, in deorum numerum relatus, qui Graece *Παλαίμων,* Latine Portumnus dicitur.

104. *Tibi recto vivere talo. Tali* sunt dicti a tolo. Nam tolus est eminens rotunditas, unde et fastigium templi rotundi tolus vocatur [1]. Licet possint simpliciter ad Cornutum dicta intelligi, manifeste tamen *εἰρωνικῶς* ad illum dicit, quem castigat.

105. *Ars dedit,* doctrina vitae rectum tramitem declaravit. *Et veri speciem.* Ita callidus es similitudinem veritatis agnoscere, ut aes obvolutum auro percutiendo intelligas, sicut nummularii faciunt, qui nondum instructi, denarios auro infectos pro auro accipiunt, quia usum dignoscendarum rerum earum non habent.

106. *Subaerato mendosum tinniat; ἀλληγορικῶς,* vitia hominum verbis decoris ornata vult intelligi, ut Horatius [2]:

verbisque decoris
Obvolvis vitium.

107. *Quaeque sequenda forent.* Scis enim, quae sint sequenda et quae respuenda.

108. *Illa prius creta.* Modo, quae probanda sunt, creta, quae damnata sunt, carbone adnotasti, ut Horatius [3]:

Quorsum abeunt sani? creta, an carbone notandi?

110. *Iam nunc astringas;* scias, quando parsimonia opus sit, et quando large vivendum sit.

111. *Inque luto fixum,* id est: Sordidum lucrum spernis; aut certe visum in luto nummum praetermittis, quia solent pueri, ut ridendi causam habeant, assem in silice plumbatum infigere, ut qui viderint, se ad colligendum inclinent, nec tamen possint avellere, quo facto pueri etiam acclamare solent [4].

112. *Nec gluto sorbere salivam.* Cupidi pecuniae, cum lucrum vident, veluti gulosi visis deliciis, salivam glutiunt. *Mercurialem ideo dixit, quia ipsum deum lucri

1 Eadem leguntur apud Isid. origg. XI, 1, Papiam, Io. a Ianua.
2 Hor. sat. II, 7, 41 sq., ubi *obvolvas.*
3 Hor. sat. II, 3, 246.
4 Cf. ad prol. 6 not.

dicunt, unde et cum saccello [1] pingitur, et a negotiatoribus plurimum colitur.*

113. *Haec mea sunt, teneo.* Dinumeratis iis, quae sequi vel spernere sapiens debet, cum tua esse dixeris, et apud te verius detinueris, tunc te liberum esse dico tam Iove, quam praetore propitio. *Iovem* ad libertatem animi, id est ad sapientiam, *praetorem* autem dixit ad eam libertatem, quae servitutis caret conditione.

115. *Sin tu cum fueris.* Sensus est: Si vero tu, qui te dudum unum de numero philosophorum dicebas, pristinis vitiis detineris, quae vitia sub pectore abscondis, quae tibi dudum tanquam sapienti concesseram, tollam. *Nostrae farinae,* dixit nostrae sectae; ac si diceret, nostrae vitae. Aut illud intendit, quod idem Persius [2] supra dixit:

quibus et detonsa iuventus
Invigilat siliquis et grandi pasta polenta.

116. *Pelliculam veterem,* antiquum vitium. Tractum est ab Aethiope, qui non mutat pellem suam, nec pardus varietatem suam: sed in qua pelle natus est, in ea moritur.

117. *Astutam vapido servas sub pectore vulpem,* id est, fraudem et versutias. Vulpem enim astutam, ad decipiendum callidam dixit.

118. *Quae dederam supra, repeto.* Eum superius concesserat liberum ac sapientem, si a vitiis, quae enumeraverat, recessisset. *Funemque reduco.* Ad me habenas licentiae, quas dederam [3], traho, dum libertatem, quam tibi concesseram, adimo.

119. *Nil tibi concessit ratio;* id est: sapientia nihil sui tibi permittit habere. **Digitum exere.* Digito sublato ostende victum te esse a vitiis. Tractum a gladiatoribus, qui victi ostensione digiti veniam a populo postulabant.*[4]

120. *Et quid tam parvum est?* Hoc est, quam sapientia; siquidem accommodato naturae studio facile capitur. *Sed nullo ture litabis.* Sed quamvis parvum sit sapientia, eam sacrificiis adipisci non possis, neque aliquam ipsius particulam minimam; per *semunciam* enim minimam particulam accipimus.

1 *sacello* vulg. Emend. Erem. Lindenbr. Reiz.
2 Pers. III, 54 sq.
3 *quas elegantius dederam* ed. pr.
4 Cf. Savar. ad Sid. Apoll. epp. V, 7 p. 330.

122. *Haec miscere nefas;* id est, sapientiam stultitiae commisceri impossibile est. *Nec cum sis caetera fossor. Caetera,* id est, ad supremum; et hoc dicit: Cum sis fossor, non possis moveri vel ad tres numeros satyri Bathylli, id est pantomimum imitari non possis.

123. **Bathyllus** autem *pantomimus fuit, Maecenatis libertus.* Ergo ut impossibile est rustico pantomimum imitari, sic impossibile stulto sapientiam sequi. *Numeros* dicit tonos, vel rhythmos.

124. *Liber ego.* Verba culpati vitiosi, quibus ex populi responsione utitur. *Unde datum hoc sumis.* Et poeta: Quomodo te liberum esse dicis, cum vitiorum servus sis? Et transit, ut doceat, quam multos stulti dominos habeant, tanquam qui nihil arbitrio suo, sed iussu vitiorum efficiant.

125. *An dominum ignoras,* an existimas, nullum esse dominum, nisi eum, qui cum te manumiserit, desinit esse dominus, et dominatum virga servi caput tangens dissolvit? Quia manumittendo tam servus a domino, quam dominus ab illius, quem manumittit, servitio absolvitur.

126. *I puer, et strigiles. Strigiles* dicuntur illa velaria, unde athletae post laborem terguntur: hoc est a tergendo, quod Graece στλεγγίζω dicitur [1].

128. *Nec cuiquam extrinsecus intrat.* Hoc est: si non te compellit servitium proprium, vel minae meae tuam mentem exterrent.

129. *Sed si intus et in iecore.* Colligit, vel non minus, vel magis servire eum, qui vitio deditus est, quam eum, qui a domino ob segnitiem ministerii potest verberari. Quo pacto ergo te servum negas, cuius pectus animumque tot dominationes obsederunt? id est, avaritia, cupiditas, aliaque vitia, quae pro dominis posuit.

131. *Scuticam* habenam dicit, quod eius usus lori ad plagas apud Scythas inventus sit.

132. *Mane piger stertis.* Demonstraturus, quae vitia intra pectus hominis dominentur, inducit dormientem excitari ab *avaritia,* et ab ea obiurgari.

133. *Eia, surge, negas. Instat; surge, inquit.* Et tu dicis: *Nequeo surgere. En quid agam?* Iterum et saepius ille dominus excitat, tandem surgit. *Eia* vox est ad excitantem.

1 Gl. cod. Bern. „*Nugator*, gebosare.“

134. *Saperdas advehe Ponto. Saperda* genus est salsamenti, quod ex pisce fit.

135. *Castoreum*, subaudi, advehe [1]. *Hebenum* genus ligni nigri [2]. *Lubrica Coa.* Vina ex Co insula; *lubrica*, id est lenia, aut quae ventrem solvant.

136. *Tolle recens*, nuper de camelo depositum; *sitiente* autem dixit, quod illis regionibus rarae sunt aquae: aut quod prae ceteris animalibus sitim ferat.

137. *Verte aliquid*, id est, *negotiare et speciem pro specie commuta.* *Iura*, hoc est, pecuniam falsitate iuramenti auge. *Sed Iuppiter audiet.* Verba illius, quem excitat avaritia.

138. *Eheu varo regustatum*, dicit Avaritia ad illum: Si Iovem testem et periurii tui vindicem putas, pauper necesse est vivas et solo sale contentus discum tuum digito tuo terendo pertundas. **Varones* [3] *dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt, servi scilicet stultorum.*

140. *Et oenophorum aptas*, *Oenophorum vas vinum ferens; οἶνος enim *vinum* est, de quo est illud:

Vertitur oenophori f. s. n. [4]

142. *Nisi sollers luxuria.* Iam te suasionibus avaritiae [5] privatum luxuria castigat ac crebro vocat, dicens: ideo navigare vis, ut locuples fias?

144. *Quid tibi vis?* Quam rem cupis, ut periculosum mare pertentes? An avaritiae furor sic tuum pectus incendit, ut urna cicutae extingui tuus furor non valeat? *Mascula bilis*, valida cupiditas, cuius ardorem nec copiosa cicuta sedare potest.

1 Gl. cod. Bern. „*Stuppas*, duuirchi.“

2 Gl. cod. Par. 8272: „*Hebenum* lignum siccatum durescit in lapidem.“ Cf. Isid. origg. XVII, 7.

3 Pith. add.: „*Lingua Gallorum barones vel varones dic.*“ Cf. Papias: „*Varo* pro stulto.“ Idem s. v. *barones* eadem habet, quae Isidor. origg. VIII, 4.

4 Eadem habet Isid. origg. XX, 6, qui versum: *Vertitur oenophori fundus sententia nobis* affert etiam I, 35. Lucilii esse ex libro III docet Nonius s. v. *sententia.* (III, 29 ap. Dousam, cf. Rutgers. Venus. lectt. c. 15 p. 331. Varges, Lucilii satt. frgmm. l. III, 11.) Similia per litteras initiales tantum citandi exempla v. apud Iul. Rufin. 26. 30, et insigne exemplum apud Suringarium, hist. crit. scholl. Latt. t. II p. 134.

5 Videtur aliquid deesse, nam *privatum* refertur ad v. *seductum.*

145. *Cicuta* hic genus liquoris est, quod *calorem in nobis frigoris sui vi extinguit. Ideoque sacerdotes Cereris Eleusiniae,* quibus usus veneris interdicebatur, *hoc liquoris genere ungebantur, ut a concubitu se abstinerent [1].*

147. *Veientanumque rubellum.* Hoc dicit: Vinum malum tu possis in malo vase [2], deterius pice vitiatum in navi sitiens potare. *Veientanum* dixit vinum, in Veiente natum. *Rubellum*, id est roseum, sed non magni pretii, unde Horatius [3], culpans avarum:

Qui Veientanum festis potare diebus.

148. *Vapida*, aceti faece vitiata. *Obba* genus vasis ex sparto factum.

149. *Quid petis, ut nummi, quos hic.* Cur navigas? an ut pecuniam, quae tibi quincunces verecunde praestitit, cum periculo deunces praestet?

151. *Indulge genio*, id est convivare. *Carpamus dulcia*, absolute posuit: hoc est, deliciis fruamur. *Nostrum est, quod vivis;* mihi soli natus es, id est, ad luxuriam; post mortem enim nihil es.

152. *Cinis et manes et fabula;* ac si diceret, haec, quae te moneo, vitae conveniunt; nam eis post mortem uti non licet.

153. *Vive memor leti*, id est, sciens te moriturum deliciis utere. *Fugit hora;* hoc est, tempus, quod loquendo transigimus, de tuo conspectu perit: ut *Horatius [4]:

*dum loquimur, fugit invida aetas.**

154. *En quid agis?* Rursus post avaritiam et luxuriam poeta loquitur, interrogans, quem de duobus dominis sequatur. Ecce te dissimilia vitia deducunt. Hinc tibi avaritia labores imperat, hinc luxuria te vexare non patitur, tamen nec tu cum alterutri restiteris, liberum te in totum credas.

155. *Subeas alternus oportet.* Sensus est: Dum te vitia in diversum trahunt, necesse est, ut modo isti, modo illi vitio obedias.

1 Plin. XXV, 13, 95: „Cicuta — exstinguit venerem testibus circa pubertatem illita.“

2 Gloss. H. Steph. p. 174: *Obua* (l. *Obba*, cf. comm.), *ἄμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν.*

3 Hor. sat. II, 3, 143.

4 Hor. carm. I, 11, 7 sq., ubi *fugerit.*

157. *Nec tu cum obstiteris;* nec tu, cum imperantibus vitiis semel repugnaveris, continuo dicas te solutum a pessima servitute. Est enim vitiorum maxima pars, quae te quasi fugientem retineat.

159. Nam licet canis abrupto fugiat vinculo, vinculi tamen partem post se trahit.

161. *Dave cito hoc credas.* Nunc de amoribus inducit adolescentem servo loquentem. *Hunc* igitur *locum de Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chaerestratus adolescens alloquitur, tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus; idemque tamen ab ea revocatus, ad illam redit. Apud Terentium personae immutatae sunt.* Quod exemplum inducit ad similitudinem vitiorum, a quibus recedere non possumus. Hoc et Horatius [1] et Terentius [2] in Eunucho cum dicit:

Quid igitur faciam?
Non eam ne nunc quidem cum arcessor ultro?

Ergo hoc ait: Dave mihi crede, dispono praeteritis renunciare moribus.

163. *An siccis dedecus obstem. Siccis* dixit parcis; et hoc ait: An frugi et sobriis affinibus vel cognatis turpissime vivens dedecus afferam?

164. *An rem patriam,* an mala et infami opinione hereditatem mihi a patre diminuam [3], dum ante fores meretricis ebrius, extinctis facibus canto?

165. **Udas fores* dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante ianuam earum noctem vigiliis et cantu transigere.*

167. *Euge puer sapias.* Hoc est: sacrifica diis depulsoribus, qui te inde depellunt, vel arte mala coercent; aut hoc intelligi potest: Diis sacrifica, cum te dii depellant ab hoc turpi et damnoso amore meretricis.

168. *Sed censen' plorabit.* Adolescentis verba sunt ad servum; et hoc dicit: Deliberas aut certe credis, quia a me Chrysis relicta non plorabit?

1 Hor. sat. II, 3, 259 sqq.
2 Ter. Eun. I, 1, 1.
3 *dimissam* vulg.

169. *Nugaris*[1], *solea puer.* Sensus hic est: Tu, qui te dicis ab amore meretricis iam discedere, falleris, nisi festinus discedas, ne eius amoribus impliceris, ab ea rubra solea vapules. *Solea rubra* calceamentum muliebre significat.

170. *Arctos casses* dixit spissa retia. Tractum a feris, quae inclusae retibus, dum ea trahunt aut rodunt, magis implicantur.

171. *Nunc ferus et violens.* Hoc dicit: Propterea quod nunc te excludere visa est, merito eam, quasi turpem amorem respuens, contemnes, si vero te solita oblectatione illiciat, sine dubio tecum tacitus dices:

172. *Quidnam igitur faciam?* Si ad eam exclusus accedere non valui, neque vocatus accedam.

173. *Si totus et integer;* hoc est: Si autem turpi amore postposito etiam de omnibus vitiis emergas, tunc te sapientem pronuncio. *Totus et integer* dixit, ut ipso exeunte ne animo quidem apud meretricem remaneat.

174. *Quem quaerimus,* hoc est sapientem.

175. *Non in festuca*[2] *lictor.* Sensus est: Ille, qui manumittitur, non in ea virga, qua a lictore percutitur, ius libertatis certissimum accepit, cum in animo liber non sit, sed vitiis trahatur.

176. *Palpo,* proprium nomen, praecipue tamen ei blanditur.

177. *Cretata ambitio,* quasi pulchra, et a superficie illita, largiendo honores a populo mercatur, quibus honoribus innotescat. *Vigila, et cicer iugere.* Sparge igitur, inquit, populo cicer. Hoc enim in *ludis Floralibus* inter caetera munera iactabatur, quando terrae ludos colebant, et *omnia semina super populum spargebant, ut tellus veluti visceralibus suis placaretur.*[3] Et hoc dicit: Perfice ista omnia, ut sic in memoria hominum sint, ut etiam a senibus memorentur.

179. *Apricos senes* dixit ad solem sedere consuetos. *Quid pulchrius?* scilicet, quam hoc facere?

180. *At cum Herodis venere dies.* De superstitionibus tractat, ostendens etiam, qui superstitionibus sit deditus, servire. Hic *Herodes apud Iudaeos regnavit temporibus Augusti imperatoris in partibus Syriae.

1 Gl. cod. Bern. „*Nugaris*, thubosos."
2 Gloss. H. Steph. p. 96: *Festuca*, *κάρφος*, *ῥάβδος*.
3 Cf. schol. Hor. sat. II, 3, 182.

Herodis ergo diem natalem Herodiani observant, ut etiam sabbathi, quo die lucernas accensas et violis coronatas in fenestris ponunt.*

182. *Rubrumque amplexa catinum.* Rubrum catinum fictile, quod thynni cauda amplectitur. *Amplexa* dixit, aut brevitatem catini, aut magnitudinem thynni ostendens.

183. *Thynnus* autem genus piscis est, quod ad templum diebus festis portare solebant, ut ibi pro die festo epulis vescerentur.

184. *Tumet alba fidelia vino,* id est, plena vino est; hoc est, grande vas. *Alba* dicit, aut a coloris proprietate, aut certe argentea.

184. *Labra moves tacitus.* Ordo: Tunc quando haec celebras, labra moves tacitus. Tacite enim, vel murmurantes Iudaei preces effundunt. *Recutitaque sabbata.* *Instituta Iudaeorum significat propter circumcisionem, quam auctores suos secuti faciunt.* *Palles,* id est, times sabbata recutita; ideo *palles,* quia Iudaei eo die non manducant.

185. *Tunc nigri lemures.* Non dicit tunc, cum hanc religionem observas, sed hoc dicit: Diversi generis superstitio te versat. *Lemures* autem dicuntur dii manes, quos Graeci δαίμονας vocant, velut umbras quasdam divinitatem habentes. *Lemures* autem dicuntur dii vel umbrae, quae apparent, quando manes placantur. *Ovoque pericula rupto.* *Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite,* id est, in summitate, *an in latere insudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius.*

186. *Tum grandes Galli,* ministri scilicet matris deum, *grandes,* id est pingues sacrificiis. **Sistrum* sacerdotes Isidis portabant. *Lusca* autem, quod* omnes *debiles*[1] aut *deformes cum maritos non invenerint, ad ministeria deorum se conferant.* Vel quod Aegyptii tam deos quam sacerdotes de monstris habeant. Ordo autem praedictorum versuum hic est:

Tum nigri lemures ovoque pericula rupto:
Tum grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos.

1 *nobiles* Vin. *nubiles* Pith.

187. *Incussere deos inflantes corpora*, id est, terrentes homines, et malum futurum denunciantes, nisi hoc mane gustato allio expiassent. Nam et hoc dicunt, si allium ieiuni gustaverint, contra artem magicam remedium esse.

189. *Dixeris haec inter varicosos.* Si haec ante stultos milites dicas, qui solent etiam de sapientibus ridere, quantum cachinnis indulgebunt, dicentes, centum philosophos nummos centum non valere. *Varices* sunt venae mistae nervis in pedibus, nimio labore tumentes. Inde *varicosos* centuriones dicit absolute milites.

190. *Crassum ridet.* Stultorum risus exprimit.

191. *Centusse*, poetica licentia abusus est. Nam cum sit centum nomen monoptotum indeclinabile, tanquam si per casus declinare posset, et faceret nominativo casu *centus*, genitivo *centussis*, ita quasi ablativum casum posuit, dum dicit *centusse*. *Centusse* ergo *curto*, tanquam diceret, nonaginta novem. *Liceri* enim est licitare, hoc est pretium ponere.

SATIRA VI.

1. *Admovit iam bruma.* *Hanc satiram scribit Persius ad Caesium Bassum poetam lyricum, quem fama est in praediis suis positum ardente Vesuvio monte Campaniae, et late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse. Hic ergo dum viveret,* de *Roma ad Sabinos necessario [1] transibat, ubi [2] brumali tempore in calido loco carmina scribebat.* Huic ergo Persius dicit, quod iam propter hiemem foco caleret, et ut daret operam carminibus, quae scriberet, laudans gravitatem librorum, et tenorem versuum eius; se autem dicit Persius apud Liguriam fuisse in loco, ubi portus naturali flexu curvatus, fluctus in se recipit, qui propter curvationem *portus Lunae* vocatur. Cuius etiam Ennius in principio annalium suorum meminit hoc versu [3], quem etiam Persius carminibus suis iunxit, et refert ab Ennio ablatum. Scribit vero Persius in hac satira de iis, qui heredibus

1 *necessarios?* 2 *aeger* add. ed. pr.
3 Hoc schol. adscriptum fuit vs. 9.

rem suam auctam reliquerunt, inedia se et labore in vita conficientes. Se autem dicit in eo loco, ubi positus erat, id est in Liguria, neque ambitione, neque iniuria, neque desideriis [1], neque avaritia laborare, et in nullo se eis similare, quos culpat.

2. *Iamne lyra.* Eundem Bassum interrogat, qui de urbe ad Sabinos secesserat, si iam scriberet. *Tetrico pectine,* id est, gravi stylo ac severo, id est, gravi carmine.

3. *Mire opifex numeris.* Sensus est: O mirande opifex varietate numerorum, quam de metris Graecis excerpis, et masculos sonos Latinis aptas carminibus. *Numeris,* id est metris.

4. *Marem strepitum*, masculum et fortem sonitum, non quomodo solent quidam velut muliebri voce et molli, cantare. *Fidis*, genus citharae, vel chordae [2], quod tam singulariter, quam pluraliter dicitur, ut Horatius [3]: *et fide Teia*

Dices laborantes in unum.

Pluraliter, ut Virgilius [4]:

Threicia fretus cithara fidibusque canoris.

5. *Mox iuvenes agitare iocos*, id est, iuveniles iocos, ideo, quod lyricum carmen de iuvenum sit amore compositum. *Et pollice honesto,* quia citharizantes non solum plectro, verum etiam digito de chordis sonos eliciunt [5], ut Virgilius [6]:

Iamque eadem digitis e. p. p. e.

6. *Mihi nunc Ligur ora.* *Se ipsum Persius significat secessisse in Liguriae fines, videlicet propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quae post mortem prioris viri ibi nupta erat;* vel quia in brumali frigore tepidum caelum praebeat. *Ligur ora,* ac si diceret, Liguria ora.

7. **Hibernat* [7], saevit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hibernare dicimus, quum non navigant, sic et mare* hibernare dicimus *dum non navigatur.* *Qua latus ingens dant scopuli.* Ubi scopuli

1 *desidia* ed. pr.
2 Gloss. H. Steph. p. 96: *Fidis*, λύρα, κιθάρα, χορδαί.
3 Hor. carm. I, 17, 18 sq.
4 Virg. Aen. VI, 120.
5 *educunt* Vin. *edunt* ed. pr.
6 Virg. Aen. VI, 647: *Iamque eadem digitis iam pectine pulsat eburno.*
7 Gloss. H. Steph. p. 106: *Hibernat*, παραχειμάζει.

ingens latus ponto obiiciunt, et inclusis inter se aquis naturalem efficiunt portum.

9. *Lunai portum est operae.* Ordo est: O cives, operae pretium est, id est, delectabile est, portum in modum Lunae factum cognoscere. *Lunai* autem secundum antiquam declinationem dixit, ut Virgilius [1]:

Furit intus aquai.

10. *Cor iubet hoc Enni.* *Hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit.* Merito ergo ait:

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse.

Sic enim ait Ennius in annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somnis Homerum dicentem, fuisse se quondam pavonem, et ex eo translatam esse animam in se, secundum Pythagorae philosophi diffinitionem, qui dicit, animas humanas per παλιγγενεσίαν, id est, per iteratam generationem, exeuntes de corporibus in alia posse corpora introire. Ideo *quintus* dicit, propter eam opinionem, quae dicit animam Pythagorae in pavonem translatam, de pavone vero ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero autem ad Ennium [2].

12. *Hic*, id est, apud Liguriam. *Securus vulgi*, de vulgari existimatione non solicitus, quicquid de me populus sentiat, quia nec eorum laudibus sublevor, nec vituperatione demittor. *Et quid praeparet Auster.* Nec illud timeo, si auster morbidus [3] pecori noceat; id est, nec damno pecoris, nec detrimento rei familiaris frangor.

13. *Et angulus ille vicini.* Nec angor invidia, si vicini mei ager fecundus sit, cum mihi sit ager sterilis.

14. *Et si adeo omnes ditescant.* Sensus est: Nec si humilium nati steterint locupletiores, idcirco minui senectutem desiderem. Solent enim sibi optare mortem ii, qui minorum substantiam augmentari vident, ne, quos oderunt, felices videant.

16. *Sine uncto*, sine deliciis. Solent enim frugalitati indulgere nati, ut opes maiorum sequantur, si se iis aequare non possunt. Horum ergo ait Persius se neutrum efficere.

17. *Et signum in vapida.* Solent avari signum in vasis vinariis ponere, et sic diligenter aspicere, ut oculos propius admovendo naso tangant. *Vapida* dicit acetosa.

1 Virg. Aen. VII, 464.
2 Cf. schol. Stat. Theb. III, 484. Tert. de resurr. 1.
3 *madidus* ed. pr.

18. *Discrepet his alius;* id est, dissentiat his rebus a me, qui volo mediocriter vivere, cum alius prodige, alius tenuiter vivat. *Geminos horoscope varo.* Sensus est: Licet horoscope sub una hora geminos producas, dissimilibus tamen fatis et voluntatibus eos in vitam trahis. *Horoscopus* autem est, qui horas nativitatis hominum speculatur. *Varo genio,* id est dissimili et diverso fato.

19. *Solis natalibus.* Avarum significat, qui tantummodo in diebus festis caules oleo unctos putans delicias comedit.

20. *Muria* dicitur liquamen malum, vel liquaminis facies, vel, quod proprium est, aqua mista cum sale [1]. *In calice empta.* Miseram parcitatem ostendit, dum sibi in calice medicum liquaminis miseri dicit comparasse.

21. *Ipse sacrum irrorans,* quod parcitate sua sacrum existimat. *Hic bona dente.* Hic alium e contrario prodigum significat, et dicit: Alius vero a pueritia bona sua consumit.

22 sqq. *Utar ego utar.* De se hoc poeta dicit: utar ego utar, id est mediocritate; nec maiores [2] delicias clientibus meis apponam, nec adeo in hac re callidus sum, ut turdorum sapores discernam. *Solent enim quidam gulae dediti tantae subtilitatis habere palatum, ut cognoscant turdos [3], an cancellarius, an terrarius sit [4], et si masculus sit, an femina;* quos velut peritia procacis gulae, facit in hac re attentos. **Turdarum* abusive posuit, cum *turdorum** dicere *debuerit [5], ut Horatius [6] ponit:

*Pene macros, arsit, dum turdos versat in igne.**

Rhombus autem genus est piscis, qui non privatis, sed divitum mensis inservit.

1 Papias: „*Muria,* crassitudo, aqua salsa, et pro liquamine de nomine maris dicitur. Proprie autem aqua sale commixta, quasi maris.“ Gloss. H. Steph. p. 141: „*Muria,* ἅλμη.“

2 *minores* ed. pr., quod aptum videri potest, si legatur *scombros;* tunc *lautus* ironice accipiendum.

3 *turdus* Lindenbr.

4 *an acinarius, an vivarius sit* al. codd.

5 Cf. Varronis l. in ann. critt. l. Papias: „*Turdae* aves a tarditate dictae, hyemis enim confinio se referunt;“ cl. Isid. origg. XII, 7: „*Turdi,* a tarditate dicti, hiemis enim confinio se referunt.“

6 Hor. sat. I, 5, 72.

25. *Messe tenus propria vive.* Incertum est, an se hortetur, an alium quemlibet dicens: ad modum redituum tuorum [1] vive. Fas enim est, quod in terra nascitur, consumere omnino, cum sit cultura reparabile; vel cum iam alter fructus in terra sit, et succrescat.

26. *Occare* autem est, cum rustici, satione facta, bobus dimissis, grandes glebas caedunt ac ligonibus frangunt. Dicta *occatio*, quasi occaecatio: quod quasi cooperiat semina [2].

27. *Ast vocat officium*, id est humanitatis lex, aut certe philosophiae, quae hoc praecipit, et magno cum sumptu dicit egenti vel naufrago debere succurrere, qui substantiam suam una cum votis naufragio perdidit.

30. *Ingentes de puppe dei.* *Navium tutelam dicit, quam* quasi *in puppibus habent vel pingunt.* *Iamque obvia mergis.* Iam illius pars naufragae ratis mergis occurrit. *Mergi*, aves marinae sunt, de quibus Virgilius [3]:

et apricis statio gratissima mergis [4].

31. *De cespite vivo frange*, hoc est: de patrimonio tuo minue aliquid, quod tribuas naufrago.

32. *Ne pictus oberret*, quia solebant naufragi casus suos in tabula pingere, per quod ad misericordiam videntes moverent, ut eorum miseriis subvenirent; ut idem superius [5]: *Cantas, cum fracta te in trabe pictum.*

33. *Sed coenam funeris heres.* Verba avari, vel misericordis ad Persium: Hoc non faciam, ne heres meus mihi irascatur, quod largiendo hereditatem diminuam, aut funeri meo, ut solet fieri, ne coenam quidem impendat. Nam in funeribus coenam deliciosam apparare solebant, quae ad rogum allata cum ipsis corporibus cremabatur: quod et Virgilius [6] commemorat dicens:

congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

35. *Ossa inodora dabit*, id est, sine odore, hoc est, *sine unguentis, aut *inhonora*,* id est, mortis honore carentia, sine sepultura. *Seu spirent cinnama surdum;* hoc est, sive bonis, sive corruptis unguentis corpus

1 *rediturum* vulg.
2 Eadem leguntur apud Isidor. origg. XVII, 1. Papiam, Io. a Ianua (qui alia quaedam addit).
3 Virg. Aen. V, 128.
4 Gl. cod. Bern. „*Costa*, bort.“
5 Pers. I, 89.
6 Virg. Aen. VI, 224 sq.

meum dealbetur, heres tanquam offensus diminuta hereditate, negliget. *Surdum spirent*, acutum odorem non reddant.

36. *Seu ceraso peccent casiae.* Solent pigmentarii ceraso casiam admiscere, sicut et alias merces adulterant et emptoribus vendunt.

37. *Tune bona incolumis minuas?* Verba avari, quae sibi a suo herede dicta fingit. Tune rem familiarem ad me morte defluxuram minuas? *Sed bestius urget doctores Graios*, id est, philosophos bestiarum more ferocibus animis culpat avarus eo, quod ipsi praecipiant largiendum esse amicis egentibus.

38. *Ita fit, postquam sapere.* Verba heredis avari; et hoc dicit: Eo modo contigit, ut externam sapientiam pariter cum peregrinis mercibus emeremus.

39. *Sapere hoc nostrum*, nostra sapientia. *Maris expers.* Quae navigii ante ignara, ad nos per mare vel per philosophos transivit.

40. *Foenisecae crasso vitiarunt.* Rusticorum vitam dicit, quod edunt haec, qui foenum secant. *Crasso unguine.* *Quia cum rusticis oleum defecerit, adipem pecudum in pultes missum pro oleo accipiunt.* Ergo haec tam dura vita, qua etiam philosophi utuntur, in largitatem nostrae vitae se mutavit.

41. *Haec cinere ulterior metuas?* Verba Persii ad avarum, qui se de verbis sui heredis, ne largiretur inopi, excusabat, et hoc dicit: Nunquid postquam sepultus fueris, timeas, ne sine odoribus heres tibi faciat sepulturam? *Cinere ulterior*, id est, postquam factus fueris cinis. *At tu meus heres.* Verba poetae ad suum heredem futurum dicentis: Tu meus heres, quicunque eris, semotus a turba audi, id est, dissimilis esto ab istius cupidi heredis sententia.

43. *O bone num ignoras?* Volens ostendere Persius et probare, largitatem suam a quolibet herede nullo modo posse impediri, sic ei, qui naufrago non est largitus, heredi suo dicit: O mi heres, ne te scire dissimules, cognosce Caesaris grandem de Germanis triumphum. Donis arae et victimis ab omnibus cumulantur. Et ego in honorem deorum vel principis genii sacrificiis praeparo paria[1] centena mactare, hoc est, centum tauros et centum oves.

1 *omnia* vulg.

45. *Et aris frigidus excutitur cinis;* id est, ad sacrificium arae parantur, ut Virgilius [1]:

Impositum cinerem, et sopitos suscitat ignes.

Ac iam postibus arma, subaudi: Caesonia locat. Nam captivorum arma, ob iudicium victoriae, in postibus figebantur. Virgilius [2]:

Captivi pendent currus, curvaeque secures.

46. *Iam chlamydas regum.* Et hic subaudi: iam Caesonia parat. Ad splendorem triumphi vestes nobiles ipsius uxor principis parat Caesonia. *Gausapa* genus est pilei, quo captivorum capita induebantur [3].

47. *Esseda,* vehiculorum genera sunt, ut Virgilius [4]:

Belgica vel molli melius f. e. c.

Ingentesque locat, quia captivos in conspectu triumphantis incedere faciebat in ordine. Unde Virgilius [5] ait:

Incedunt victae longo ordine gentes.

49. *Quis vetat? aude,* ut sciat, se malum habiturum, si de largitate queratur. Hoc dicit: Habeto audaciam in hac re obstare mihi.

50. *Vae, nisi connives,* id est, si illi avaro consentis, et eo modo me prohibes largiri, ut illum suum testatorem ne largiatur, prohibet. *Oleum atroceasque* [6] *popello;* omnia populo expendam. Hoc ait volens ostendere hereditatem testatoris non heredis dominio subiacere.

51 sq. *An prohibes?* Heredem interrogat. *Non audeo, inquis. Exossatus.* Verba heredis, quem dialogice secum poeta loqui inducit; et hoc dicit: Non te audeo prohibere, quicquid velis de hereditate tua, ut non facias, quia ager ple-

1 Virg. Aen. VIII, 409.
2 Virg. Aen. VII, 184.
3 Cf. gloss. H. Steph. p. 100: „*Gausape*, *βαρβαρικὸν παλλίον.*“ Quod ibidem paullo ante legitur: „*Gausarus*, *ἐνδρομίς*“, emendandum est cum Salm. ad Tert. de pall. p. 272. *Gausapus*, quae forma Graeco *γαυσάποις* apud Strabonem V p. 218 B defendi poterit. Cassius Severus dixit: „*Gausapo purpureo salutatus*“ (Charis. I p. 80. Prisc. VII p. 759), unde *gausapum* finxit Priscianus, non lectum sibi alio loco. Cf. Heinrich. ad Iuv. III, 104, quem glossas illas iam adhibuisse video. Quod schol. *gausapa* pilei genus esse dicit, conferri potest Isidori glossa: „*Mappa*, gausapa, tegilla, expiarium,“ si ibi *tegilla* recte de capitis tegumento explicavit M. Röver, emendatt. ad gloss. nomic. c. 15 p. 104.
4 Virg. Georg. III, 204.
5 Virg. Aen. VIII, 722.
6 Gloss. H. Steph. p. 226: „*Visceratio*, *ἀρτόκρεας.*“

nus lapidibus longe non est, quo me contradicentem obruas. Nam *exossatus*, lapidibus plenus, secundnm eos qui diffiniunt, lapides esse ossa terrae, unde Ovidius [1]:

lapides in corpore terrae
Ossa reor dici.

Age, si mihi nulla. Hic poeta tangit heredipetas, qui quamvis nulla cognatione testatoribus adhaereant, tamen propinquos vel heredes se videri volunt.

53. *Amita* est soror patris. *Patruelis* filia patrui. *Patruus* frater patris. *Proneptis*, filia nepotis.

54. *Matertera patrui*, hoc est, soror aviae maternae; *matertera* soror matris.

55. *Avia* et patris et matris mater. *Accedo Bovillas.* **Bovillae* sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae, quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus iam consecratus, ibi comprehensus est, inde Bovillae dictae [2].*

56. *Clivumque ad Virbi.* *Quatuor [3] millibus ab urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur, id est, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit.* Nam cum Hippolytus a Phaedra noverca ob pulchritudinem corporis amaretur, eam sprevit, patrios thalamos nolens violare; et ne Hippolytus patri suo narraret, eum noverca verso crimine ultro apud Theseum maritum accusavit, quo agnito Hippolytus fugit, et dum curru in littore exercetur, petiit a Neptuno Theseus, ut ei phocas, id est, vitulos marinos immitteret, quo facto equi eius expavescentes eum iactaverunt, et mortuus est. Dolens Diana speciosum venatorem amisisse, Aesculapium

1 Ovid. Met. I, 393 sq.

2 Cf. Non. s. v. „*Hillas* intestina veteres esse dixerunt. Unde Bohilla oppidum in Italia, quod eo bos intestina vulnere trahens advenerit.“

3 *Tribus* ed. pr. Cluver. Ital. ant. III, 4 p. 390 em. *quatuordecim millibus*. Neque illud rectum esse potest. Fortasse error inde natus est, quod *Aricia*, cui vicinus fuit Virbii clivus (cf. Dion. H. VI, p. 366: „*Ἀρικεία, ἣ διέχει σταδίους ἑκατὸν εἴκοσι τῆς Ῥώμης*,“ Philostr. v. Apoll. Tyan. IV, 36: „*Στάδια δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀπέχων ἐνέτυχε Φιλολάῳ τῷ Κιττιεῖ περὶ τὸ νέμος τὸ ἐν τῇ Ἀρικίᾳ*“), quem alii scriptores in comment. allati Aricinum vocant, a *Bovillis* quatuor, aut secundum tabulam Peutingerianam, tribus milibus distabat, cf. Nibby, analisi I p. 261 sq. Quare pro vv. *ab urbe* fortasse reponendum *a Bovillis*. Ceterum de *clivo Virbio*, sive *Orbius* rectius dicitur, in ipsa urbe v. intpp. Liv. I, 48, 6.

auctorem medicinae petiit, ut sua arte ad vitam revocaret: quo facto Aesculapius eum vivum Dianae restituit, et acceptum, in luco suo otiose ut viveret, consecravit, et Virbium vocavit merito, quod bis in vitam prolatus esset. *Praesto est mihi Manius.* Ergo huc cum processero, aut ad Bovillas, aut ad clivum Virbii, continuo mihi Manius occurrit, qui se heredem meum esse dicat, cum eum nesciam. Aut certe *Manium dicit deformem et ignotum hominem, eo, quod maniae dicuntur indecori vultus personae, quibus pueri terrentur.[1]*

57. *Progenies terrae.* Hoc dicit: Hic Manius tam longe a te nascitur, ut terrae filius videatur. *Quaere ex me, quis mihi quartus.* Hoc dicit: Si proavi nomen a me inquiris, non facile dicam. *Quartum* enim *patrem* dicit *abavum*, quia primus *pater*, secundus *avus*, inde *proavus*, deinde *abavus*.

58. *Adde etiam unum, unum etiam.* Deest: ut dicam; et est sensus: Pone me scire atavum, pone et tritavum, hunc tamen Manium ignoro.

59. *Terrae est iam filius;* non secundum cognationis ordinem, sed secundum humanitatis legem mihi propinquus est, cum sit terrae filius.

60. *Et mihi ritu Manius hic gen.* Hic Manius tam grandis natu est, ut si vere proximus parens fit, secundum generis ritum, avunculus esset mihi maior. *Maior* autem *avunculus*, aviae frater.

61. *Qui prior es, cur me.* *Apud Athenas ludi celebrabantur, in quibus cursu iuvenes certabant,* et *qui victor erat primus facem tollebat, deinde sequenti se tradebat, et secundus tertio; similiter omnes* faciebant, et sibi invicem tradebant, *donec currentium numerus compleretur[2].* Et est sensus: Cum tu aetate me antecedas, cur hereditatem meam tradi tibi a me expectas?

62. *Sum tibi Mercurius, venio;* id est, cum lucro venio ad te. Mercurium enim deum lucri dicebant. *Ut ille pingitur*, quia eum cum saccello pleno pecuniae pingebant.

63. *An renuis?* An forte ea, quae tibi offero, spernis? *Vin' tu gaudere relictis?* Vis etiam tu gratis accipere, et gaudere ad ea, quae tibi dimitto?

1 Ita apud Fest. s. v. *Manius* Sinnius Capito, qui ait turpes et deformes vocari, qui maniae dicuntur deformes personae. Cf. Fest. s. v. maniae, Müller, Etrusk. II p. 101 sqq.

2 *impler.* Pith.

64. *Deest aliquid summae;* hoc dicit: Accipe quod fero, nec rationem exegeris diminuti patrimonii: quia huic aliquid minuitur, cuius fuerit iure integrum. Si quid consumpsi de meo, fractum est: at quod superest, tibi totum est.

65. *Ubi sit, fuge quaerere;* id est: Quicquid mihi quondam a Stadio [1] per legatum dimissum est, ne requiras.

66. *Neu dicta repone paterna.* Ne me de more paterno discutias.

67. *Foenoris accedat merces.* *Tractum est hoc a patribus, qui dicunt filiis suis: Hoc, quod vobis lucri de foenore accessit, ad fructum, id est, ad usum vitae vobis proficiat, reliquum vero pecuniae reservate integrum.*

68. *Reliquum? Nunc, nunc impensius.* Quia induxerat heredem computantem, quid dereliquisset, ipse velut indignatus, hoc verbum repetit dicens: reliquum? Deinde velut exardescat ira, lautius se et sumptuosius vivere minatur, et multo magis abuti suis rebus, et praecipit lautiores escas sibi iam parari.

69. *Unge puer caules,* quod dixit, quia avarus prae nimia parcitate impensiores epulas putavit, caules unctos oleo comedere. *Mihi festa luce coquatur urtica.* Sensus est: An ego fame moriar, et festis diebus *urtica* vescar, et *sinciput fumosum,* quod est dimidium caput porcinum, ut dum ego parce vivo, tuus nepos, id est, tuus filius perditus haec omnia, quae servo, impensius vivendo abliguriat? et saturatus anserum iecinoribus, in patriciarum turpibus stupris bona mea consumat, cum in eo libido exarserit?

73. *Mihi trama figurae.* Hoc dicit: Ego ad summam maciem, et tenuitatem deducar, ut ille deliciis pinguescat. *Trama figurae,* tractum est a muliebribus telis, quae sine stamine inanes videntur.

74. *Tremat omento. Omento* dicit pinguedine. *Popa venter,* pinguis, quia *popaeana* genera sunt panis, quibus sacerdotes et eorum ministri vescebantur, quibus assidue pasti pingues fiebant [2].

75. *Vende animam lucro.* Verba sunt poetae ad illum, qui ut multum heredi derelinqueret, ipse se in lucrorum desi-

1 *Tedeio Tacio* Vin.

2 Papias: „*Popa*, pinguedo ponitur pro grasso vel gravi spisso;“ cf. idem s. v. „*popina*, coquina, a popa, quod est spissa caro.“

derio atterit. Aut certe: Periculis obiice te lucri causa, ut gladiatores faciunt, qui studio lucrandi animas suas morti opponunt. *Mercare, atque excute sollers.* Mercis mutandae gratia, ac pecuniae complicandae, universos mundi recessos percurre: ne sit te mercatorum quis ditior.

77. *Cappadocas rigida pingues.* *Gladiatores significat. Nam apud antiquos gladiatores venales in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra conspici. Vel quia Cappadoces dicerentur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda, qui nutriti a pueritia in tormentis equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torquerent, et cum in poena perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent[1]. Legitur et *plausisse*, quoniam venales antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suae.*

78. *Feci. Iam triplex.* Feci, et rem meam duplicavi, iam in triplo, iam in quadruplo. Ecce iam duplex mihi res familiaris facta est.

79. *In rugam ἀλληγορικῶς* dixit a vestibus, quod ad rugam plicentur. *Depinge, ubi sistam;* id est: pone modum in cremento substantiae, et dic, quousque substantiam augeam.

80. *Inventus Chrysippe.* *Chrysippus, philosophus Stoicus, syllogismum *σωρίτην** posuit et *vocavit, quem per adiectionem et detractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit.* Ergo poeta hoc dicit: Quantumcunque avaro abundantia crescit substantiae, non satiatur, et sic in infinitum cupiditatis desiderium extendit, ut, qui ei avaritiae finem voluerit imponere, facile videatur etiam syllogismon Chrysippi diffinire.

1 Haec explicatio, quam adoptavit Io. Voss. ad Catull. p. 34, orta est ex prava interpretatione v. *catasta*, quod tormenti genus significavit serioribus temporibus, ex martyrum historia notum. Cf. Prudent. Peristeph. I, 56. II, 399. VI, 33. X, 467. Papias: „*Catasta*, genus tormenti, equuleo simile;“ quae repetit Io. a Ianua. *Cappadoces* autem famosi erant, ob malam fidem praesertim (cf. Anth. Pal. XI, 237. 238), v. Iuven. VII, 15, quem vs. ex hoc scholio confictum putarunt Pinzger. de vss. spur. p. 10 et Heinrichius.

INDICES.

I. VOCABULA SATIRARUM PERSII.

a. I, 58. II, 40. V, 88. 160. VI, 42. 43.
ab. V, 5. 46.
abaco. I, 131.
ablatura. I, 100.
abripit. V, 159.
abrodens. V, 163.
ac. I, 8. 10. 35. V, 114. VI, 45. — que — ac. V, 114. — ac si. I, 66. — ac tamen. II, 48. V, 159.
accedo. VI, 55. — accedam. V, 173. — accedas. I, 6. — accedat. VI, 67.
accipio. V, 87.
acerra. II, 5.
acervi. VI, 80.
aceti. IV, 32. — aceto. V, 86.
acre. IV, 34. V, 127. — acri. II, 13. III, 23. V, 14.
actus. V, 99.
ad. prol. 7. I, 9. III, 30. 31. IV, 28. V, 123. 126. 131. 141. 165. VI, 56.
adde. VI, 58. — addita. I, 92.
adductis. III, 47.
adeo. VI, 14. 51. — usque adeo. I, 26.
adhuc. III, 58.
admissus. I, 117.
admovet. VI, 1. — admoveam. II, 75.
adsigna. V, 81.
adsit. III, 7.
adsonat. I, 102.
adspice. I, 125. — adspexi. I, 10.
adstringas. V, 110.
aduncа. IV, 40.
advehe. V, 134.
adverso. I, 44.
aedes. II, 36.
aedilis. I, 130.
Aegaeum. V, 142.
aegra. III, 63. — aegris. III, 88. — aegro. V, 129.
aegroti. III, 83.
aenos. II, 56.
aequali. V, 47.
aera. II, 59. III, 39.
aerumnis. I, 78.
aerumnosi. III, 79.
affero. prol. 7. — afferre. I, 69.
afflate. I, 123.
agam. V, 134. — agis. III, 5. V, 154. — agendo. V, 97. — egit. V, 131. — egerit. V, 69.
agaso. V, 76.
age (*interj.*). II, 17. 42. VI, 52. — agedum. II, 22.

ager. II, 49. VI, 52.
agitare. VI, 5. — agitet. V, 129.
agnam. V, 167.
ais. I, 2. IV, 27. — ait. I, 84. III, 7. V, 163.
albata. II, 39.
albus. I, 16. III, 115. — albo. III, 89. — alba. I, 110. V, 183. — albas. I, 59.
alea. V, 57.
alges. III, 115. — algente. III, 111.
alienis. I, 22.
aliquis. I, 32. III, 8. 77. — aliquem. I, 129. — aliquid. I, 14. 125. III, 60. V, 137. VI, 32. 64.
alius. V, 83. VI, 18. — alia. III, 36. — aliud. IV, 19. V, 68.
alli. V, 188.
alter. I, 27. VI, 76. — altera. V, 67. VI, 26.
alternus. V, 155. 156.
alto. III, 33. 103. V, 95.
ambages. III, 20.
ambiguum. V, 34.
ambitio. V, 177.
ambo. V, 43. — amborum. V, 45.
amens. III, 20.
amicus. VI, 28. — amico. I, 116. — amice. V, 23. — amicis. III, 47. V, 109.
amitis. VI, 53.
amo. I, 55.
amomis. III, 104.
amorum. IV, 48.
amplexa. V, 182.
an. I, 41. 87. II, 19. 26. III, 19. 27. 61. V, 83. 125. 155. 163. 164. VI, 51. 63. — anne. III, 39.
ancipiti. V, 156. — ancipitis. IV, 11.
angues. I, 113.
angulus. VI, 13.
angustae. III, 50. — angustas. III, 2.
anhelet. I, 14. — anhelanti. V, 10.
animae. I, 14. V, 23. — II, 61. — animam. VI, 75.
animus. IV, 7. V, 39. — animo. II, 73. V, 65.
annos. II, 2. V, 36. 69.
annuere. II, 43.
anseris. VI, 71.
ante. I, 74. II, 33. IV, 5. 15. V, 115. 142. 166.
Anticyras. IV, 16.
Antiopa. I, 78.
antithetis. I, 86.
anus. IV, 19.
Apennino. I, 95.
aperto. II, 7.
apponit. II, 2. — apposita. V, 38.
aprici. V. 179.
aptas. V, 140. — aptaveris. V, 95.
aptior. II, 20. — aptius. I, 45. 46.
Apula. I, 60.
aqualiculus. I, 57.
arat. IV, 26.
arator. V, 102.
aratra. I, 75. — aratro. IV, 41.
Arcadiae. III, 9.
arcana. IV, 35. (*abl.*) V, 29.
Arcesilas. III, 79.
arcessis. II, 45. — arcessat. V, 172.
arcum. III, 60.

aris. VI, 44.
aristas. III, 115.
arma. I, 96. VI, 45.
Arreti. I, 130.
ars. V, 105. — artis. prol. 10.
articulos. V, 59.
artifex. prol. 11. — artificem. V, 40. — artifices. I, 71.
artocreas. VI, 50.
artos. V, 170.
arundo. III, 11.
asini. I, 121.
asper. III, 69.
assem. I, 88.
assensere. I, 36.
assidue. III, 1.
assiduo. IV, 18.
ast. II, 39. VI, 27. 74.
astutam. V, 117.
at. I, 28. II, 5. 23. 68. III, 16. 96. 105. IV, 33. V, 62. 171. 179. VI, 41.
atque. III, 62. 82. 98. V, 44. 94. 170. VI, 4. 75. — que — atque. II, 32. — atque (*post compar.*). V, 131.
Atti. I, 50. 76.
attinge. III, 108.
Attis. I, 93. 105.
audaci. I, 123.
aude. VI, 49. — ausim. V, 26.
audi. VI, 42. — audiat. II, 8. — audiet. V, 137. — audire. I, 87. — audiret. III, 47. — audis. I, 125.
auratis. III, 40.
aure. I, 126. VI, 70. — aurem. II, 21. V, 86. 96. — aures. IV, 50. V, 63.
aurea. II, 58.
auriculas. I, 59. 108. 121. II, 30. — auriculis. I, 22. 23.
aurum. II, 59. 69. — auro. II, 53. 55. IV, 44. V, 106.
Auster. VI, 12.
aut. II, 29. 31. III, 68. V, 5. 8 (*bis*). VI, 16.
avaritia. V, 132.
avia. II, 31. — (*abl.*) VI, 55. — avias. V, 92.
avidos. V, 150.
avis. I, 46.
avunculus (maior). VI, 60.
axe. V, 72.
baccam. II, 66.
balanatum. IV, 37.
balba. I, 33.
balnea. V, 126.
balteus. IV, 44.
barba. II, 58. — barbam. I, 133. II, 28.
barbatum. IV, 1.
Bassaris. I, 101.
Basse. VI, 1.
Bathylli. V, 123.
Baucis. IV, 21.
beatulus. III, 103.
belle. I, 49 (*bis*).
bellum (*adi.*). I, 87 (*bis*).
bene. I, 111. IV, 22. 30.
Berecyntius. I, 93.
Bestius. VI, 37.
beta. III, 114.
bibulas. IV, 50.
bicipiti. prol. 1.
bicolor. III, 10.
bidental. II, 27.
bilis. III, 8. V, 144. — bile. II, 14. IV, 6.
bis. II, 16.
blandi. V, 32. blando. IV, 15.
bombis. I, 99.
bone. II, 22. III, 94. VI, 43. boni (*neutr.*). IV, 17. —

bona. II, 5. 8. bona (*neutr.*). II, 63. VI, 21. 37. *cf.* melior.
bove. II, 44. — boves. I, 74.
Bovillas. VI, 55.
bracatis. III, 53.
brevis. V, 121.
Brisaei. I, 76.
bruma. VI, 1.
Bruto. V, 85.
Bruttia. VI, 27.
buccas. V, 13.
bulla. V, 31.
bullit. III, 34.
buxum. III, 51.
caballino. prol. 1.
cachinno (onis). I, 12.
cachinnos. III, 87.
cadat. V, 91. — cadunt. III, 102.
caeco. I, 62. — caecum. IV, 44.
caedimus. IV, 42. — caedit. I, 106. — caeso. II, 44.
caepe. IV, 31.
caerulea. VI, 33. caeruleum. I, 94.
Caesare. VI, 43.
Caesonia. VI, 47.
caetera. V, 122.
Calabrum. II, 65.
calamo. III, 12. 19.
calcaverit. II, 38.
calces. III, 105.
calet. III, 108.
calice. VI, 20.
calidae. IV, 7. — calido. V, 144. — calidum. I, 53. III, 100.
callem. III, 57.
calles (*verb.*). IV, 5. 105.
callidus. I, 118. V, 14. — callidior. III, 51.
Calliroen. I, 134.
caloni. V, 95.
calva. I, 56.
camelo. V, 136.
Camena. V, 21.
camino. V, 10.
campo. V, 57. campos. II, 36.
candelae. III, 103.
candidus. II, 2. IV, 20. V, 33. — candida. III, 110.
canicula. III, 5. 49.
canina. I, 109.
canis. I, 60. V, 159.
cano. I, 83. — canis. V, 65.
canitiem. I, 9.
cannabe. V, 146.
canthum. V, 71.
canto. V, 166. — cantas. I, 89. — cantet. I, 88. — cantaveris. IV, 22. — cantare. prol. 14.
capillis. III, 10.
Cappadocas. VI, 77.
caprificus. I, 25.
captis. VI, 46.
caput. I, 100. II, 16. III, 58. V, 188. — capiti. I, 83. — capite. III, 80. 106. V, 18.
carbone. V, 108.
caret. III, 33.
caris. III, 70.
carmen. prol. 7. — carminis. V, 5. — carmina. I, 20. 43. 63. V, 2.
carpamus. V, 151.
casiae. VI, 36. — casiam. II, 64.
casses. V, 170.
castiges. I, 7.
castoreum. V, 135.
catasta. VI, 77.
catenae. V, 160.
catinum. V, 182. — catino. III, 111.

Catonis. III, 45.
cauda. V, 183. — caudam. IV, 15.
caules. VI, 69.
causas. III, 66.
cautus. IV, 49. V, 24.
cedo. II, 75.
cedro. I, 42.
celsa. I, 17.
censen'. V, 168.
censorem. III, 29.
centenas. V, 26. — centeno. V, 6.
centum. I, 29. V, 1. 2 (*bis*). 191. VI, 48.
centuriones. V, 189. — centurionum. III, 77.
centusse. V, 191.
ceraso. VI, 36.
cerdo. IV, 51.
certe. V, 51.
certo (*adi.*). V, 45. 100. — certum. V, 65.
cervice. I, 98. — cervices. III, 41.
cespite. VI, 31.
cessas. V, 127. — cesses. IV, 33.
cessit. V, 30.
ceves. I, 87.
Chaerestratus. V, 162.
χαῖρε. prol. 8.
chartae. III, 11. — chartis. V, 62.
chiragra. V, 58.
chlamydes. VI, 46.
chordae. VI, 2.
Chrysidis. V, 165.
Chrysippe. VI, 80.
cicer. V, 177.
ciconia. I, 58.
cicutae. IV, 2. V, 145.
cinis. I, 36. V, 152. VI, 45. — cinere. VI, 41.
cinnama. VI, 35.
cippus. I, 37.
circum. I, 32. 117.
cirratorum. I, 29.
cito. V, 161. — citius. V, 95.
citreis. I, 53.
cives. VI, 9.
cladem. VI, 44.
clam. I, 119.
clamet. II, 22. 23.
clare. II, 8. VI, 51.
clarum. III, 1.
claudere. I, 93. — clauso. V, 11.
Cleanthea. V, 64.
clientis. III, 75.
clivum. VI, 56.
Coa. V, 135.
coelestium. II, 61.
coena. V, 147. — coenam. VI, 33.
coenanda. V, 9. — coenare. VI, 16.
cognatis. V, 164.
cognoscite. III, 66. VI, 9.
colligis. I, 22. V, 85.
collo. III, 50. V, 160.
collueris. I, 18.
columbo. III, 16.
comitem. I, 54. — comites. V, 32. — comitum. III, 7.
committere. II, 4.
commota. IV, 6.
compage. III, 58.
compescere. V, 100.
compita. IV, 28. V, 35.
compositus. III, 104. — compositum. II, 73. — compositas. III, 91.
conari. prol. 9.

concessit. V, 119.
conchae. II, 66.
concordia. V, 49.
condidit. VI, 29.
connives. VI, 50.
consentire. V, 46.
consumere. V, 41. — consumsimus. V, 68.
contemnere. III, 21.
contentus. V, 139.
continet. V, 98.
continuo. V, 190.
contra. V, 96.
convivae. I, 38.
coquatur. VI, 69. — coquit. III, 6. — coquitur. V, 10. — coxit. II, 65. — cocta. III, 22. — coctum. I, 97.
cor. I, 78. II, 54. III, 111. VI, 10.
corbes. I, 71.
cornea. I, 47.
cornicaris. V, 12.
cornua. I, 99.
Cornute. V, 23. 37.
corpus. II, 41. — corpora. V, 187.
corrupto. II, 64.
cortice. I, 96.
corvos. prol. 13. III, 61.
corymbis. I, 101.
costa. VI, 31. — costam. I, 95.
cras. V, 66 (*bis*). 68 (*bis*).
Crassi. II, 36.
crassus. III, 12. — crasso. VI, 40. — crassum. V, 191. — crassa. II, 42. — crassis. III, 104. — crassos. V, 60.
crateras. II, 52.
Cratero. III, 65.
Cratino. I, 123.
credam. IV, 47. — credas. prol. 14. V, 161. — crede. IV, 1. — credens. I, 129. — credere. V, 80.
crepet. II, 11. V, 25. — crepuere. III, 101.
crepidas. I, 127.
crescit. II, 49 (*bis*).
creta. V, 108.
cretata. V, 177.
cribro. III, 112.
crimina. I, 85.
crispante. III, 87.
Crispini. V, 126.
crudi. I, 51. — crudis. I, 92. — crudo. II, 67. — crudum. V, 162.
crura. IV, 42.
cubito. IV, 34.
cui, cuinam *cett. cf.* qui, quis *cett.*
culpa. III, 33. — culpam. V, 16.
cultor. V, 63.
cultrix. III, 26.
cum (*c. ind. praes.*). I, 11. 20. 45. 74. 89. II, 24. III, 81. IV, 12. V, 34. 160. (*c. ind. perf.*) I, 9. III, 115. V, 30. 32. 67. 179. (*c. ind. fut.*) III, 63. VI, 72. (*c. coni. praes.*) I, 56. 80. II, 47. IV, 37. 46. V, 72. 122. 172. (*c. coni. perf.*) I, 17. III, 36. IV, 22. V, 58. 113. 115. 157.
cum (*praepos.*). I, 16. 119. 124. IV, 30. V, 18. 139. 166. 186. VI, 39. — secum. III, 81. — tecum. IV, 52. V, 12. 41. 42.
cumini. V, 55.
cunis. II, 31.

cur. III, 85. V, 89. VI, 61. — cur non. III, 16.
curas. I, 1.
Curibus. IV, 26.
curo. III, 78. — cures. II, 18. — curata. IV, 18.
curras. V, 72. — currere. III, 91.
curta. IV, 52. — curto. V, 191.
curtaveris. VI, 34.
curvus. VI, 16. — curva. IV, 12. — curvae. II, 61. — curvos. III, 52.
custos. V, 30.
cuticula. IV, 18.
cutis. III, 63. — cute. I, 23. IV, 33.
cynico. I, 133.
Dama. V, 76. 79.
damnosa. III, 49.
Dave. V, 161. 168.
de. I, 33. 55. 109. II, 7. 18. 67. 71. III, 77. 84. 92. V, 92. 104. VI, 30. 31. 55.
debilis. V, 99.
deceat. III, 27. 71. 114.
decenter. I, 84.
decerpere. V, 42.
decies. VI, 79.
decipe. IV, 45. — deceptus. II, 50.
decoctius. I, 125.
decoquit. V, 57.
decor. I, 92.
decorus. IV, 14.
decursu. VI, 61.
decussa. III, 112.
dedecus. I, 81. V, 163.
deducit. V, 35.
deest. VI, 64.
defecerit. III, 76.
defensis. III, 74.
defer. V, 126.
defigere. V, 16.
deinde. IV, 8. V, 143.
delphin. I, 94.
delumbe. I, 104.
demersus. III, 34.
demorsos. I, 106.
nunc demum. I, 64.
denique. I, 52.
dentalia. I, 73.
dente. VI, 21. — dentes. III, 101.
depellentibus. V, 167.
depinge. VI, 79.
deposcere. V, 26.
deprendere. III, 52.
deradere. IV, 29.
descendere. IV, 23.
desinis. IV, 16.
despuat. IV, 35.
despumare. III, 3.
destertuit. VI, 10.
deterius. III, 96. IV, 21.
detonsus. IV, 38. — detonsa. III, 54.
deunces. V, 150.
deus. III, 71. VI, 62. — dei (*pl.*). VI, 30. — deorum. II, 29. — dis (*dat.*). II, 63. VI, 48. — (*abl.*) IV, 27. V, 167. — deos. V, 187.
dexter. III, 48. — dextram. III, 107. — dextro. II, 11. III, 57. V, 114.
dia. I, 30.
dicere. I, 8. 44. 68. 128. IV, 2. — dicis. III, 117. — dicit. III, 90. — dicam. I, 56. VI, 58. — dicas. I, 23. III, 9. V, 17. 158. 171. — dicat. III, 42. 78. IV, 46. — dixit. V, 81. — dixeris. V, 113.

189. — dic. II, 22. IV, 3. VI, 51. — dicite. I, 55. II, 69. — dicier. I, 28. — dicta. VI, 66. — dicenda. IV, 5.
dictarunt. I, 52. — dictata. I, 29.
dictatorem. I, 74.
diduxit. III, 56.
dies. III, 15. V, 46. 60. 180. — diem. II. 1. IV, 15. V, 67.
digito. I, 28. II, 33. V, 138. — digitum. V, 119.
digna. I, 42.
dignoscere. V, 24. 105.
diluis. V, 100. — dilutas. III, 14.
Dinomaches. IV, 20.
dira. III, 36. IV, 2.
dirigat. I, 66. — dirigis. III, 60.
dirimebat. I, 94.
discedo. I, 114.
discere. III, 46. — didicit. I, 93. — disce. III, 73. V, 91. — discite. III, 66. — didicisse. I, 24.
discerne. IV, 11.
discincti. III, 31. — discincto. IV, 22.
discolor. V, 52.
discrepet. VI, 18.
disponimus. V, 43. — dispositae. V, 181.
dissolvit. II, 64.
dissutis. III, 59.
ditescant. VI, 15.
diversum. V, 154.
dives. IV, 26.
dividit. V, 49.
divis. II, 4. — divum. II, 31. III, 35.
do. I, 134. — dat. I, 68. — damus. II, 71. V, 22. — dant. VI, 8. — dedit. V, 105. — dederam. V, 118. — dabit. VI, 35. — dabitur. II, 50. — da. II, 45. 46. IV, 45. — dare. II, 71. V, 20. 93. — datus. III, 68. — datum. V, 124.
docet. III, 53. — docuit. prol. 9. — doctus. V, 16. — doctas. I, 86.
doctores. VI, 38.
dolores. V, 161.
dolosi. prol. 12.
dominus. V, 78. — domini. V, 130. — dominum. V, 125. — dominos. V, 156.
domus. II, 25. — domum. I, 75. — domo. III, 92.
dona. II, 53.
donas. V, 67. — donant. V, 82. — donaveris. IV, 50. — donare. I, 54. — donata. V, 31. — donatae. II, 70.
donec. II, 50.
dubites. V, 45.
ducis (*gen.*). VI, 48.
ducis. III, 28. — ducit. V, 40. 176. — ducitur. II, 14. — ducere. II, 63. V, 83. — duci. V, 46. — ducentes. V, 4.
dudum. III, 6.
dulcis. V, 23. 109. — dulcia. V, 151.
dum (*c. ind. praes.*). III, 4. V, 10. 92. 165. — dumne. IV, 21.
duo. I, 3. — duorum. V, 49. — duos. I, 113.
duplica. VI, 78.
duplici. V, 154.
durum. III, 112.

c. I, 38. 39. III, 101. V, 136.
ebenum. V, 135.
ebrius. V, 166. — ebria. I, 51.
ebulliat. II, 10.
ecce. I, 30. 69. II, 31. V, 68.
Echo. I, 102.
edictum. I, 134.
effluis. III, 20.
effundat. I, 65.
ego. I, 45. 121. II, 39. III, 30. 78. IV, 20. V, 26. 124. VI, 12. 22. 62. — mihi. I, 4. 47. 55. 126. II, 11. III, 78. 88. 96. V, 19. 27. 30. 89. VI, 6. 52. 56. 57. 59. 64. 65. 69. 73. 78. — mi. I, 2. — me (*accus.*). I, 88. 91. 110. 119. IV, 46. V, 36. 51. VI, 61. — (*ablat.*) I, 55. VI, 57. — nobis. I, 104. V, 82.
egregie. VI, 49.
egregius. VI, 6. — egregium. IV, 46.
eheu. V, 137.
eia. V, 132.
elargiri. III, 71.
elegidia. I, 51.
elevet. I, 6.
eliquat. I, 35.
elixas. IV, 40.
emaci. II, 3.
emeris. II, 30. — emta. VI, 20.
emeruit. V, 74.
emole. VI, 26.
en. I, 26. III, 5. V, 134. 154.
enarrabile. V, 29.
enim. I, 47. 63. V, 63.
Enni. VI, 10.
ensis. III, 40.
eo, i. IV, 19. V, 126. — imus. III, 41. 42.
epulis. III, 98. V, 42.
equidem. I, 110. V, 19. 45.
Ergenna. II, 26.
ergo. IV, 6.
error. V, 34.
escas. I, 22.
esseda. VI, 47.
est, esse *cett. cf.* sum.
et. prol. 13. I, 3. 4. 9. 16. 21. 24. 28. 34. 40. 42. 49. 55. 72 (*ter*). 75. 77. 88. 92. 94. 96. 98. 100. 101. 105 (*bis*). 115. 117. 128. 131. II, 7. 8. 9. 10. 13. 16. 30. 33. 35. 37. 46. 48. 50. 53. 60. 61. 63. 66. 74. 75. III, 2. 6. 10. 17. 18. 23 (*bis*). 25. 30. 32. 33. 40. 42. 54. 55. 56. 60. 65. 66. 67. 68. 72. 75 (*bis*). 80. 81. 88. 107. 112. 116. IV, 4. 13. 18. 31. 33. 34. 45. V, 2. 16. 18. 25. 34. 39. 42. 43. 46. 52. 55. 61. 69. 72. 77 (*bis*). 87. 96. 105. 116. 120. 126. 129. 131. 134. 140. 152 (*bis*). 171. 172. 173. 177. 186. 191. VI, 2. 5. 8. 12. 13. 17. 25. 26. 29. 37. 39. 44. 59. 70. — et (= *etiam*). I, 23. 125. II, 68. V, 159. VI, 31.
etenim. I, 111. III, 48. IV, 10. V, 41.
etiam. VI, 58. 59.
etsi. VI, 14.
euge. I, 49. 75. 111. V, 167.
Eupolidem. I, 124.
Evion. I, 102.
evitanda. V, 107. — evitandum. II, 27.

ex. I, 44. 90. II, 63. III, 62. VI, 11. 53. 57.
examen. I, 6. V, 101.
excepto si. V, 90.
exclamet. V, 103.
excute. I, 49. VI, 75. — excutit. III, 101. — excutitur. VI, 45. — excutias. II, 54. — excussit. III, 115. — excusso. I, 118. — excutienda. V, 22.
exeo, exis. V, 130. — exit. I, 45. 46. V, 78. VI, 60. — exieras. V, 174. — exierit. I, 25.
exhalet. V, 148. — exhalante. III, 99.
exime. VI, 67. — exemit. II, 32.
exoptas. II, 44.
exossatus. VI, 52.
expedivit. prol. 8.
expers. VI, 39.
expiat. II, 34.
exporrecto. III, 82.
expungam. II, 13.
exspecta. IV, 19.
exspes. II, 50.
exstat. IV, 38. — exstet. I, 57.
exstinxerit. V, 145. — exstincta. V, 166.
exsultat. I, 82.
exsuperat. III, 89.
extendit. III, 2. 105. V, 38.
extis (*abl.*). II, 48. VI, 71.
extra. I, 7. 113.
extremum. I, 48.
extrinsecus. V, 128.
fabula. V, 3. 152.
face. III, 116. V, 166.
facere. V, 97. — facis. III, 117. IV, 48. — facit. II, 69. V, 76. — facimus. I, 10. — faciam. I, 12. V, 172. — feci. I, 44. VI, 78. — faxit. I, 112. — fecisse. IV, 7.
facies (*accus. pl.*). II, 56.
faecem. IV, 32.
faenisecae. VI, 40.
faeno. I, 72.
fagi. V, 59.
Falernum. III, 3.
fallere. V, 37. — fallier. III, 50. — fallit. IV, 12.
fama. II, 8.
far. III, 25. V, 74. — farre. II, 75.
farina. III, 112. — farinae. V, 115.
farragine. V, 77.
farratam. IV, 31.
fas. I, 8 (*bis*). 61. II, 73. III, 69. V, 98. VI, 25.
fata. V, 49.
fauces. III, 113. — faucibus. III, 89.
favilla. I, 39.
faxit *cf.* facere.
feci *cf.* facere.
felix. I, 37.
fenestra. V, 180. — fenestras. III, 1.
fermentum. I, 24.
ferrum. V, 4.
fert. IV, 7. — feram. II, 53. — ferat. III, 62. — ferret. III, 48. — tulit. I, 75.
ferto. II, 48.
ferus. V, 171.
fervescit. III, 116.
fervet. IV, 6. — ferveat. I, 126. — fervebis. V, 9. — ferventis. II, 67. — ferventi. III, 37.

festa. VI, 69.
festuca. V, 175.
fetum. II, 46.
fiat *cf.* fit.
fibra. I, 47. — (*abl.*) II, 45. V, 29. — fibris. II, 26. III, 32.
fictile. II, 60.
fidele. II, 41. — fidelibus. V, 48.
fidelia. III, 22. 73. V, 183.
fierent *cf.* fit.
fides. II, 8.
fidis. VI, 4.
figit. IV, 28. — figas. IV, 33. — fixi. V, 27. — figentes. III, 80. fixum. V, 111.
figurae. VI, 73. — figuras. I, 86.
filius. VI, 59.
filix. IV, 41.
findor. III, 9. — fissa. VI, 70.
fine. III, 24. — finem. I, 48. V, 65.
fingendus. III, 24.
finire. V, 161.
finitor. VI, 80.
fissa *cf.* findor.
fistula. III, 14.
fixi *cf.* figit.
Flaccus. I, 116.
flagello. III, 51.
flagellas. IV, 49.
flamma. II, 47.
flexura. I, 101.
flexus. III, 68.
Floralia. V, 178.
fluere. I, 64.
flumine. II, 16.
focus. I, 72. — foci. III, 26. — foco. VI, 1.
foedere. V, 45.
foenoris. VI, 67.
folle. V, 11.
fonte. prol. 1.
forcipe. IV, 40.
forent *cf.* sum.
fores V, 166.
forte (*adv.*). I, 45. 108. 125. III, 109.
fortunare. II, 45. — fortunata. I, 39.
fossor. V, 122.
frange. VI, 32. — frangimus. V, 50. — frangam. V, 165. — fregit. I, 115. — fregerit. I, 130. V, 59. — fractus. I, 18. — fracta. I, 89.
fratres. II, 56.
fretus. IV, 3.
frigent. III, 109.
frigescant. I, 109.
frigidus. VI, 45.
fronte. V, 116. — frontem. II, 32. V, 104.
fruge. V, 64.
frustra. III, 63. V, 71.
fuge. VI, 65. — fugit. V, 153. 160.
fuisse *cf.* sum.
Fulfennius. V, 190.
fulta. I, 78. — fulto. V, 146.
fumo. V, 20.
fumosum. VI, 70. — fumosa (*pl.*). I, 72.
funde. II, 3.
fundo. II, 51.
funem. V, 118.
funus. II, 10. — funeris. VI, 33.
fur. I, 85.
Galli. V, 186.
garrit. V, 96.
gaudere. I, 132. VI, 63.

gausape. IV, 37. — gausapa. VI, 46.
gemina. IV, 10. — geminos. V, 49. VI, 18.
geminat. III, 14.
gemuerunt. III, 39.
generis. VI, 60.
generoso. II, 74.
generum. II, 37.
Genio. II, 3. IV, 27. V, 151. VI, 19. 48.
gente. III, 77.
genuinum. I, 115.
Germanae. VI, 44.
gestas. VI, 49.
gestit. I, 127.
gigni. III, 83. — gignimur. III, 67.
gluto. V, 112.
Glyconi. V, 9.
Graece. I, 70.
Graecos. V, 191.
Graiorum. I, 127. — Graios. VI, 38.
grana. V, 55.
granaria. V, 110. VI, 25.
grande. I, 14. V, 7. — grandi. III, 55. — grandes (*nom.*). II, 42. V, 186. — grandia. III, 45. VI, 22. — grandes (*accus.*). I, 68.
gravis. III, 89. — gravem. V, 50. — grave. V, 12.
gregibus. II, 46.
gurgite. II, 15.
gurgulio. IV, 38.
gustaveris. V, 188.
guttas. II, 54. III, 14.
guttur. I, 17. — gutture. III, 99. V, 6.
habes. IV, 44. — habet. I, 50. 121. III, 70. V, 176.
habita. IV, 52.
haeres. II, 19. — haereat. V, 121.
halitus. III, 89.
hamo. V, 154.
haud. II, 6. III, 36. 52. 114. IV, 19. V, 171. VI, 58.
hederae. prol. 6.
Helicone. V, 7.
Heliconiadas. prol. 4.
helleborum. III, 63. V, 100.
heminas. I, 130.
herba. VI, 26.
Hercule. II, 12. — hercule. I, 2.
heres. II, 12. VI, 33. 41. 56.
herilis. V, 131.
heroas. I, 69.
Herodis. V, 180.
hesterni. III, 106. — hesternum. III, 59. V, 68.
heu. V, 75.
heus. II, 17. III, 94.
hianda. V, 3. — hiantem. V, 176.
hibernat. VI, 7.
hic. I, 13. 28. 127. II, 38. 48. III, 32. 98. V, 1. 54. 56. 57. 76. 86. 131. 174 (*ter*). VI, 21. 60. — haec (*fem.*). I, 46. 80. II, 64. 65. 66. 68. IV, 19. V, 82. — hoc. I, 24. 27. 49. 84. 87 (*bis*). 96. 105. 112. II, 21. 62. 70. III, 27. 85. IV, 3. 9. 30. V, 19. 28. 45. 66. 82. 98. 101. 124. 153. 161. VI, 10. 39. — hunc. II, 1. 19. 37. 38. III, 97. IV, 27 (*bis*). V, 57. 78. 155. — hoc (*abl.*). IV, 43. — hac. II, 63. V, 73. — haec (*neutr.*

pl.). I, 2. 15. 103. 125. II, 8. 15. 40. 75. III, 1. IV, 1. 39. V, 5. 87. 108. 113. 122. 163. 189. VI, 41. — bis. I, 134. II, 43. III, 86. V, 26. VI, 18. — hos. I, 79. V, 69.
hunccine. V, 115.
hic (*adv.*). I, 19. 32. 50. 109. 120. III, 77. 108. V, 149. VI, 12. — hinc. II, 55. III, 103. V, 17. 64. VI, 67.
huc. III, 8. VI, 62.
huccine. III, 15.
hircosa. III, 77.
hominis. III, 118. — hominum. I, 1. V, 52. 98.
honesto. II, 74.
honore. I, 129.
hora. V, 48. 153.
horoscope. VI, 18.
horridulum. I, 54.
hortante. V, 21.
hospes. II, 8.
humana. III, 72.
humero. I, 90. — humeros. I, 32.
humiles. II, 6.
humor. III, 12.
hyacinthina. I, 32.
Hypsipylas. I, 34.
i *cf.* eo.
iaces. II, 27. — iacet. VI, 29.
iactat. V, 175. — iactare. IV, 15.
iam. II, 14. 49 (*bis*). 50. III, 1. 10. 63. V, 33. 61. 68. 140. 158. VI, 1. 2. 30. 45. 46 (*bis*). 53. 59. 78 (*bis*). 79. — iam dudum. III, 6. — iam nunc. V, 110 (*bis*). — iam pridem. III, 97. — iam-iam. II, 50.
Iane. I, 58.
id *cf.* is.
idcirco. II, 28.
idem. V, 66.
ideo. VI, 23.
idonea. V, 20.
iecore. I, 25. V, 129.
igitur. I, 98. II, 21. IV, 14. V, 172. VI, 48.
ignoras. V, 125. VI, 43.
ignoscite. I, 11. — ignovisse. II, 24.
ignotus. IV, 34.
ilex. II, 24.
ilia. IV, 43.
Ilias. I, 50. — Iliade. I, 123.
ille. I, 13. 36. V, 57. 176. VI, 13. 62. — illud. II, 55. IV, 9 (*bis*). V, 87. — illi. II, 40. V, 159. VI, 74. — illum. III, 105. — illa (*abl.*). I, 6. — (*neutr. pl.*) II, 9. V, 108. — illis. prol. 5. I, 38. 115. II, 58.
illinc. V, 17.
illita. III, 53.
imagines. prol. 5.
imitari. I, 59.
immeiat. VI, 73.
immittere. II, 62.
immurmurat. II, 9.
imo. II, 51.
impallescere. V, 62.
impello. II, 13. — impellit. V, 128. — impulit. II, 59. — impellere. II, 21.
impensius. VI, 68.
imperio. V, 158.
implerunt. I, 99.
imprimit. I, 37.
improbe. IV, 47. — improbum. I, 6.

impune. V, 32. — impunitior. V, 130.
imus *cf.* eo.
in (*c. ablat.*). prol. 2. I, 1. 6. 53. 81. 86. 89. 104. 105 (*bis*). 115. 131. II, 15. 47. 51. 61. 69. III, 30. 34. 49. 72. 74. 107. 113. IV, 33. V, 27. 72. 77. 111. 121. 129. 147. 175. VI, 20. 26. 29. 33. 61. — (*c. accus.*) I, 67 (*ter*). 81. 127. II, 36 (*bis*). III, 11. 15. 60. 84. 105. IV, 23. 35. 48. V, 2. 35. 49. 58. 96. 154. VI, 79. — in vicem. IV, 42.
inane. I, 1. — inanes. II, 61.
inclusi. I, 13.
incoctum. II, 74.
incolumis. VI, 37.
increpuit. V, 127.
increvit. III, 32.
incurvasse. I, 92.
incusa. II, 52.
incussere. V, 187.
inde. I, 126. V, 153.
indomitum. III, 3.
induco. VI, 49.
induit. I, 74. — induto. III, 106.
indulge. V, 151. — indulges. I, 41. — indulget. V, 57.
inepte. V, 12.
ineptus. V, 175.
inexpertum. III, 52.
infami. II, 33.
infelix. III, 43. VI, 13.
inflantes. V, 187.
infodiam. I, 120.
infundere. I, 79. — infusa. III, 13.
ingeminat. I, 102. III, 87.
ingemit. IV, 30. — ingemuere. V, 61.
ingenium. III, 37. IV, 4. — ingeni. prol. 10.
ingens. V, 190. VI, 7. — ingentes. I, 20. VI, 30. 47.
ingenuo. V, 16.
ingeris. V, 6. — ingere. V, 177.
inguine. V, 4. VI, 72. — inguinibus. IV, 38.
inhibere. II, 34.
iniquas. I, 130.
innata est. I, 25.
inodora. VI, 35.
inops. VI, 28. — inopi. VI, 32.
inquis. I, 55. 112. VI, 51. — inquit. V, 85. 132. 133.
insana. III, 5. — insane. V, 143.
inscitia. V, 99.
inseris. V, 63.
insignem. VI, 44.
insomnis. III, 54.
inspice. III, 88. 89.
instat. V, 133. — instanti. V, 157.
insulso. V, 9.
intabescant. III, 38.
integer. V, 173.
intendis. V, 13. — intendit. II, 49. — intendisse. VI, 4.
intepet. VI, 7.
inter. I, 30. II, 56. III, 100. IV, 11. V, 189.
intima. I, 21.
intortos. V, 38.
intrat. III, 2. V, 128. — intrant. I, 21.
introrsum. II, 9.
intumuit. V, 145.
intus. I, 24. 50. III, 30. 42. V, 129.

inventus. VI, 80.
invideas quod. III, 73.
invigilat. III, 55.
iocos. VI, 5.
Ionio. VI, 29.
ipse. prol. 6. I, 120. II, 23. III, 117. VI, 21. 29.
ira. V, 91. — *abl.* III, 116.
iratus. III, 18. VI, 34. — iratum. I, 124. — iratis. IV, 27.
irriguo. V, 56.
irrorans. VI, 21.
is, id. II, 71. III, 48. 95. V, 97. VI, 16. 65.
iste. VI, 71. — ista. IV, 41. — istud. I, 2. 9. 81. III, 94. — istos. III, 19.
ita. V, 81. VI, 38. — itane. III, 7.
Italo. I, 129. — Italis. V, 54.
iter. V, 34.
iubeo. V, 161. — iubet. VI, 10. — iussit. II, 67. III, 72. V, 89. — iubente. II, 26. — iussus. III, 90.
iudex. II, 20. — iudice. V, 80.
iugum. IV, 28.
iunctura. I, 65. 92. — (*abl.*) V, 14.
iunicum. II, 47.
Iuppiter. II, 22. 23 (*bis*). 29. 40. V, 137. — Iovis. II, 21. — Iovem. II, 43. — Iove. II, 18. V, 50. 114. 139.
iura. V, 137. — iuret. III, 118.
ius. II, 73. V, 176. — iure. III, 48.
iustum. IV, 9. 10.
iuvat. I, 112. II, 62. V, 24. 62.
iuvenci. III, 39.
iuvenes. V, 64. VI, 5. — iuvenum. V, 63.
iuventus. III, 54. 86.
iuxta. VI, 52.
labe. III, 25.
labefactent. IV, 40.
labello. III, 82. — labella. II, 32.
labentes. II, 2.
Labeonem. I, 4.
laboro. II, 17. — laborat. V, 39.
labra. prol. 1. V, 184. — labris. I, 105. III, 102.
lacerae VI, 31.
lacerna. I, 54.
lactibus. II, 30.
laena. I, 32.
laesum. V, 148.
laetari. II, 54.
laevo. II, 53.
lagena. III, 92. VI, 17.
lallare. III, 18.
lambunt. prol. 5.
lampada. VI, 61.
lance. II, 71. IV, 10.
lapidosa. V, 58.
lapillo. II, 1.
laquearibus. III, 40.
Lare. V, 109. — Laribus. V, 31.
large. V, 177.
largior. VI, 51. — largire. VI, 32.
largitor. prol. 10.
latet. III, 113. V, 29.
Latinae. VI, 4.
lato. IV, 44.
latus. VI, 7. 76.
laudant. I, 38. — laudare. I, 71. — laudatur. I, 87. — laudari. I, 47. — laudanda. III, 46.
laurus. VI, 43.

lautus. VI, 23.
lavatur. III, 98. — loturo. III, 93. — lotus. V, 86.
laxamus. V, 44. — laxes. V, 110.
laxum. III, 58. — laxa. I, 98. — laxis. III, 102.
lecto. III, 104. — lectis. I, 52.
lector. I, 126.
legarat. VI, 66.
leget. I, 2. — legens. I, 17. — legendum. I, 98. — legunto. V, 7.
lemures. V, 185.
lenia. III, 93.
lente. III, 99.
leti. V, 153.
levis. I, 82. — leve. I, 64.
levior. I, 37.
lex. V, 98.
libabit. II, 5.
libelle. I, 120.
liber (*subst.*). I, 76. III, 10.
liber (*adi.*). I, 13. V, 83. 114. 124. — liberior. V, 85.
libertas. V, 82. — libertate. V, 73.
libertis. VI, 23.
libido. III, 36.
Libra. V, 47. — librae. IV, 11.
librat. I, 86.
licet. V, 84 (*bis*). 87. — liceat. V, 89. 97.
licet (*c. coni.*). IV, 39.
licetur. V, 191.
Licini. II, 36.
lictor. I, 75. V, 175.
Ligus. VI, 6.
limen. V, 165. — limina. I, 109.
limite. III, 57.
limo. III, 22. — limum. IV, 29.
linea. III, 4.
linguae. V, 25. — lingua. II, 9. — linguae (*pl.*). I, 60. — linguas. I, 81. V, 2.
linquere. I, 43.
lippus. V, 77. — lippa. II, 72. — lippos. I, 79.
liquescant. II, 47.
liquido. I, 17.
litabo. II, 75. — litabis. V, 120.
littera. III, 56. — (*abl.*) I, 110.
litus. VI, 8. — litore. VI, 29.
locat. VI, 47. — locatus es. III, 72.
locuplete. III, 74.
locus. I, 113.
longa. V, 160. — longo. I, 95. — longos. V, 41.
loquor. V, 153. — loquimur. V, 21. — loquere. IV, 8. — locutus. I, 33. 42. — locuturi. V, 7. — loquendi. I, 80.
loturo *cf.* lavatur.
lubrica. V, 135.
lucernae. V, 181.
luciferi. V, 103.
Lucilius. I, 114.
lucro. VI, 75.
luctata. V, 159.
luctificabile. I, 78.
lucum. I, 70. — lucis. II, 27.
ludit. I, 117. — luditur. III, 20. — ludere. I, 127. — lusisse. VI, 6.
ludo. V, 16.
lumbi. IV, 35. — lumbum. I, 20.
lumine. III, 2. 80.
Lunai. VI, 9.
Lupe. I, 115.
lusca. V, 186. — lusco. I, 128. — luscę. I, 128.
lustralibus. II, 33.
lutatus. III, 104.

lutea. III, 95. VI, 46.
lutum. III, 23. — luto. III, 61. V, 111.
lux. V, 67. — lucem. V, 60. — luce. VI, 69.
luxum. I, 67.
luxuria. V, 142.
lympha. III, 13.
lyncem. I, 101.
lyra. VI, 2.
macram. II, 35.
Macrine. II, 1.
maena. III, 76.
Maenas. I, 101. 105.
Maeonides. VI, 11.
magis. III, 39. 40.
magister. prol. 10. — magistro. III, 46. — magistrum. IV, 1.
magnanimus. VI, 22.
magni. II, 72. IV, 3. — magnum. V, 66. — magne. III, 35. — magna. II, 71. — magnos. III, 65. — maior. VI, 60. — maiore. III, 92. — maiorum. I, 108.
maiestate. IV, 8.
male. IV, 9.
mala, malis. III, 59.
maligne. III, 21.
mammae. III, 18.
mando. II, 39.
mane. I, 134. II, 16. III, 1. V, 132. 188.
Manes. V, 152. — Manibus. I, 38.
manet. VI, 54.
Manius. VI, 56. 60.
mansuescit. IV, 41.
mantica. IV, 24.
manus I, 59. — *gen.* IV, 8. — *acc. pl.* III, 11. 108. — manibus. II, 35. III, 101.
marcentes. IV, 36.
Marcus. V, 79. 81. — Marco. V, 79. 80. — Marce. V, 81.
mare. V, 146. VI, 7. — maris. VI, 39.
mas, marem. VI, 4.
Marsi. III, 75.
mascula. V, 144.
massa. V, 10. — massae. II, 67.
Masuri. V, 90.
matertera. II, 31. VI, 54.
mavis. IV, 45. — mavult. V, 56.
maxillis. IV, 37.
me *cf.* ego.
medendi. V, 101.
medico. III, 90.
Medis. III, 53.
meditor. V, 162. — meditantes. III, 83.
meiite. I, 114.
Melicerta. V, 103.
melior. IV, 16. — meliore. II, 1.
membrana. III, 10.
membris. III, 115.
memini. prol. 3. III, 44. V, 41. — meminisse. V, 179.
memor. V, 153.
mendax. V, 77.
mendose. V, 85.
mendosum. V, 106.
mens. II, 8. — mentis. II, 74. — mentes. V, 35.
mensa. V, 44. — mensas. V, 17.
mephites. III, 99.
mera. V, 82. — merum. II, 3.
meracas. IV, 16.
mercare. VI, 75.
merces. VI, 67. — mercede. II, 29.
mercibus. V, 54.
Mercurialem. V, 112.

Mercurius. VI, 62. — Mercurium. II, 44.
mergis. II, 15.
mergus, mergis. VI, 30.
meruisse. I, 42.
Messallae. II, 72.
messe. VI, 25. — messes. III, 5.
metae. III, 68. — metas. I, 131.
metuis. VI, 26. — metuas. III, 26. VI, 41. — metuam. I, 47. — metuens. II, 31. IV, 29. — metuentia. I, 43.
metus. V, 131.
meus. V, 88. VI, 41. — mea. V, 113. — meum. I, 122. VI, 7.
mi, mihi *cf.* ego.
mille. V, 52.
millesime. III, 28.
milvus. IV, 26.
Mimalloneis. I, 99.
minimum *cf.* parvus.
minuas. VI, 37. — minui (*perf.*). VI, 64. — (*inf.*) VI, 16. — minutum. III, 17.
mirae. I, 111. — mire. VI, 3.
miscere. V, 122.
miser. III, 15 (*bis*). 107. — miseri (*pl.*). III, 66. — miseris. V, 65.
miserabile. I, 3.
mittit. II, 36. — mittunt. II, 57. — missa est. VI, 43.
mobilis. I, 59. — mobile. I, 18.
modesto. V, 149.
modice. III, 92.
modicus. V, 109. — modico. V, 15. — modicum. III, 25.
modo (*adv.*). I, 44. 69.
modus. III, 69.
moesto. V, 3.
mollis. III, 68. — molle. III, 23. 110. — molli. I, 63.
momento. V, 78.
moneat. V, 143.
monitus. I, 79.
monstravit. III, 57. — monstrari. I, 28.
montes. III, 65.
monumenta. III, 75.
mora. V, 171.
morbo. III, 64.
mordaci. I, 107. V, 86.
mordens. IV, 30.
morientis. IV, 32. — morituri. III, 45.
moror. I, 111. — morantur. II, 43. — moretur. I, 77.
morosa. VI, 72.
mos. V, 1. — morem. III, 31. — more. I, 19. — mores. I, 26. 67. II, 62. III, 52. IV, 35. V, 15. 38.
moves. V, 184. — moveat. I, 88. — moverit. III, 37. — moveare. V, 123.
mox. V, 108. VI, 5.
Muci. I, 115.
multa. III, 73. — *abl.* IV, 49. VI, 8.
multum. I, 132. III, 46. 86.
mundi. VI, 76.
munera. IV, 51.
Muria. VI, 20.
murice. II, 65.
murmur. II, 6. — murmure. V, 11. — murmura. III, 81.
Musa. I, 68.
mutat. II, 60. V, 54.
mutire. I, 119.
Mycenis. V, 17.
nam. I, 8. 49. II, 56. V, 70. 159. — namque. II, 13.

nare. I, 33. 109. — naribus. I, 41.
narrent. I, 31.
nascuntur. V, 130. — nascentur. I, 40. — nata. V, 48.
naso. I, 118. III, 87. V, 91. VI, 17.
natalibus. VI, 19.
natalicia. I, 16.
natat. I, 105. V, 183.
nates. IV, 40.
Nattae. III, 31.
natura. V, 98. 101.
naufragus. I, 88.
navem. V, 141. — navim. V, 102.
ne (*c. coni. final.*). I, 4. 108. V, 97. 106. 172. VI, 32. 76. — (*c. coni. vetand.*) III, 96. IV, 21. V, 170. 174. — ne. adeone. I, 26. anne. III, 39. censen'. V, 168. estne. II, 18. huccine. III, 15. hunccine. V, 155. iamne. VI, 2. itane. III, 7. men'. I, 88. 119. min'. I, 2. nemon'. III, 8. nilne. I, 83. nostin'. IV, 25. quaerisne. I, 80. ten'. I, 29. tun'. I, 22. V, 146. tune. VI, 37. verumne. III, 7. vin'. VI, 63.
nebulam. V, 181. — nebulas. V, 7.
nec. I, 59. 60. 80. 131. V, 53. 112. 122. 128. 157. — (*c. coni. vet.*) I, 7 (non — nec). III, 73 (neque). — nec — nec. prol. 1. 2. I, 43. 70 sq. 106. 119. VI, 23 sq. — neque — neque. I, 19. — neque — nec — nec. V, 10 sqq. — neque enim. I, 47.
nectar. prol. 14.
nefas. I, 119. V, 122.
negas. V, 133. — negaris. V, 157. — negato (*imp.*). II, 39. — negatas. prol. 11.
negliget. VI, 34.
nemo. I, 2 (*bis*). 3. III, 8. IV, 23 (*bis*).
nempe. II, 70. III, 1. V, 67.
nepos. VI, 71.
neque *cf.* nec.
nequeas. II, 4.
nequicquam. II, 51. IV, 14. 50.
Nerea. I, 94.
Nerio. II, 14.
nervis. II, 41. — nervos. IV, 45. V, 129.
nescio. III, 88. V, 12. 51. — nescit. III, 33. — nesciat. III, 43. — nescire. VI, 36.
nescius. V, 34. 101.
neu. III, 51. VI, 66.
nigra. III, 13. — nigrum. IV, 13. — nigri. V, 185.
nihil. I, 27. III, 84. 94. V, 128. 141. nihilum. VI, 55. (*acc.*) III, 84. — nil. I, 83. 111. 122. III, 84. 108. V, 119. — nihilo. I, 30. III. 84.
nimis. I, 40.
nisi. I, 63. (*c. ind. praes.*) V, 83. 125. VI, 50. (*c. coni. praes.*) I, 27. II, 4. V, 142. (*c. coni. perf.*) I, 24.
niti. V, 6.
nobis *cf.* ego.
nocturnis. V, 62.
nodosa. III, 11.
nodum. V, 159.
nolo. I, 11. — nollem. III, 45.
non. I, 8. 36. 37. 38. 39. 45. 50. 66. 83. 121. 127. II, 3.

23. 26. 39. 72. III, 16. 22. 31. 34. 46. 50. 78. 85. 109. 118 (*bis*). IV, 9. 26. 41. 47. 51. V, 19. 29. 73. 76. 84. 89. 93. 133. 145. 175. 187. VI, 51. (*c. coni. vet.*) I, 5. V, 45. non (=*nonne*). I, 50. 51. 52. — nondum. III, 76. — nonne. I, 96.
nonaria. I, 133.
nostrae. V, 22. 115. — nostro. I, 68. V, 50. VI, 14. — nostrum. prol. 7. I, 9. V, 151. VI, 39. — nostros. II, 62. — nostra. prol. 9. V, 47. 178.
notasti. V, 108.
novi. III, 30. — nostin'. IV, 25. — novimus. IV, 43. — noris. IV, 52. V, 18. — nosse. VI, 24.
nox. III, 91. — noctem. II, 16. — nocte. I, 90. — noctes. V, 42.
nucibus. I, 10.
nugae. I, 5. — nugis. V, 19.
nugaris. I, 56. V, 169. — nugari. I, 70.
nugator. V, 127.
nulla. I, 58. VI, 52. 53. 54. — nullo. V, 120. — nulla (*abl.*). I, 122.
num. VI, 43.
Numae. II, 59.
numera. II, 1.
numero. I, 64. — numeros. I, 13. 131. V, 123. — numeris. I, 92. VI, 3.
nummus. II, 51. III, 70. — nummi. prol. 12. — nummo. IV, 47. — nummum. V, 111. — nummi. V, 149. — nummos. V, 80.
nunc. I, 36. 37. 38. 39. 76. III, 116. IV, 19. V, 21. 171. 172. 174. VI, 6. 31. nunc, nunc. III, 23. VI, 68. nunc — nunc. II, 36. nunc demum. I, 64. iam nunc. V, 110 (*bis*).
nusquam. I, 119.
nutrici. II, 39.
nutrieras. V, 150.
o. I, 1. 44. (*c. nom.*) I, 61. II, 61. III, 15. 66. (*c. acc.*) I, 1. 26. (*c. voc.*) I, 58. II, 22. VI, 43. — o si. II, 9. 10.
ob. VI, 16. 44. 48.
obba. V, 148.
oberres. V, 156. — oberret. IV, 26. VI, 32.
obiurgabere. V, 169.
obscoenum. V, 165.
obsequio. V, 156.
obstat. V, 141. — obstem. V, 163. — obstiteris. V, 157.
obstipo. III, 80.
obvia. VI, 30.
occa. VI, 26.
occipiti. I, 62.
occurrite. I, 62. III, 64.
ocello. I, 18.
ocima. IV, 22.
ocius. II, 24. III, 7. V, 141.
oculo. I, 66. — oculi. III, 117. — oculos. II, 34. III, 44. V, 33.
oenophorum. V, 140.
offas. V, 5.
officium. VI, 27. — officia. V, 94.
ohe. I, 23.

oletum. I, 112.
oleum. VI, 50.
olim. VI, 71.
olivo. II, 64. III, 44.
olla. V, 8. — ollam. IV, 31.
olus. III, 112. VI, 20.
omento. VI, 74. — omenta. II, 47.
omnem. VI, 28. — omne. I, 116. III, 6. VI, 76. — omnes. I, 111. VI, 14. — omnia. I, 110.
opem. II, 41.
operae est. VI, 9.
opertum. I, 121.
opifex. VI, 3.
opimo. II, 48. — opimum. III, 32.
oportet. V, 155.
optes. I, 84. — optet. II, 37. — optare. III, 69. V, 2.
opus. V, 43. — opus est. V, 73. — opus (*om.* est). I, 67. 107. III, 65.
orbus. orbis. II, 20.
orcae. III, 50. — orca. III, 76.
ordo. III, 67.
Orestes. III, 118.
orti, VI, 15.
os. I, 42. — ore. III, 113. V, 15. — ora. V, 2. VI, 6.
oscitat. III, 59.
ossa. I, 37. VI, 35.
ostendisse. V, 24.
ovato. II, 55.
ovile. II, 49.
ovium. II, 26.
ovo. V, 185.
quo pacto. II, 46. *hoc* p. IV, 43.
Pacuvius. I, 77.
pagina. V, 20.
palato. I, 35.
palaestritae. IV, 39.
Palilia. I, 72.
palles. I, 124. III, 85. 94. 96. IV, 47. V, 80. 184. — palleat. III, 43. — pallentis. V, 55. — pallentes. V, 15.
pallidam. prol. 4.
pallor. I, 26.
palmis. VI, 39.
palpo. V, 176.
palustrem. V, 60.
pandere. IV, 36.
pannosam. IV, 32.
pannucia. IV, 21.
papae. V, 79.
papare. III, 17.
par. V, 6. — paria. VI, 48.
paratus. I, 132. VI, 36.
paratum. I, 90.
Parca. V, 48.
parere. V, 158.
pariter. V, 43.
Parnaso. prol. 2.
pars. II, 5. V, 23. 160. qua parte. III, 72.
Parthi. V, 4.
parvus. III, 44. — parvum. V, 120. — minimum. II, 17.
passim. III, 61.
pasco, pavisse. VI, 77. — pasta. III, 55.
patella. III, 26. — *abl.* IV, 17.
pater. III, 47. — p. quartus. VI, 58. — *voc.* III. 35. — patres. I, 79.
paterni. I, 103. — paterno. III, 24. — paterna. VI, 66.
patinae. VI, 21. — *nom. pl.* II, 42.
patranti. I, 18.
patriae. III, 70.
patriam (*rem*). V, 164.

patricius. I, 61. — patriciae. VI, 73.
patruelis. VI, 53.
patruus. II, 10. — patrui. VI, 54. — patruos. I, 11.
patula. III, 6.
paulo. V, 115.
paulum. V, 69. VI, 42.
pavido. V, 30.
pavisse *cf.* pasco.
pavone. VI, 11.
peccas. V, 119. — peccat. II, 68 (*bis*). — peccent. VI, 36.
pectas. IV, 37. — pexus. I, 15.
pectine. VI, 2.
pectus. II, 74. III, 88. — pectore. II, 53. III, 107. V, 27. 117. 144.
pecuaria. III, 9.
pecunia. III, 109.
pecus. II, 46. III, 6. — pecori. VI, 13.
Pedius. I, 85. — Pedio. *ib.*
Pegaseium. prol. 14.
peioribus. VI, 15. — pessime. II, 46.
pellere. I, 84.
pelliculam. V, 116.
pellis. III, 95. — pellem. V, 140. — pelle. IV, 14.
penates. II, 45.
pendas. I, 30. — pependit. V, 31.
pendeat. III, 12. — pendens. III, 40.
penem. IV, 35. 48.
penu. III, 74.
per. I, 64. 82. 110.
peragit. VI, 22. — perages. V, 139.
percute. V, 168. — percussa. III, 21.
perdat. III, 33. — perditus. I, 23.
perducis. II, 56.
perge. III, 97. — pergant. V, 150.
Pericli. IV, 3.
pericula. V, 185. — *acc.* I, 83.
perisse. V, 103.
perita. II, 34.
permisit. V, 33. — permittere. V, 94.
pernae. III, 75.
personatus. V, 102.
pertusa. IV, 28.
pes. III, 62. — pede. I, 13. IV, 12. — pedes. III, 108. — pedibus. V, 18.
pessime. *cf.* peior.
petis. V, 149. — petite. V, 64.
petulans. I, 133. — petulanti. I, 12.
phaleras. III, 30.
Phyllidas. I, 34.
picas. prol. 9. 13.
pice. V, 148.
piger. V, 132.
pilea. V, 82.
pilos. IV, 5.
pingitur. VI, 63. — pinge. I, 113. — pictus. VI, 32. — pictae. V, 25. — pictum. I, 89.
pinguis. I, 57. — pingue. III, 33. — pinguem. V, 181. — pingui. I, 98. II, 52. — pingues. VI, 77. — pinguibus. III, 74. — pinguior. VI, 14.
pinsit. I, 58.
piper. III, 75. V, 55. 136. VI, 21. — pipere. VI, 39.
Pirenen. prol. 4.

pituita. II, 57.
plantaria. IV, 39.
plasmate. I, 17.
plaudentibus. IV, 31.
plebecula. IV, 6.
plebeia. III, 114. V, 18.
plorabile. I, 34.
plorabit. I, 91. V, 168.
pluteum. I, 106.
pocula. I, 30.
poemata. I, 31.
poeta. prol. 3. *voc.* I, 75. — poetae. I, 36. *dat.* I, 68. — poetas. prol. 13.
poetridas. prol. 13.
polenta. III, 55.
politus. V, 116.
pollice. V, 40. VI, 5.
Polydamas. I, 4.
ponatur. V, 3. — pone. III, 107. — ponere. I, 53. 70. VI, 23. — posuisse. I, 86. — positum est. III, 111. — positis. III, 10.
pondus. V, 20.
pontifices. II, 69.
Ponto. V, 134.
popa. VI, 74.
popello. IV, 15. VI, 50.
populus. III, 86. — populi. I, 42. 63. III, 112. IV, 1. — populo. I, 15. IV, 36. 50. V, 178. — populum. I, 118. III, 30.
porci. I, 72.
portam. III, 105
portes. I, 90. — portantes. V, 182.
porticus. III, 54.
portum. VI, 9.
poscere. V, 1. — poscis. II, 3. 41. III, 18. VI, 61. — poscas. II, 15. — poscat. V, 102. — poscentes. III, 64.
posse. I, 83. III, 84. — potes. IV, 46. — possis. V, 111. — possit. I, 128. II, 72. — possint. V, 178.
possidet. V, 75.
post. I, 134.
posterior. V, 72.
postibus. VI, 45.
posticae. I, 62.
postquam. III, 90. V, 88. VI, 10. 38.
pote. I, 56.
potis es. IV, 13.
potior. II, 20.
potius. III, 16.
praebet. II, 28. — praebemus. IV, 42.
praecedenti. IV, 24.
praecipites. III, 42.
praecipui. II, 58.
praeclarum. II, 10.
praecordia. I, 117. V, 22.
praedia. IV, 25.
praedictum. V, 188.
praefigere. IV, 13.
praegrandi. I, 124.
praelargus. I, 14.
praeparet. VI, 12.
praeponere. II, 18.
praestantior. *c. inf.* VI, 76.
praesto est. VI, 56.
praetegit. IV, 45.
praeteritos. V, 162.
praetoris. V, 93. — praetore. V, 88. — praetoribus. V, 114.
praetrepidum. II, 54.
praetulerint. I, 5.
prandeat. III, 85.

prandia. I, 67. 134. V, 18.
prece. II, 3.
premis. V, 11. — premitur. V, 39. — presso. V, 109.
prendit. VI, 28.
iam pridem. III, 97.
primordia. VI, 3.
primus. V, 136. — prima. III, 76. — *cum* primum. V, 30. — primas. V, 42.
prior. VI, 61. — prius. V, 108.
pro. I, 30.
probo. I, 19.
proceres. I, 52. — procerum. II, 5.
prodirem. prol. 3.
producis. VI, 19.
progenies. VI, 57.
Prognes. V, 8.
proh. II, 22.
prohibes. VI, 51.
prolui. prol. 1.
promittere. III, 65.
prompte. VI, 58.
promptum. II, 6.
proneptis. VI, 53.
propago. II, 72.
prope (*adv.*). VI, 60. *praep.* IV, 34. V, 70.
propenso. I, 57.
properandus. III, 23.
propinquis. III, 70.
propria. VI, 25.
protinus. I, 110.
protulerim. I, 89.
proximus. II, 12. — proxima. III, 43.
prudentia. IV, 4.
psittaco. prol. 8.
pubis. VI, 44.
publica. V, 98.
Publius. V, 74.
pudet. I, 83. III, 31.
puella. III, 110. — puellae (*pl.*). II, 37.
puer. VI, 22. — puerum. II, 32. — puer (*voc.*). V, 126. 167. 169. VI, 69. — pueris. I, 79. II, 20. III, 17. IV, 31. V, 140. — pueri (*voc.*). I, 113.
pulchrum. I, 28. — pulchrius. V, 179.
pullatis. V, 19.
pulmentaria. III, 102.
pulmo. I, 14. — pulmonem. III, 27. — pulmone. II, 30. V, 82.
pulpa. II, 63.
pulsa. V, 24.
pultes. VI, 40.
pulvere. I, 131. II, 67.
puncto. V, 100.
punire. III, 35.
pupae. II, 70.
pupillum. II, 12. — pupille. IV, 3.
puppe. VI, 30.
purgas. II, 16. — purgatas. V, 63. — purgatissima. II, 57.
purpura. V, 30.
purpureas. III, 41.
purum. III, 25. — pura. V, 28.
putas. II, 24. — puta. IV, 9.
puteal. IV, 49.
puteo, putet. III, 73.
putris. V, 58. — putre. III, 114.
Pythagoreo. VI, 11.
qua *v.* qui *et* quis.
quaeris. I, 80. — quaerimus. V, 174. — quaerunt. I, 30. — quaesiveris. I, 7. — quaesieris. IV, 25. — quaere. VI, 57. — quaerere. VI, 65.

quam. II, 25. III, 42. IV, 52.
quamvis. V, 70 (*bis*). (*c. coni. perf.*) II, 40.
quando. I, 46.
quandoque. IV, 28.
quanta. V, 22. — quantum. I, 1. 60. III, 49. 71. IV, 26. V, 27. — quantas. V, 5.
quare. I, 3. IV, 38.
quartus *pater*. VI, 57. — quarto. VI, 78.
quasi. V, 66.
quatit. II, 35.
que, *substant. annect.* prol. 10. I, 26. 39. 73. II, 16. 26. 27. 41. 42. 43. 52. 59. 73 (*bis*). III, 11 (*bis*). 15. 26. 53. 70. 79. 104. IV, 5. 27. V, 60. 65. 91. 98. VI, 28. 47 (*bis*). 48. 50. 56. — *Enunciat. annect.* prol. 9. II, 44. 58. 60. III, 38. 58. 76. 86. 100. 103. IV, 40. 42. V, 17. 18. 22. 28. 31. 32. 34. 39. 40. 50. 111. 118. 147. 157. 180. 182. 184. 185. VI, 7. 28. 30. 55. — que — que. prol. 4. I, 15. 48. II, 6. 25. III, 61. 108. 117. IV, 35. V, 64. 107. — que — ac. V, 114. — que — atque. II, 32. — que — et. I, 77. III, 16.
(*non*) queo. V, 133.
querela. I, 91.
queritur. III, 12. 14.
qui. I, 41. 91. 127. 128. 131. II, 2. III, 90. IV, 28. 34. VI, 19. 61. — quae. I, 24. III, 56. — quod. II, 70. III, 3. 78. 79. V, 29. 51 (*bis*). 129. — cui. I, 32. — quem. I, 44. 58. 76. II, 12. IV, 2. V, 125. 131. 174. 176. — quam. V, 145. 176. — quod. I, 14. II, 17. 71. III, 43. 60. 85. 117. IV, 51. V, 97. 152. VI, 65. — quodsi. prol. 12. — quod (*obiect. enunc.*). *c. ind.* II, 55. III, 73. V, 153. *c. coni.* III, 12. 13. 40. 76. — quod (*causativ.*). *c. ind.* III, 28. 29. *c. coni. praes.* III, 114. *c. coni. perf.* I, 129. VI, 34. — qua. VI, 7 (= *ubi*). — qui (*pl.*). II, 57. — quorum. prol. 5. — quibus. I, 23. III, 54. V, 75. — quos. I, 61. 77. V, 149. — quae (*neutr. pl. acc.*). II, 4. III, 47. 53. V, 17. 107 (*bis*). 118.
qui *cf.* quis.
quia. II, 24. 26. VI, 14.
quicqu. *cf.* quisqu.
quicunque. I, 123. — quodcunque. V, 89. — quaecunque. I, 10.
quiddam. I, 33.
quidnam. I, 98. II, 29. III, 67. V, 172. — cuinam. II, 19 (*bis*).
quin (*c. coni.*). I, 84. V, 141. — (*interrog.*) II, 71. IV, 14.
quincunce. V, 149.
quinque. IV, 39.
quinta. III, 4.
Quinti. I, 73.
Quintus. VI, 11.
quippe. I, 88.
Quiritem. V, 75. — Quirites. III, 106. IV, 8.
quis. prol. 8. I, 2. 8. 63 (*bis*).

121. II, 20 (*bis*). III, 51. 68. 69. VI, 49. 57. — quae. IV, 17. — quid. I, 85. III, 67. V, 25. 66. 120. 179. VI, 68. cuius. IV, 25. — cui. III, 19. — quem. III, 71. — quid (*acc.*). I, 12. 31. 50. II, 18. 62. 69. III, 5. 19. 26. 48. 69 (*bis*). IV, 8. V, 134. 144. 149. 154. VI, 12. 26. — quid opus. I, 107. III, 65. — qua. II, 29. III, 68. 72. — quo. II, 46. IV, 3.
quo (*adv.*). I, 24. III, 60. 62. V, 143 (*bis*).
qui. I, 56. V, 130.
quis = *aliquis*. — cur quis. III, 85. — quod quis. V, 97. — ne qua. V, 106. — nisi — cui. V, 84. — nescio quid. III, 88. V, 12. — si quid. I, 5. 34. 45. 46. V, 90. — si qua (*pl.*). I, 51. — si quibus. V, 8 (*bis*).
quisquam. I, 112. V, 83. — quicquam. V, 128.
quisque. V, 73. — cuique. V, 53.
quisquis. I, 44. VI, 42. — quicquid. I, 52. II, 38. III, 95. IV, 48. VI, 65.
quivis, cuivis. II, 6.
quo *cf.* quis.
quod *cf.* qui.
quondam. VI, 65.
quorsum. V, 5.
rabiosa. III, 81.
raderet. III, 50. — radere. I, 107. III, 114. V, 15. — rasisse. II, 66. — rasis. I, 85.
ramale. I, 97. — ramalia. V, 59.
ramosa. V, 35.
ramum. III, 28. — ramos. III, 56.
rancidulum. I, 33.
rapias. V, 142. — rapiant. II, 38. — raptum. I, 100.
rapidae. V, 94.
rara. I, 46.
rastro. II, 11.
ratio. V, 96. 119. — ratione. III, 36. V, 39.
ratis. VI, 31.
raucus. V, 11.
recens. V, 136. — recenti. I, 15. V, 54.
receptat. VI, 8.
recessi. V, 88.
recessus (*acc. pl.*). II, 73.
rectum. IV, 11. — recti. I, 48. V, 121. — recto. V, 104. — rectius. IV, 9.
recuso. I, 48. — recusas. III, 18. V, 79. — recusem. VI, 15. — recuset. I, 41.
recutita. V, 184.
redit. VI, 79.
reduco. V, 118.
refulserit, prol. 12.
regina. II, 37.
regula. IV, 12. V, 38.
regustatum. V, 138.
relaxat. V, 125.
relego. V, 118.
relinquo. prol. 5. — relinque. V, 17. — relicta. V, 168. — relictam. V, 61. — relicta (*abl*). III, 38. — relictis. I, 10. VI, 63.
reliqua. VI, 53. 74. — reliquum. VI, 68 (*bis*). — reliqua (*pl.*). V, 87.

Remus. I, 73.
renuis. VI, 63.
reparabilis. I, 102,
repente. prol. 3.
repone. VI, 66.
requiem. V, 43.
requiescere. III, 90.
rem. II, 44. IV, 1. V, 164. VI, 28. 34. 78. — re. III, 72. — res (*nom. pl.*). I, 111. — *acc. pl.* I, 68. VI, 48. — rebus. V, 124. — rerum. III, 15. 66. IV, 4. V, 52. 93. — rebus (*abl.*). I, 1. V, 104.
resignent. V, 28.
respondet. III, 22. — respondeat. IV, 19. — responde. II, 17.
respue. IV, 51.
restas. III, 97.
retecti. III, 101.
retines. V, 116.
revello. V, 92.
reverti. III, 84.
rex. II, 37. — regum. I, 67. III, 17. VI, 46.
Rhenos. VI, 47.
rhombos. VI, 23.
rides. I, 40. — ridet. III, 86. V, 190. — ridenti. I, 116. — ridere. I, 122. — risisse. I, 132.
rigida. VI, 77. — rigidos. III, 105.
rimas. III, 2.
rite. III, 111.
ritu. VI, 59.
rixanti. V, 178.
robusti. V, 5.
rodunt. III, 81. — rodere. V, 170.
rogavit. III, 93. — rogarit. II, 40.
rogitas. V, 134.
Roma. I, 5. — Romae. I, 8.
Romule. I, 87.
Romulidae. I, 31.
rosa. II, 38.
rota. V, 72. *abl.* III, 24.
rubellum. V, 147.
rubrica. V, 90. — rubricam. I, 66.
rubrum. V, 182. — rubra. V, 169.
rudere. III, 9.
rudis. V, 103.
rugam. VI, 79.
rugosa. V, 91. — rugosum. V, 55.
ruis. V, 143.
rumore. V, 164.
rumpere. III, 27. V, 13. — rupi. V, 158. — rupto. I, 25. V, 185. — rupta. VI, 27.
runcantem. IV, 36.
rursum. III, 34.
rus. I, 71. — rure. III, 24.
sabbata. V, 184.
Sabino. VI, 1.
sacer. I, 113. — sacrum. VI, 21. — sacro. II, 25. — sacra. prol. 7. — sacras. II, 55.
sacerdos. V, 186.
saepe. III, 44. V, 9.
saevos. III, 35.
sagittis. IV, 42.
sale. IV, 30.
salinum. III, 25. V, 138.
salit. III, 111.
salivam. V, 112. VI, 24. — saliva. I, 104. — salivis. II, 33.

salutas. III, 29.
sambucam. V, 95.
Samios. III, 56.
sancte. II, 15.
sancto. II, 69. — sanctos. II, 73.
sanguis. I, 61. III, 116.
sanna. V, 91. — sannae. I, 62.
non sanus. III, 118. — *non* sani. III, 118. — *non* sano. III, 46.
saperdam. V, 134.
sapiens. III, 53. V, 114.
sapit. I, 106. — sapimus. I, 11. — sapias. V, 167. — sapiat. III, 78. IV, 21. — sapere. VI, 38.
sardonyche. I, 16.
sartago. I, 80.
satis. III, 27. 78.
satur. V, 56. VI, 71. — saturum. I, 71. — saturi. I, 31.
Saturnia. II, 59.
Saturnum. V, 50.
satyri. V, 123.
saxa. VI, 27.
scabiosus. II, 13. — scabiosum. V, 74.
scalpuntur. I, 21.
scelerata. II, 63.
scilicet. I, 15. II, 19. IV, 4.
scinderis. V, 154.
scintillant. III, 117.
scire. I, 27 (*bis*). II, 17. III, 49. — scis. I, 53. 54. IV, 10. — scit. I, 65. 132. — sciat. I, 27.
scombros. I, 43.
scopuli. VI, 8.
scribo. I, 45. — scribimus. I, 13. — scribitur. I, 53.
scrobe. I, 119.
scutica. V, 131.
se *cf.* sui.
secretam. V, 96. — secreti (*pl.*). V, 21.
sectabere. V, 71.
secuit. I, 114. — secto. I, 131.
secundo. V, 72.
securus. III, 62. VI, 12. 13. — secura. III, 26.
non secus (*ac si*). I, 66.
sed. I, 8. 12. 48. 92. 107. III, 24. 32. 100. IV, 24. 44. V, 58. 67. 91. 120. 129. 137. 168. VI, 33. 64.
sede. I, 17.
seductum. V, 143. — seductis. II, 4. — seductior. VI, 42.
seges. VI, 26.
semel. I, 24. V, 157.
semipaganus. prol. 6.
semper. IV, 18. V, 69.
semuncia. V, 121.
sene. I, 124. — senes. V, 64. 179. VI, 6.
senectae. II, 41.
senio (*nom.*). III, 48.
senium. I, 26. — senio. VI, 16.
sensus. I, 69.
sentis. II, 18. V, 124.
sepeli. III, 97.
sepia. III, 13.
sequaces. prol. 6.
sequeris. III, 61. V, 14. 155. — sequi. prol. 11. — sequenda. V, 107.
serena. I, 19.
seri. V, 61.
seria II, 11.
serius, seria. V, 44.
seriolae. IV, 29.
sermo. I, 63.
servas. V, 117.

servitium. V, 127.
sese *cf.* sui.
sesquipede. I, 57.
sessilis. V, 148.
seu. V, 48. — sive (=*vel si*). I, 67. — si — sive. III, 109. — seu — seu (*c. coni. praes.*). V, 3 *sq.* VI, 35 *sq.*
severos. I, 64.
si (*c. ind. praes.*). I, 46. IV, 46. 47. 48. 49. V, 129. 139. VI, 52 (54). si *forte*. I, 45. 125. — *c. ind. perf.* I, 51. V, 90. 127. VI, 52 (54). si *forte*. III, 109. — *c. ind. plusqu.* V, 173. — *c. ind. fut.* V, 8 (*bis*). *c. coni. praes.* I, 5. 66. 88. 133. II, 52. III, 42. IV, 33. V, 102. 171. — *o* si. II, 9. 10. — *c. coni. perf.* (*fut. exact.*) prol. 12. V, 187. — *c. coni. imp.* I, 103. III, 45. *om. verbo*. I, 8. 34. sis. I, 108. sodes. III, 89.
sibi *cf.* sui.
sic. prol. 3. I, 93. 95. IV, 43.
siccum. VI, 20. — siccis. V, 163. — siccas. III, 5.
Siculi. III, 39.
sidere. V, 46.
signum. VI, 17.
silentia. III, 81. IV, 7.
siliquis. III, 55.
similis. III, 17.
sin. V, 115.
sinciput. VI, 70.
sine. III, 24. 25. VI, 16.
singultiet. VI, 72.
sinistro. IV, 27. V, 164.
sinu. V, 37.
sinuoso. V, 27.
sis (*si vis*). I, 108.
sistam. VI, 79.
sistro. V, 186.
sitiat. I, 60. — sitiente. III, 92. V, 136.
sive *cf.* seu.
Socratico. V, 37.
sodes. III, 89.
solea. V, 169.
solem. IV, 33. — sole. IV, 18. V, 54. — soles. V, 41.
solidum. V, 25.
solis (*abl.*). VI, 19.
solitos. I, 70.
Solones. III, 79.
soluta. III, 58.
sollers. V, 37. 142. VI, 24. 75.
somnia. II, 57. III, 83.
somniasse. prol. 2.
somno. V, 56.
sonat. I, 109. III, 21.
sorbet. IV, 32. — sorbere. IV, 16. V, 112.
sorbitio. IV, 2.
sordidus. I, 128.
sparsisse. V, 33.
species. V, 52.
specimen. V, 105.
spectatur. IV, 24.
spes. prol. 12. — spem. II, 35.
spirent. VI, 35.
splene. I, 12.
spondente. V, 79.
spumosum. I, 96.
Stadius. VI, 66.
Staio. II, 19. 22.
stat. V, 96.
stemmate. III, 28.
sterilis. VI, 54. — steriles. V, 75.
stertis. III, 58. V, 132. — stertimus. III, 3.

stloppo V, 13.
Stoicus. V, 86.
stolidam. II, 28.
strepitum. VI, 4.
strigiles. V, 126. 131.
stringere. II, 66.
struere. II, 44.
studeo. V, 19. — studeam. III, 19.
stultis. V, 93. 121.
stupet. III, 32.
stuppas. V, 135.
sub (*c. abl.*). II, 9. 11. III, 6. V, 40. 54. 70. 80. 117. 144.
subaerato. V, 106.
subdite. V, 124.
subduximus. I, 95.
subere. I, 97.
subit. III, 100. IV, 12. — subeas. V, 155. — subiit. II, 55. — subiere. III, 106.
subrisit. III, 110.
subsellia. I, 82.
subter. III, 41. IV, 43.
Subura. V, 32.
succinis. III, 20.
succinctus. V, 140. — succinctis. V, 31.
sudes. II, 53. — sudans. III, 47. — sudare. V, 150.
sufficiat. III, 4.
suffla. IV, 20
sui. V, 176. — sibi. II, 9. 64. III, 42. 93. V, 1. 61. 102. — se (*acc.*). VI, 8. — sese (*acc.*). I, 129. II, 23. IV, 23. V, 71. — se (*abl.*). III, 81.
sulco (*ablat.*). I, 73.
sulfure. II, 25.
sulfureas. III, 99.
sum. I, 12. IV, 20 (*bis*). V, 84. VI, 62. — es. I, 44. 85. III, 23. 72. IV, 13. 51. V, 109. VI, 61. — est. I, 1. 8. 25. 27. 28 (*bis*). 46. 50. 61. 63. II, 6. 13. 17. 29. III, 6. 60. 78. 85 (*bis*). 94. 95. 109. 111. IV, 9. 17. 34. V, 1. 34. 73. 76. 80. 83. 120. 151. 153. 173. VI, 9. 25. 26. 43. 52. 56. 59. 64. 65. 68. — est (*c. dat.*). I, 32. 47. III, 25. V, 53. — est, *qui*. I, 76. V, 51. VI, 19. — est, *ut*. II, 18. — sumus. III, 67. — sunt. V, 113. — sunt, *quos*. I, 77. — sis. III, 96. V, 122. — sit. II, 58. IV, 30. 52. V, 6. 23. 147. VI, 58. 65. 74. 76. — sint. I, 110. — erat. III. 49. V, 93. — fueris. V, 115. — eris. VI, 42. — erit. V, 69. — erit, *qui*. I, 41. — eritis. I, 111. — fores. V, 166. — forent. V, 107. — esto. II, 42. IV, 20. V, 113. — sunto. II, 58. — esse. I, 48. III, 71. 79. 118. VI, 10. — fuisse. I, 29.
sumen. I, 53.
summa (*subst.*). IV, 17. — summae. VI, 64.
summum. III, 48. — summa. I, 104. III, 34. IV, 14. — summos. III, 108.
sumtus. VI, 67.
supellex. IV, 52.
superbo. I, 100.
superest. VI, 55.
superis. II, 71. — superos. II, 43.

supinus. I, 129.
supplantat. I, 35.
supplice. II, 35.
supplicet. V, 173.
supposui. V, 36. — supposita. III, 116.
supra. V, 118.
surdum. VI, 35. — surda. VI, 28.
surgit. III, 95. — surge. V, 132. 133 (*ter*). — surgentem. III, 57.
Surrentina. III, 93.
suscipis. V, 36.
suspendit. V, 47. — suspendere. I, 118. IV, 10.
suspiret. II, 51.
susurros. II, 6.
suum. prol. 8. V, 53. — sua. IV, 51.
tabellas. V, 81.
tabula. VI, 33.
tacebo. III, 97. — tacenda. IV, 5.
tacite. III, 95.
tacitus. V, 184. — tacita. II, 5.
tali. III, 19.
talo. V, 104.
tam. I, 122. V, 120.
tamen. I, 46. 120. II, 68. III, 94. IV, 41. VI, 58. — *cf.* ac.
tandem. I, 16. III, 103.
tangit. I, 117. — tangat. IV, 34. — tangebam. III, 44. — tange. III, 107. — tetigisse. VI, 17. — tangitur. III, 4.
tantae. I, 60.
tantum. V, 123.
tectoria. V, 25.
temone. V, 70.
temperat. V, 51.
templis. II, 7. 62. 75.
tempore. III, 62. — tempora. V, 47.
tenax. V, 48.
tendis. III, 60. V, 139. — tendere. I, 65.
teneo. V, 113. — teneat. V, 99.
tenero. III, 16. — tenerum. I, 98. — tenero. I, 35. III, 113. — teneros. V, 36. — teneras. I, 107.
tentas. II, 21. — tentat. IV, 23. — tentemus. III, 113.
tenuem. VI, 24. — tenui. V, 77. — tenuia. V, 93.
tenus. VI, 25.
tepidum. I, 84.
ter. II, 16. V, 188.
terebrare. V, 138.
terens. I, 73. — trita. I, 54.
teres (*adi.*). V, 15.
tergo. I, 58. IV, 24.
terrae. VI, 57. 59. — terram. III, 80. — terris. II, 61.
terruit. III, 41.
tertia. II, 14. III, 91.
tesserula. V, 74.
testa. III, 61.
testiculi. I, 103.
tetrico. VI, 2.
theta. IV, 13.
Thyestae. V, 8.
thynni. V, 183.
Tiberino. II, 15.
tibi *cf.* tu.
timor. III, 115.
tingat. VI, 20. — tincta. III, 37.
tinniat. V, 106.
Titos. I, 20.
togae. V, 14. — toga. I, 15.
tollit. IV, 2. — tollat. IV, 51. — tolle. V, 87. 136. — tollere. II, 7.

tonat. II, 24.
torosa. III, 86.
torquere. III, 51. — torta. V, 146.
torva. I, 99.
tot. II, 47. V, 124.
totus. V, 173. — totum. I, 49. V, 28. VI, 64. — tota. V, 32.
trabe. I, 89. V, 141. VI, 27.
trabeate. III, 29.
tractas. IV, 1.
tragoedo. V, 3.
traham. V, 28. — trahe. V, 17. — trahitur. V, 160.
trama. VI, 73.
transcendere. V, 111.
transisse. V, 60.
transsilias. V, 146.
transtro. V, 147.
tremat. VI, 74.
tremor. III, 100.
tremulo. I, 21. — tremulos. III, 87.
trepida. I, 74. — trepidas. V, 35.
trepidat. III, 88. — trepidare. I, 20. V, 170.
tressis. V, 76.
triental. III, 100.
triplex. VI, 78.
tris. V, 123.
triste. I, 9. II, 27.
Troiades. I, 4.
trossulus. I, 82.
trutina. I, 7.
trutinantur. III, 82.
tu. I, 2. 22. II, 3. 21. 25. 29. III, 94. 96. 97. IV, 14. 37. V, 10. 36. 80. 115. 130. 146. 157. VI, 37. 41. 63. — tibi. I, 56. 82. 108. 122. II, 2. 28. 47. III, 20. 25. 52. 56. 95. IV, 17. 48. 52. V, 21. 23. 36. 51. 92. 104. 119. 144. 146. VI, 2. 62. 64. — te (*acc.*). I, 7. 27. 29. 89. 115 (*bis*). II, 40. III, 30. 71. IV, 34. V, 27. 62. 70. 128. VI, 1. — *tecum*. IV, 52. V. 12. 41. 42. — vos. I, 61. II, 68.
tuba. III, 103.
tuceta. II, 42.
tulit *cf.* fert.
tum. V, 37. 185. 186.
tumet. II, 14. V, 183. — tumebit. III, 63.
tumidas. V, 13.
tumulo. I, 39.
tunc. I, 9. 11 (*bis*). II, 35. III, 12. 102. V, 60.
tunicatum. IV, 30.
turbae. IV, 7. — turba. VI, 42.
turbida. I, 5.
turbinis. V, 78.
turdarum. VI, 24.
turgescit. III, 8. — turgescat. V, 20. — turgescere. V, 56.
turgidus. III, 98.
turpe. I, 3.
tus. I, 43. V, 135. — ture. V, 120.
Tuscum. II, 60. — Tusco. III, 28.
tutor. III, 96.
tuus. VI, 71. — tua. I, 75. V, 23. — tuum. I, 27. — tui VI, 80. — tuum (*acc.*). III, 29. I, 49. — tuo. V, 40.
tyrannos. III, 35.
ubi. I, 21. 71. IV, 6. 11. VI, 65. 79.
udum. III, 23. — udo. I, 105. — udas. V, 165. — uda. II, 32.

ulcus. III, 113.
ulla. I, 103. — ullo. IV, 41.
ulmo. III, 6.
ulterior. VI, 41.
ultra (*adv.*). III, 15. V, 69.
ultro. V, 172.
umbo. V, 33.
umbra. III, 4.
Umbris. III, 74.
una (*adv.*). V, 50. VI, 29.
uncis. I, 40.
unctus *cf.* unge.
unda. III, 34.
unde (*relat.*). I, 73. — (*quaest. dir.*) III, 68. V, 124. — (*qu. indir.*) I, 80. 81.
undique. III, 59.
unge. VI, 68. 69. — unctus. IV, 33. — uncto. VI, 16. — uncta. IV, 17. V, 180. — *nom. pl. neutr.* III, 102. — unctis. II, 30.
unguem. V, 162. — ungues. I, 65. 106.
unguine. VI, 40.
unus. III, 7. — una. V, 75. — unum. V, 43. VI, 58. 59. — uno. I, 66. V, 46. 53. 70.
urbi. VI, 38. — urbem. I, 114.
urentes. II, 34.
urget. VI, 37.
urna. V, 145. — urnae. VI, 34. — urnas. II, 60.
urtica. VI, 70.
usque. VI, 15. — usque adeo. I, 26.
usus. V, 52. — usum. V, 94.
ut, *c. ind.* I, 97. IV, 23. 45. V, 73. 84 (*bis*). 87. VI, 62. *c. coni. praes.* I, 64. II, 8. 15. 18. 75. III, 9. V, 6. 19. 27. 99. 121. 149. 178. VI, 71. — *c. coni. imperf.* prol. 3.
utar. VI, 22 (*bis*). — utitur. II, 68.
utile. III, 70.
utinam. II, 12.
uxor. I, 74. II, 14. III, 43.
vae. VI, 50.
vafer. I, 116. 132. VI, 20.
vago. VI, 72.
valle. VI, 8.
vanescat. III, 13.
vapida. V, 148. VI, 17. — vapido. V, 117.
vaporata. I, 126.
vappa. V, 77.
varicosos. V, 189.
varo. V, 138.
varus, varo. IV, 12. VI, 18.
vasa. II, 59.
vasta. V, 141.
vatibus. V, 1. — vatum. prol. 7. I, 34.
— ve. I, 6. II, 12. 20. III, 29. *cf.* neu *et* seu.
vegrandi. I, 97.
Veientanum. V, 147.
vel. III, 29. IV, 12. V, 47. — vel — vel. I, 3.
Velina. V, 73.
vellat. I, 133. — vellant. IV, 39. — vellere. II, 28.
vellus. II, 65.
velox. IV, 4.
vena. I, 103. VI, 72. — venas. II, 66. III, 91. 107.
vendo. I, 122. — vende. VI, 75.
veneno. III, 37.
Veneri. II, 70. — Venerem. V, 58.
venio. VI, 62. — venit. III, 11.

IV, 5. 48. V, 67. VI, 39. — venimus. III, 16. — venere. V, 180. — venerit. I, 81. — venienti. III, 64.
venosus. I, 76.
venter. prol. 11. VI, 74. — ventre. III, 98.
ventos. V, 11. — ventis. III, 27.
veratro. I, 51.
verba. prol. 9. I, 35. III, 19. 45. 82. IV, 45. V, 14. 28.
vere. V, 113.
verecunda. V, 44.
vernae. IV, 22.
verrucosa. I, 77.
versum. I, 65. 93. — versu. I, 21.
verterit. V, 78. — verte. V, 137. — vertentem. V, 71.
vertigo. V, 76.
verum. I, 55 (*bis*). 90. — veri. V, 48. 75. 105. — vero. I, 107. — verum(*ne*). III, 7.
Vestales. II, 60.
veto. I, 112. — vetat. V, 101. VI, 49. — vetavit. V, 90. — vetuere. II, 43. — vetitos. V, 99.
vetule. I, 22.
vetus. I, 97. — veteris. III, 83. V, 59. — veterem. IV, 29. V, 116. — veteres. V, 92. — veterum. VI, 3.
Vettidi. IV, 25.
viatica. V, 65.
vibice. IV, 49.
in vicem. IV, 42.
vicini. III, 110. VI, 14.
vicinia. IV, 46.
vicissim. V, 107.
videmus. I, 69. — videas. I, 19. 80. III, 64. 94. — videant. III, 38. — vidi. I, 120 (*bis*). — vidit. III, 91. — vide sis. I, 108. — visa est. III, 109. — viso. IV, 47.
vigila. V, 177.
vincere. II, 48. — vinci. V, 39.
vincula. V, 158.
vindicta. V, 125. — *abl.* V, 88.
vino. V, 183. — vina. III, 100.
violae. I, 40. — violas. V, 182.
violens. V, 171.
Virbi *clivus*. VI, 56.
virgine. II, 70.
viridi. III, 22.
virtutem. III, 38.
virum. I, 96. — viri. I, 36.
vitae. V, 34. 94. — vitam. V. 61. 83.
vitiabit. V, 97. — vitiarunt. VI, 40. — vitiato. II, 65.
vitium. I, 116. III, 21. — vitio. II, 68. III, 32. IV, 13.
vitrea. III, 8.
vitulo. I, 100.
vivis. III, 62. V, 152. — vivunt. VI, 2. — viveret. I, 104. — vixit. VI, 54. — vive. V, 153. VI, 25. — victuri. III, 67. — vivere. I, 9. 61. II, 7. III, 31. V, 84. 104. 139. — vixisse. IV, 17. — vivitur. IV, 43. V, 53.
vivo. VI, 31.
vocat. VI, 27. — vocet. V, 171.
voce. I, 19. V, 28. — voces. prol. 11. V, 1. 26. — vocum. VI, 3.

volo. V, 84. 87. — vis. I, 56. II, 19. V, 144. — vin'. VI, 63. — velis. III, 36. V, 170. — voluit. V, 84. — volet. I, 91. — velle. I, 41. V, 53.
voluntas. V, 89.
vomuere. V, 181.
vos *cf.* tu.
voti. V, 109. — voto. II, 7. 35. III, 49. V, 53. — vota. II, 39. VI, 28.
vulgi. VI, 12.
vulnus. IV, 44. — vulnera. V, 4.
vulpem. V, 117.
vultum. V, 40.
vulvae. VI, 73. — vulvas. IV, 36.

II. INDICES IN SCHOLIA ET VITAM ANTIQUAM.

A. Scriptorum.

Acron II, 56.
Aesopus IV, 24.
Cicero I, 13.
— Cat. II, 2, 25. I, 86.
— p. Coel. 11,25. I, 11.
— Phil. (?) I, 72.
Cornelius Severus I, 95.
Dares Phrygius I, 50 n.
Ennius pr. 2.
— annal. princ. VI, 1. 10.
Fulgent. etym. libr. I, 4 n. 5.
Hesiodus pr. 1.
Hor. carm. I, 2, 26. II, 3.
I, 3, 9. V, 22.
I, 4, 13. III, 115.
I, 6, 56 sq. IV, 17.
I, 11, 7 sq. V, 153.
I, 17, 18 sq. VI, 4.
I, 18, 11. I, 101.
I, 36, 10. II, 1.
II, 5, 14 sq. II, 2.
II, 14, 1 sq. II, 2.
II, 17, 17. V, 48.
III, 12, 2. I, 11.
III, 23, 17. II, 75.
III, 29, 1. III, 28.
III, 29, 4. IV, 37.
IV, 3, 21. I, 28.
IV, 12, 2. I, 14.
epod. I, 34. III, 31.
VIII, 13. II, 66.
Hor. satir. I, 2, 32. I, 31.
I, 3, 29. I, 40.
I, 4, 1. I, 123.
I, 4, 19. V, 10.
I, 4, 29. V, 44.
I, 4, 85. I, 110.
I, 5, 72. III, 22.
I, 6, 5. I, 40.
I, 6, 126. III, 31.
I, 10, 71. I, 106.
II, 1, 15. V, 4.
II, 1, 27. V, 52.
II, 2, 24. III, 114.
II, 2, 103. III, 70.
II, 3, 13. III, 21.
II, 3, 69. II, 19.
II, 3, 83. IV, 16.
II, 3, 143. V, 147.
II, 3, 161. III, 65.
II, 3, 246. V, 108.
II, 3, 259. V, 161.
II, 4, 55. III, 93.
II, 7, 41 sq. V, 106.
epp. I, 19, 17 sq. V, 55.
I, 20, 13. I, 43.
a. p. 120. I, 70.
Iuvenalis I, 1. I, 70.
I, 143. III, 98.
III, 30. I, 110.
VI, 195. I, 21.
VII, 158 sqq. II, 53.

Iuvenalis VII, 241. I, 18.
X, 52 sq. II, 33.
XI,203 sq. IV, 18.
XIII, 33. V, 31.
XIII,227sq. II, 24.
Labeo I, 4.
Lucilius I,27.V,40.
l. I. I, 2.
l. IV. III, 1.
l. X. Vi. p. 238. 240.
Lucanus II, 381. I, 48.
III, 3. IV, 19.
V, 72 sq. pr. 2.
X, 163. III, 3.
Martialis XIV, 73. pr. 8.
Menander Eunuch. V, 161.
Nero I, 93. 95.
Troica I, 121.
Ovid. Met. I, 393 sq. VI, 51.
X,519 sq. I, 2.
XV, 88. III, 55.
Plaut. Aulul. II, 1, 48. III, 89.
Poeta anonym. I,86. IV,13.
Sallustius Catil. 1. II, 61.
Sisenna Vi. p. 241.
Terent. Ad. III, 3,35. II, 54.
Eun. I, 1, 1. V, 161.
I, 2,25. III, 20.
Phorm. I, 1, 10. IV, 27.
II, 4, 14. V, 52.
IV, 3, 18. II, 31.
Varro I,72.II,69.
Varro (Atac.) II, 36.
Virg. Aen. I, 153. I, 14.
I, 318. III, 21.
I, 320. I, 18.
I, 385. III, 80.
I, 495. III, 80.
I, 703 sq. III, 74.
II, 698. II, 25.
III, 104. III, 26.
III, 161. III, 36.
Virg. Aen. III,203 sq. V, 41.
III, 443. III, 5. 46.
III, 549. I, 92.
III, 573. pr. 5.
III, 628. II, 36.
V, 128. VI, 30.
V, 745. II, 5.
VI, 120, VI, 4.
VI,224 sq. VI, 33.
VI, 376. V, 48.
VI, 606. III, 70.
VI, 647. VI, 5.
VI, 804. I, 101.
VI, 844. I, 74.
VII, 84. III, 99.
VII, 184. VI, 45.
VII, 383. III, 51.
VII, 464. VI, 9.
VII, 533. I, 17.
VIII, 403. I, 14.
VIII, 409. VI, 45.
VIII, 587. I, 11.
VIII, 722. VI, 47.
IX, 427. I, 11.
IX, 582. I, 18.
X, 137. I, 29.
X, 838. I, 15.
XI,142 sq. III, 103.
XI, 148. IV, 13.
XI, 192. III, 103.
XI, 554. I, 97.
XI, 657. I, 31.
Bucol. I, 28. I, 15.
II, 8. III, 6.
II, 65. V, 53.
III, 103. II, 34.
V, 85. I, 54.
VI, 15. III, 59.
Georg. I, 208. V, 47.
I, 389. V, 12.
I, 692. V, 56.
II, 43. I, 29.

Virg. Georg. II, 139. III, 74.
II, 466. II, 64.
II, 490. III, 66.
II, 532. I, 73.
III, 264. I, 101.
Virg. Georg. III, 331. II, 6.
IV, 31. III, 89.
IV, 102. III, 8.
IV, 270. III, 89.

B. Rerum et verborum memorabilium.

abacus. I, 131.
Accius Labeo. I, 4. 49. 50. 121.
acerra. II, 5.
acinarius turdus. VI, 22.
Aelius Staius. II, 19.
Aethiops non mutat pellem. V, 116.
aerarium. II, 59.
agaso. V, 76.
Agave. I, 100 sq.
alapa in manumissione. V, 75.
Albus (?). II, 19.
allium magicum remedium. V, 187.
angues picti. I, 113.
anima. I, 14.
Annaeus Cornutus. Vi. p. 234—240. schol. I, 120. V, 22.
Annaeus Lucanus. Vi. p. 234 sq. 239.
anticus. I, 61.
Anticyra. IV, 16.
Antiopa. I, 77.
antitheta. I, 86.
apotheca. III, 90.
aqualiculus. I, 56.
Arcesilas. III, 79.
Aretina vasa. I, 129.
Aricia. VI, 56.
Arion. I, 94.
aristae i. pili. III, 115.
Aristippus. V, 73.
Arria. Vi. p. 236. 237.
asini aures. I, 59.
astrologi. V, 46.
Q. Atilius Serranus. I, 73.
Atines Celer. I, 134.
atramentum. III, 13.
Atreus. V, 8. 18.
barbitondium. I, 15.
Bassaris. I, 101.
Bathyllus. V, 123.
beatus. III, 103.
bidental. II, 27.
biduvium. IV, 49.
bombisonae. I, 99.
bombos. I, 99.
Bovillae. VI, 55.
bris. I, 75.
Brisaeus. I, 75.
brisare. I, 75.
bulla. V, 31.
byrrus. I, 54.
cachinno. I, 12.
Caesius Bassus. Vi. p. 234. 237. 239. 241. sch. VI, 1.
Calandrus. I, 99.
Calliroe nympha. I, 134.
Calpurnius Statura (?). Vi. p. 234. 239.
cancellarius turdus. VI, 22.
canis. III, 48.
cannalis calamus. III, 14.
Cappadoces. VI, 77.
casia. II, 64.
castigare. I, 7.
Castor. II, 56.
catamiti. I, 10 n.
ce adi. II, 75.
cellaria. III, 73. 76.

cerdo. IV, 51.
Chilo. I, 7.
chromatiarii. IV, 18.
Chrysippus. VI, 80.
ciconia. I, 58.
cicuta. V, 145.
Cincinnatus. I, 74.
cippus. I, 37.
cirrati. I, 29.
citharizare. VI, 5.
citrum. I, 52.
clarnus. p. 241.
Claudius Imp. I, 130.
Claudius Agathemerus. Vi. p. 235.
colorarii. IV, 18.
comessor. II, 21.
comoedia. I, 67.
compita. IV, 28. V, 35.
Cotta Messalinus. II, 72.
Craterus. II, 65.
crepidae. I, 127 sq.
Cretensium mos. II, 1.
cuminum. V, 55.
curiae. I, 20.
Cyrrha. pr. 4.
Danaidum statuae. II, 56.
delibatae dapes. III, 26.
deliberativa oratio. III, 44.
Democrates. III, 39.
Demosthenes. I, 28.
detractive. II, 63.
detrahere. Vi. p. 238. sch. I, 58.
Diogenes. I, 132.
diripere. Vi. p. 237.
dispensatores. II, 59.
dos. II, 14.
ebullire. II, 10.
egestuosus. III, 111.
eliquare. V, 69.
emundare. V, 66.
euhion. I, 102.
Euphorbus. VI, 10.
examen. I, 6.
excutere. I, 49.
expungere. II, 13.
Fabianus arcus. IV, 49.
Falernum. III, 3.
fertum. II, 48.
fiscalis panis. III, 111.
Florales ludi. V, 177.
fonascus. I, 17 n.
fulgura condere. II, 26.
Fulvia Sisennia. Vi. p. 233. 239. sch. VI, 6.
Fusius. Vi. p. 234. 239.
Gabinus cinctus. V, 31.
gausapa. VI, 46.
genesis. V, 46.
genuinus. I, 115.
gladiatores. IV, 44. V, 119.
glosula. I, 95.
Glyco. V, 9.
Gorgones. p. 241.
gregalis panis. III, 111.
Gutta. II, 19.
Hercules. II, 11. 44.
Herodes. V, 180.
Herodiani. V, 180.
Hippolytus. VI, 56.
Homerus. VI, 10.
Hypsipyle. I, 34.
Ilia. I, 72.
impetrabilis. III, 24.
incerare. I, 52.
Iudaei. V, 184.
Iunianum iudicium. II, 19.
iunices. II, 47.
Iuno Curitis. IV, 26.
lacerna. I, 54.
lactes. II, 30.
lactidiatus. II, 30.
lagena. III, 92 n.
lalla. III, 16.
lampadis certamen. VI, 61.
laticlavium. I, 16.

Lemures. V, 185.
Lenaeus. I, 75.
Licinius Crassus. II, 36.
Licinius tonsor. II, 36.
Maenas. I, 101.
mando, verb. arusp. II, 39.
manes. I, 38.
maniae. I, 99. VI, 56.
Manius. VI, 56.
marmorarii. I, 63.
mathematici. V, 48.
Melicertes. V, 103.
Mercurius. II, 44. V, 112.
Midas. I, 59. 119.
Mimallones. I, 99.
minores i. discipuli. Vi. p. 235.
momentana. IV, 10.
mucosi. I, 118.
muria. VI, 20.
muttum nullum emittere. I, 119.
nativitas. V, 46. 51.
naufragorum mos. I, 89. VI, 32.
Nerius. II, 14.
Nero. Vi. p. 238. 240. schol. I, 4. 29. 120. 128.
nonaria. I, 134.
nugigerulus. I, 56.
Numa Pompilius. II, 59.
nummularius. V, 105.
Nysa. pr. 4.
obba. V, 148.
occare. VI, 26.
ὀδοιπορικά. Vi. p. 237.
onager. III, 32 n.
orca. III, 49.
ovi usus ap. aurifices. II, 55.
ovi observatio in arusp. V, 185.
Pacuvius. I, 77.
paenula. I, 54.
Paetus Thrasea. Vi. p. 236.
pagani. pr. 6.
Palilia — Parilia. I, 72.
Parnasus. pr. 2.
patratio. I, 18.
Pedius. I, 85.
Pegasus. p. 241.
Penates. V, 31.
Pentheus. I, 100.
penus. III, 74.
Petronius Aristocrates, Vi. p. 235.
pexibarbi. I, 15.
Phalaris. III, 39.
phoenix. I, 46.
Phyllis. I, 34.
physici. I, 12. III, 84.
pigmentarii. I, 43. VI, 36.
pindo. I, 58.
pinguedo. III, 32 n.
pituita. II, 57.
plasma. I, 17.
Plotius Macrinus. II, 1.
Plotius Tucca. II, 42.
pluteus. I, 52. 106.
Pollux. II, 56.
Polydamas. I, 4.
popaeana. VI, 74.
porticus Apollinis Palatini. II, 56.
porticus Iulia. IV, 49.
Portumnus. V, 103.
posca. IV, 26.
posticus. I, 61.
praetexta. Vi. p. 237.
praetor tutelarius. II, 19.
prorogatores. II, 59.
proverbia. I, 46. 59. 104. 119. II, 10. III, 66. IV, 26.
psilothrum. IV, 37. 40.
psittacus. pr. 8.
pulmentum. II, 63.
pulpa. II, 63.
pupae. II, 69.

pupus. III, 48 n.
puteal Libonis. IV, 49.
Pyrene. pr. 4.
Pythagoras. VI, 10.
Quiritem. V, 75.
radius geom. I, 131.
rationabilis. III, 71.
recognitio equitum. III, 28.
reda. V, 70.
regula. IV, 10.
Remmius Palaemon. Vi. p. 234. 239.
sacerdotes Cereris Eleusiniae. V, 145.
salarium. pr. 10.
salsamentarii. I, 43.
sambuca. V, 95.
sanna. I, 60 sq.
satira. Vi. p. 241. sch. I, 67.
saturarum iura. II, 42.
Saturnus. II, 59.
sclopus. V, 13.
Seneca. Vi. p. 235.
senio. III, 48.
sensatus. I, 106.
seriola. IV, 29.
Servilius Nonianus. Vi. p. 234. 239. sch. II, 1.
similare. VI, 1.
sis — suis. I, 108.
sis — si vis. I, 108.
Socrates. IV, 1. 24.
sodes. III, 89.
σωρίτης. VI, 80.
sponda. I, 52. 106.
spondaicus hexam. I, 95.
statera. V, 100.
stemma. III, 28.
stoa Ποικιλανάκτειος. III, 53.
stoici. III, 84.
strigiles. V, 126.
subcroceus. III, 95.
succenturiare. II, 13.
syllogismus. V, 83.
tabernariorum mos. I, 113.
terrarius. turdus. VI, 22.
teutonicae glossae. IV, 29. 37. 40. V, 36. 96. 126. 135. 169. VI, 30.
theta. IV, 13.
Thyestes. V, 8. 18.
Titi. I, 20.
titi. I, 20.
toga. V, 14.
togatae statuae. V, 14.
tolus. V, 104.
toni. V, 123.
tortella. V, 5 n.
trabea. III, 28.
tragoedia. I, 67.
transglutire. III, 111.
triental. III, 100.
trossuli. I, 81.
trutina. I, 7.
tuceta. II, 42.
tumulus. I, 39.
turarii. I, 43.
tutela navium. VI, 30.
Valerius Corvus. II, 72.
varices. V, 189.
varo. V, 138.
Velina tribus. V, 73.
ventricosus. III, 31.
Venus. III, 48.
Vergilius tragoedus. V, 9.
Verginius Flavus. Vi. p. 234. 239.
verna. IV, 22.
vindicta. V, 88.
Virbii clivus. VI, 56.
visceratio. V, 177.
vivarius turdus. VI, 22.
Y Pythagor. III, 56. V, 34.
Zopyrus φυσιολόγος. IV, 24.

III. INDEX ANNOTATIONUM.

Ubi asteriscus additur, conferri possunt Addenda.

abacus p. 116
Aemilius Asper p. CXLIV
ait, imperson. p. 88
albus p. 163
aliquis p. 116.
Annianus poeta p. CXXXVIII
annotare p. CLXXX
angues muro appicti p. 111
anseris iecur p. 228
Anticyra p. 170*
apricatio p. 170
aqua lustr. p. 123
aqualiculus p. 92
Arcadici asini p. 145
arcessere — accersere p. 25
aretalogi p. XCI sq.
arma postibus affixa p. 222
Arretium p. 21
artifex vultus, sim. p. 188*
artocreas p. 224
assa nutrix p. 129
attamen, ac tamen; ettamen p. 58
Attin — Attis p. 17
Attis p. 103
Attius — Accius p. 11
Attius poeta p. 98
Attius Labeo poeta p. LXXII sq.
ἄμβιξ p. 204
ἀρχαιολόγοι p. XC
Athen. XIV p. 638 B. p. LXXXVI
balnea post coenam p. 162
balteus p. 177
barbam radendi mos p. 176
barbam vellere p. 117
barbitondium p. CXXXIV
baro - varo p. 55 sq.* 203. 335
Bathyllus p. 200
Baucis p. 171
beatus p. 164
bene sit p. 174
bestiarum voces imitantur circulatores p. XCII
biduvium p. CXXXIV
Bovillae p. 224*
Brisaeus p. 15. 265 sq.
brisare p. 266
bulla p. 185 sq.
homo bulla prov. p. 280
byrrum p. 260
Βιολόγοι p. XC
cachinno p. XCI sq.
Caesius Bassus p. 211 sqq. XXVIII sq.
Caligulae triumphus p. 221 sq.
Calpurnius p. XXIX sqq.
campus p. 190
candelae in funere p. 163
candidus p. 119
canina littera p. 110
canthus p. 192
capillos dis dedic. mos p. 138
capiti abl. p. 100
Cappadoces p. 229
Castores p. 133
catasta p. 229. 350
cedrus p. 88 sq.
Arruntius Celsus p. CXLVIII
Cornelius Celsus p. CXLVIII
censor municipalis p. 150
cerdo p. 179
cevere p. 101*
cicer p. 208

ciconia p. 93
circuli p. LXXXVII
cirrati p. 85
citandi per librorum initia mos p. 103 sq.
Coa p. 202 sq.
coena funeris p. 219 sq.
colligere, *συλλογίζειν* p. 194
comites p. 91. 144*
commentum p. CLXIX
Compitalia p. 173 sq.
contrahere p. CXXXVII
Cornelius Epicadus p. CXLIII
Cornelius Virgilii interpres p. CXLVII
L. Annaeus Cornutus p. VIII sqq.
Cornuti comment. in Iuvenalem p. CXVI sqq. CXXXI sqq.
in Persium p. CXIII sqq. CXXXI sqq.
magister Cornutus p. CXIII. CXXVII. CXXXI sqq.
corrumpere, *φθείρειν* p. 136 sq.
cratera p. 131 sq.
Craterus p. 157
cum c. perf. et praes. p. 187
curruca p. CXXII sq.
curva corrigere p. 169
Charis. II p. 181. p. XX sq.
Dama p. 193
Damocles p. 151
Danaidum statuae p. 133
decoctus p. 115
despuere p. 126. 176
detonsus p. 155
detrahere p. LVI
dexter p. 122
dextra silentium facere p. 168 sq.
dies signare p. 119
digitus infamis p. 125 sq.
digito monstrari p. 85
digitum exserere ap. stoicos p. 199
diripere p. XLIX
discinctus p. 150
ducere ferrum p. 182
ducere vultum p. 188
ducere uxorem p. 122 sq.
dulcis de amicitia p. 197
dum ne p. 171
δραχιστής p. LXXXIV
Diomed. III p. 482 sq p. CLII
— — III p. 488. p. LXXXIV
ebullire p. 121
ec — *ex* p. 55
edictum p. 117
effluere act. p. 147
eheu — *heuheu* p. 55
elisio durior p. 169
Ennii somnium p. 74
et transp. p. 216
Euius p. 272*
excutere p. 90. 229
exire p. 89
expungere p. 122
ἠθολόγοι p. XC sqq.*
fascinum p. 125 sqq.
figere p. 159 sq.
flores in tumulo p. 87
fortunare p. 131
fractus p. 83
frigescere p. 110
frons p. 126 sq. 197. 198 sq.
Fulgentius suspectus scriptor p. XXIV sqq.* LXXII sq.
fumum vendere p. 184
funus p. 163 sq.
Fusius — *Furius* p. 234. VI
Fuscius p. 234
Fulgent. s. v. *mnasiterna* p. XXXI sq.
— — *titivilitium* p. XXIII
— — *vervina* p. 214
Gabius p. 214
Gabius s. Gavius Bassus p. 213 sq. XXVIII sq.

Gaetulicus p. CXLII
garrire — gannire p. 50. 196
gausape p. 176. 222. 346
A. Gellii aetas p. CXXXVIII
genius p. 111. 119 sq.
genio indulgere p. 205
Glossae Pithoeanae p. CLXIV
grammaticor. in citandis scriptt. errores p. 62. XLVII sq.
Gregorii Naz. hymnus p. CI sq.
Gurgulio p. 176
γελωτοποιοί p. LXXXVI sqq.
Glossae H. Steph. p. 22. p. XC
— — p. 27. p. 55
— Gerberti p. 22. p. 176
Helenius Acro p. CLIX
helleborum p. 91. 156
in herba p. 218
Hericus monachus p. CXXVII sq.
hircosi p. 159
homoeotelenta p. 108
Horatii satirae p. LIX sqq.
iecur p. 84
illinere p. 154
imagines p. 76
improbus p. 79
i nunc p. 171
incoctus p. 140
incusus, ἐμπαιστός p. 132
ind. et coni. var. p. 115 sq. 158
inducere p. 234
induere p. 15*
inf. perf. pro praes. p. 88
inf. c. subst. aut adi. p. 77 sq.
inf. pr. subst. p. 80
ingerere p. 182
iniquus p. 116*
inquit impers. p. 88
inserere p. 191
irati dei p. 173
Fl. Iulius Persium correxit p. CXCII
Iuppiter liberator p. 198
Iuvenalis scholia p. CLIV sqq.
Iuven. IX, 37. p. CXXVI.
κῶμοι p. 206
κρούειν p. 148
lactes p. 125
lallare p. 147
lampadis certamen p. 225 sqq.
Lares p. 186
laureatae epistolae p. 222
lenia vina p. 161 sq.
levigandi corporis mos p. 175
liber de tragoedia p. 98 sq. XXI
Licinus p. 128
Ligus adi. p. 214
linofa p. CXXII sq.
lippus p. 99*
locare p. 222
M. Ann. Lucanus p. XXXII sqq.
C. Lucilius p. LIV sqq.
Lutatius p. CXLII sq.
Luna oppidum p. 215
Lupus abbas p. CXXIX
lusca cur Isidis sacerdos p. 209
Maeonides p. 215*
magmentum p. XIX
malignus p. 148
mamma p. 147
Manius p. 225*
manticarum fabula p. 172
Masurius p. 50*
Masurius Sabinus p. 195
meiere p. 228
Melissus p. CXLIII
Menandri eunuchus p. 206
mens bona p. 121
Mercurius lucrius p. 130
— pecudum custos p. 130
Midas p. 112
mimus p. LXXXIV sqq.
minores p. 235
mordere de satira p. 112
moveri p. 200
mutare merces p. 189

μιμολόγοι p. LXXXVIII
μωρολόγοι p. XCI
natalis dies p. 119
naufragorum tabula p. 102
ne — ne-quidem p. 207
nec prohib. p. 80
nectar cantare sim. p. 78
Neronis carmina p. LXXV sqq.
non prohib. p. 80
non — nonne p. 90
nuces puerorum p. 80
Numae vasa p. 135
numeri p. 200
νευρόσπαστα p. 201
obba p. 204
obstipus p. 159
oculus malus p. 127
odora ossa p. 220
offa p. 182
oleum praebere p. 224
operae est p. 215
orca p. 153. 159
Paetus Thrasea p. XXXVIII sqq.
paganorum sacra p. 76
pagina p. 184
palaestritae p. 177
Palilia p. 14. 97
pallere p. 84. 114. 152
palma p. 220
paratus c. inf. p. 117
Parnasus p. 3
Parnasus biceps p. 75. 245
pectere p. 82
percutere vasa p. 148
A. Persius Severus p. IV
pharetram gestandi modus p. 182
Philistion, mimographus p. XC
plaudere c. acc. p. 174
plasma p. 82*
pluteus p. 107
Poecile p. 154
Pomponius Sabinus p. CXLVII
Pomponius Secundus ad Thraseam p. XL sq.
ponere p. 91. 97
praesens pro praet. p. 188
praetor tutelaris p. 282. p. CLX
Valer. Probus p. CXXXVI sqq.
Probi scholia in Iuvenalem p. CLIV sqq.
Probi varii p. CLVI. CLVIII
protector domesticus p. CLXXVII
puer p. 206
puerorum declamationes p. 152
pupae p. 139
puteal p. 178
Philostr. v. Apoll. I, 7. p. 77
Placidi gl. p. 485. p. XVIII
Plin. epp. VI, 16, 8. p. 211
Prisc. I, 10 p. 565. p. 43
Prob. ad Virg. Georg. III, 280. p. CXLII. CXLIV
quando p. 90
quandoque p. 174
recitationes p. 81
relegere p. 199
Remmius Palaemon p. VI sq.
repetitio eiusdem voc. p. 228
res sc. familiaris p. 130
retractare p. XLV
Romulus p. 101
Rufin. I p. 267 R. p. XV
Saebius Iavens p. CLXI
salinum terebrare p. 203
saliva p. 126. 198. 217
salticae fabulae p. XXXIV
sambuca p. 196
sannae p. 93*
saperda p. 202
sartago p. 99
Scholia in Persium varia p. CLXI sqq.
scurra p. LXXXV

L. Ann. Seneca p. XXXV sqq.
senex p. 114*
sentire p. 200
sequi p. 77
M. Servilius Nonianus p. XXXVII sq.
Similis epitaphium p. 278
simulacra in triumpho p. 223
Sisenna p. CLII
sive — vel si p. 96
solea feminarum p. 207
Sophron mimographus p. XCIII sqq.
spargere oculos p. 186
Stadius p. 227
statuas pingendi et inaurandi mos p. 134
stemmata p. 149
strigiles p. 201
subaeratum, ὑπόχαλκον p. 197
subire animum p. 132
subscriptiones codd. p. CLXXVII
subscriptio Persii p. CLXXIV sqq.
— inedita Boethii p. CLXXVII
— — Iuvenalis p. CLXXVIII
Subura p. 186 sq.
surdus p. 218 sq. 220
syllabae repetitae p. 162
σωρείτης p. 230
talorum lusus p. 153
tectorium p. 185
ternarius numerus p. 123
terra levis defunctis p. 87
terrae filius p. 225
tessera frumenti p. 192
testiculi — vires p. 106
Theodorus p. CXLIV
theta p. 169
tenus p. 218
torosus p. 161
tremulus p. 84
triental p. 36
trochus p. 154*
trossulus p. 100*
tubae in funere p. 163
tucceta p. 129 sq.
turbo p. 153 sq.
turdus — turda p. 63. 217
tus — thus p. 10
Tuscum fictile p. 135 sq.
tutela navium p. 219
θαυματοποιοί p. LXXXVI
τρόπα p. 153*
Tac. Ann. XVI, 21. p. XL sq.
vagus p. 228
Varronis epigramma p. 285
vates p. 76
in udo p. 107
ve- p. 104
Veientanum p. 204
vena p. 106 sq. 228
verba dare p. 147
Verginius Flavus p. VIII
vertere p. 203
vetavit p. 195
Vettidius p. 40
vetus p. 160
victus instrumenta et vitae symbola diis dedicata p. 137 sqq.
vin — vis p. 227
vindicta p. 193. 194 sq.
vino aqua marina admixta p. 221
Virbii clivus p. 224. 347*
umbo togae p. 186
ad unguem sim. p. 94 sq.
ungues mordere p. 107 sq.
vocativus pro nomin. p. 150
urinam facere loco sacro p. 110
ov — u corrept. p. 50
Y Pythagoricum p. 155 sq.

RECENSUS CODICUM.

A. Argentoratensis saec. XV.
B 1. Bernensis n. 257 saec. X. Deest I, 96 — II, 48.
B 2. Bernensis n. 542 saec. X. Incipit II, 46; collatus est usque ad sat. V.
B 3. Bernensis n. 327 saec. XI.
B 4. Bernensis n. 648 saec. XIII. Collatus usque ad sat. V.
B 5. Bernensis n. 398 saec. X.
Br. 1 Berolinensis n. 39 saec. XV.
Br. 2 Berolinensis n. 38 saec. XV. Desinit V, 153.
Br. 3 Berolinensis n. 2 saec. XII vel XIII.
Br. 4 Berolinensis n. 9 saec. XVI. Desinit VI, 20.
Br. 5 Berolinensis n. 49 saec. XVI.
Br. 6 Berolinensis n. 90 anno 1512 scriptus.
Bs. 1 Basileensis F III 22 saec. XIV.
Bs. 2 Basileensis F III 6 saec. XV. Deest sat. VI.
C. Creuzerianus saec. XV.
D. Dresdensis D 155 scriptus a. 1452.
E. Einsiedlensis n. 328 saec. XV.
Erl. Erlangensis. Desinit sat. V, 118.
F 1. Laurentianus pl. LXVIII, 24 saec. XI.
F 2. Laurentianus pl. XXXVII, 20 saec. XIII.
G. Gothanus n. 52 saec. XIV.
H. Hamburgensis IVB. 198 saec. XII — XIII.
L. Lunaeburgensis.
M 1. Monacensis $\frac{\text{Kr}}{89}$ a. saec. XII.
M 2. in eodem cod.
M 3. Monacensis n. 83 saec. XII.
M 4. Monacensis n. 330 saec. XI.
M 5. Monacensis n. 260 scriptus a. 1470.
M 6. Monacensis n. 526 scriptus a. 1470.
M 7. Monacensis $\frac{\text{F}}{\text{I}}$ saec. XI.
M 8. Monacensis e 3 saec. XII.
M 9. Monacensis M 67 saec. XV. cod. lat.
M 10. Monacensis Emmeram saec. XV. $\frac{\text{z}}{\text{z}}$. 16
M 11. Monacensis cod. lat. 792 saec. XV.
Mp. Montepessulanus saec. IX.
P 1. Parisiensis n. 8048 saec. XI.
P 2. Parisiensis n. 8246 saec. XII.

P 3. Parisiensis n. 8070 saec. XI.
P 4. Parisiensis n. 8049 saec. XI.
P 5. Parisiensis n. 8272 saec. XI.
P 6. Parisiensis n. 8050 scriptus a. 1321.
P 7. Parisiensis n. 8055 saec. XI.
R 1. Rehdigeranus saec. XIV.
R 2. Rehdigeranus saec. XV.
Sg. 1 Sangallensis n. 203 saec. XV.
Sg. 2 Sangallensis n. 858 saec. XV.
T. Turicensis saec. XIII.
Tr. Trevirensis saec. IX vel X.
V. Vinariensis.
Vat. Fragmentum cod. Vaticani palimpsesti, continens I, 57 — 103.
W 1. Guelferbytanus, Gud. 79 saec. XI.
W 2. Guelferbytanus, Aug. 29, 12 saec. XIII.
α 1. Havniensis n. 2028 saec. XI.
α 2. Havniensis n. 2029 saec. XV.
α 3. Havniensis n. 430 scriptus a. 1403.
α 7. Havniensis saec. XIII.
β Bodleianus.
γ Galeanus.
δ P. Danielis variae lectt.
ε Ebnerianus.
π Pithoeanus.
ϱ Regius Londinensis.
φ G. Fabricii vv. ll.

In vita antiqua.

B. Bernensis n. 223 saec. XV.
F. Laurentianus pl. XXXVII, 20 saec. XIII.
L. Leidensis apud Oudendorpium.
M 1. Monacensis $\frac{F}{I}$ saec. XI.
M 2. Monacensis e 3 saec. XII.
P 1. Parisinus n. 8272 saec. XI.
P 2. Parisinus n. 8049 saec. XI.
V. Vossianus apud Oudendorpium.
W. Guelferbytanus Gud. 79 saec. XI.

In scholiis.

ed. pr. Editio Veneta a. 1499.
Vin. Editio Vineti Pictav. a. 1563.
ed. Par. Editio Paris. a. 1613.
cod. Par. codex in marg. edit. Paris.
cod. Bern. cod. Bernensis n. 257.
C. Barth. Adverss. Mstt. in bibl. Reg. Havniensi.
Erem. D. Eremitae notae in exemplo Heidelbergensi.
Fabric. I. A. Fabricii notae in exemplo Havniensi.
Lind. Lindenbrogii notae in exemplo Heidelbergensi.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

I. Annotat. crit.

Prol. v. 14. *melos* def. etiam A. Schott obss. II, 37.

Sat. I, 1. Lactantii locum non debui afferre, nam ibi in optimis exemplaribus versus hic omittitur.

I, 14 leg. *Mp. ε.* (non *v.*)

I, 18 *fraetus* Mp. *putrenti fr. oc.* coni. Hildebrand. ad Apul. Met. p. 175.

I, 34 *si quis π.*

I, 57 *exitet* Vat.

I, 58 p. 13 l. 2 leg. *Serv. ad Virg. Aen. I*, 179.

I, 67 l. 1 leg. *et prandia* B 1. cett.

I, 74. Insolitae structurae v. *induere* exstare videtur exemplum apud Statium (Silv. II, 7, 124): *Haec te non thiasis procax dolosis Falsi numinis induit figuras*, nam ita Gronov. (diatr. 6) et Markland. ex edd. Rom. Ven. Parm. legunt. At cod. Rehdig., de ceteris enim mihi non constat, habet *figura*, idque vel ob sensum praeferendum, nam Laodamia, quae poetae ante oculos versatur, unam Protesilai imaginem, tanquam dei cuiusdam colebat.

I, 86 *potuisse* Vat.

I, 88 *doctus posuisse f.* prob. Bentl. ad Hor. sat. I, 10, 78.

I, 95 *si* Mp.

I, 97 *vegrandi* prob. etiam Muncker ad Albric. 1 p. 301.

I, 101 *lyncae π.*

I, 114. De *Lucilii* nomine diligenter egit Varges in Welckeri mus. Rhen. III p. 21 sqq.

II, 72. De scribendo *Messallae* nomine v. Marin. frat. Arv. p. 28 sq.

II, 73 *animos π.*

III, 14 *quo π.*

III, 32. Cf. Augustin. de mag. 9: *Cum ait Persius: Sed stupet hic vitio, non modo nihil vitii fecit in versu, sed nonnihil etiam ornatus dedit.*

III, 35 sqq. Disputat de his vss. Augustin. de mag. 9.

III, 54. *Quibus et intonsa im.* coni. Marcil.

III, 69. Cf. Liutpr. leg. 63: *Facit hoc asper nummus et auri sacra fames.*

III, 91. *Tertia nox vacuas vidit concurrere venas α 7.*

III, 100. Cf. Liutpr. antap. II, 26: *Et calidos numerent Igne trientes.*

III, 115 *alget* Mp.

III, 118. Cf. Liutpr. antap. II, 13: *Insanos capite non sanus iuret Orestes.*

IV, 1 leg. *Br. 2. 4. 5. 6.*

IV, 20 l. Schol. ined. ad Cic. de inv. apud Suringar. hist. crit. schol. Lat. I p. 216, ubi *dum nec.*

IV, 25 l. 4 leg. *vectidii.* — l. 9 leg. *et* pro *tt.*

IV, 27. Secundum *hunc* praeeunte schol. Marcil. aliique Persio tribuunt: „*Hunc ais?*“ *Hunc.* „*Dis ir.* cett.

IV, 43. *Vivitur hoc pacto?* dist. Marcil.

IV, 48 leg. *amurum* B 1. *amarum* cett. codd. *amorum* Io. Sar.

V, 5 leg. *ostas* B 5.

Sat. V, 6 *egéris* coni. Diderot apud Lemair.
V, 9 *Cycloni* π.
V, 26 *fauces* π.
V, 29 *quo* π.
V, 43 leg. 42.
V, 43 *una opus* coni. Casaub.
V, 64 l. 2 l. *puerique sen.*
V, 69 leg. *Tornorupaeus.*
V, 83 *pillea donat* π.
V, 90. De *Masurii* nomine cf. Reines. synt. inscrr. p. 259.
V, 93 *tenua* π.
V, 97 et 98 spurios censet König.
V, 109 *pressus* Casaub. in comm. lemmate, *presso* in textu.
V, 138 n. l. 23 leg. *servavi.* Ceterum conferendae gloss. H. Steph. p. 307: *Barosus, βάχηλος. Barosus, σοβαρός.* Et de voc. *βάχηλος* cf. Meinek. Menandr. p. 164. Commemorandus etiam *Baro scurra* apud Senec. contr. I, 7 p. 124 Bip.
V, 150 *suadere* π.
V, 177 *cretata ambitio et vigilans? Cicer* cett. emend. König.
V, 186. *Hinc grandes* Reiz.
V, 189 *gestaveris* suprascr. in B l.
VI, 4. Apud Charis. I p. 53 cod. legit: *fidis se intendisse Latinae.*
VI, 5 *moæ — iocos* l. Pompei. comm. p. 151.
VI, 10. Poteram supersedere hac disquisitione, si Lindemanni editione tum uti licuisset, nam apud Charis. I p. 75 ita habet cod.: *Ut Persius ait: me postquam destertuit esse Maeonides Quinto pavone eæ Pythagoreo.*
VI, 12. *Hic ago* Lemaire.
VI, 14 in textu dele comma post *vicini.*
VI, 23 *lautis* leg. Marcil.
VI, 24. Servii locus hic est (ars gr. p. 493 sq. Lind.): *Turdus cum apud alios genere masculino sit, Persius turdarum dicit, ne putemus, genus esse commune, sed illi aliud placuit, huic aliud. Nam neque in Persio invenis masculinum turdus, neque in aliis femininum.* Cf. Pompei. comm. p. 148: *Nam turdus est a masculino. Persius commune fecit hic et haec turdus, ut est: Et tenues turdorum nosse salivas. — salivas* π.
VI, 37. Sinner. haec vv. *Tune bona incolumis minuas* et quae leguntur vs. 41: *Haec cinere ulterior metuas* sedem mutare vult.
VI, 38 sqq. Amicus quidam Plumii ita distinguit: *Ita fit, postquam sapere urbi Cum pipere et palmis venit; nostrum hoc, maris exper, Foenisecae — pultes.*
Sat. VI, 51 *non ausim* coni. Brittanicus.
VI, 60 *exstat* π.
VI, 68 *aliud cras* l. Pompei. comm. p. 87.
VI, 70 *spumosum* Pithoeus.
VI, 72 *morbosa* α 5.
VI, 79 *rugas* α.

II. Commentar.

p. 75 l. 11. De poeticis fontibus uberrime disputat Hertzberg. obss. in aliquot Propertii locos (Halberst. 1838) p. 6 sq.
p. 76 v. 6 *sequaces.* Cf. Plin. XIV, 1, 3 de vitibus: „Villas et

domus ambiri singularum palmitibus ac *sequacibus loris*.“ — v. 7 De sacris poetarum egit idem Hertzberg. l. l. p. 4 sq.

p. 78 l. 20 dele comma post *mulsa*.

p. 80 l. 26 l. V, 53 pro III, 53.

p. 81 l. 23 l. *ora*.

p. 82 l. 23 cf. Mart. I, 55, 14: Vivat et urbanis *albus* in officiis. — l. 40. De voc. *plasmate* cf. Prob. ad Virg. Ecl. p. 349 ed. Lion.: „Qua pronuntiatione quaeque ecloga legi debeat, sic ordinabitur, quoniam in ipsis, si quae cantanda putat, carminis facit mentionem. — Item Aeneida, quoniam *plasmate* legi volebat, ait: *Arma virumque cano*.“

p. 84 l. 40. Add. Mart. VI, 2, 6.

p. 86 l. 9. De hisce purpurae generibus cf. disputationem W. A. Schmidtii, Griech. Papyr. p. 124 sqq.

p. 87 l. 39 cf. Dorvill. ad Chariton. p. 351.

p. 93 l. 30. Gloss. H. Steph. p. 191: *Sannator*, *μυκτηριστής*. *Sanna*, *subsannator*, *μῶκος*.

p. 96 l. 18 l. *maribus*; l. 19 l. *adeunda*.

p. 97 l. 20. De v. *modo* c. praes. cf. Madvig. de Ascon. p. 136 sq. de locis quibusd. gr. Lat. admon. p. 16.

p. 97 l. 22 Propertii locus nihil probat.

p. 99 l. 30. Conferri potest similiter dictum Manilii (V, 452): *Pascentur curis*.

p. 99 l. 33. *Lippus*, ubi ad mentis vitium refertur, hoc ita fit, ut eum significet, qui non clare videt, non bene distinguit, ut nostrum *kurzsichtig*. Ita h. l. est, cf. Iacobs, verm. Schrr. V p. 304. Idem recte negavit (l. l. p. 315 sq.), lippum pro improbo poni. Nam qui ad hoc probandum afferri solent Persii loci, eorum alter (II, 72) quomodo intelligendus sit, scholia docent, alter (V, 77) mutata e codd. lectione iam aliter explicandus est.

p. 100 l. 7. De *trossulis* cf. Marquardt, hist. equitt. Rom. p. 62, et quos praeterea laudat Hertz. de Cinciis p. 104. E re autem erat, annotare, non sine causa Persium equites hic potissimum nominasse, quippe qui in litteris et artibus intelligentiae et iudicii fama gaudebant. V. Hor. sat. I, 10, 76. epp. II, 1, 182. A. P. 248 sqq. Paldamus, Röm. Erot. p. 44.

p. 101 l. 10 l. XI, 1, 49 sq. — l. 16 l. *Blaesus*. — l. 21 l. *constat*.

p. 102 l. 29 l. III, 21; 59.

p. 105 l. 18 l. *Virg. Aen. VII*, 399.

p. 106 l. 10 l. *divulso*. — l. 25. *Euion ingeminat* cf. Nonn. XV, 131: *Εὔιον ἀείσεις κορυμβοφόρῳ Διονύσῳ*. XX, 249: *Εὔιον ἀείσωσι*, et quae attulit Unger, Ztschr. f. Alterthswiss. a. 1842 p. 1160. — l. 39. De inscriptione VIRIBVS v. Visconti opp. var. I p. 75, et, qui aliter explicat, Uhdenium (Abh. d. Berl. Akad. a. 1818—19 p. 196).

p. 108 l. 21 et l. 38 l. *Attis*.

p. 109 l. 38 l. *opimum*.

p. 110 l. 1 l. *metuo*. — l. 2. *Frigescere* cf. Rutgers. lectt. Venus. c. 21 p. 363 sqq. — *Limina* cf. Tac. Ann. XIII, 19: Statim relictum Agrippinae limen. — l. 5 l. *quae*. — l. 31 l. *κρήνας*.

p. 111 l. 39. *Sacer est locus* cf. Calpurn. II, 55: „Ite procul, sacer est locus, ite profani.“

p. 112 l. 19 l. *σωφρονιστήρ*.

p. 113 l. 5. In voc. *auriculas* nimium quaesivi, nam solet Persius hoc vocabulo uti. Rectius annotassem, diminutivum videri in ore populi magis versatum fuisse, unde in Gallorum lingua *oreille*, in Italorum *orecchio* invenimus, ut recte monuit Teipelius (Zeitschr. f. A. W. a. 1842 p. 63). Cf. Isidor. orig. XI, 1: *Toles* gallica lingua dicuntur, quas vulgo per diminutionem *tusillas* vocant. Cf. apud Persium *cuticula* IV, 18. *pellicula* V, 116. *plebecula* IV, 6. *seriola* IV, 29. *horridulus* I, 54. *beatulus* III, 163.

p. 114 l. 24. Quamquam non puto, posse h. l. de alio atque Aristophane cogitari, vellem tamen cautius de voc. *senex* disputassem. Nam re accuratius considerata, dubito num senex honorifice dici possit, nisi de eo, qui aetate provectior sit. Statii locum omnino non debui afferre propterea, quod nihil de aetate, quam assecutus sit Callimachus, constat; Horatii autem de Lucilio locus etiam post Vargesii disputationem gravissimis dubiis obnoxius est. Verum haec latius persequi, non est huius loci.

p. 116 l. 8 l. *vacuis*. — De voc. *iniquus* cf. inscriptionem apud Donium cl. V, 26: CN. CANINIVS. AMIRO | ET. P. AELIVS. FELIX | AEDILES | MENSVRA*s*. ET. PON | DERA. INIQ*ua frangi* | IVSSERVNT; alteramque mutilatam apud eundem Donium cl. II, 54 et Romanellium, Scoverte Frentane II p. 202: . . . . CERIALIS PAHIVS CANDIDVS AED | . . . TE MACELLVM TESSELLA STRVENDAM | . . . . PANARIOS FABRICANDOS EX METR | . . . VS INIQVIS SVPPLENTIBVS AD EA | . . . ATORIBVS CVRAVERVNT.

p. 119 l. 7. Video ab Hessio (ad Tac. dial. p. 61) laudari dissertationem F. G. Schönii de vett. solennibus natalibus. Halberst. 1832. 4.

p. 120 l. 18 l. *Sat. I*, 1, 61. — l. 27 l. *dixit aperto ostio vivere, hoc Persius expressit aperto* cett.

p. 127 l. 9. Quod in dubium vocavi *amputare fascinum*, poterit defendi locutione *fraudes amputare* (Grut. 1114, 6. Fabr. p. 529, 382. Osann, syll. p. 508), similibusque, v. Gothofr. gloss. nom. Cod. Theod. s. v. *amputare*.

p. 128 l. 7 l. *ambitioni*. Ceterum similiter de liberis dixit Statius (Silv. V, 3, 146): „Hinc tibi vota patrum credi."

p. 130 l. 22 *fibra*. Cf. Stat. Silv. IV, 8, 2: „Templa pecudum fibris spirantibus imple." — l. 25. De *Mercurio κερδώῳ* et *νομίῳ* v. Creuzer. Melett. I p. 34.

p. 131 l. 21 *extis* cf. Marin. frat. Arv. p. 583 sq.

p. 132 l. 4. *Pingui auro* comparari potest, quod legitur apud Petron. (33) *ova ex farina pingui figurata;* nam ibi quoque *pinguis* idem fere valet ac *crassus*. — l. 22 extr. pone colon.

p. 133 l. 5. De hisce statuis dixi explicatius Zeitschr. f. Alterthswiss. a. 1842 p. 886 sqq.

p. 134 l. 15. Hanc statuam edidit Clarac Mus. de sculpt. t. 549, 1157. — l. 21 l. *redin-*.

p. 138 l. 25 l. *e magno*.

p. 139 l. 33 l. *pupas*. Permiram de iis coniecturam protulit Engel, Kypr. II p. 331, esse fortasse phallos quosdam.

p. 140 l. 10 l. *Hor.* — l. 32 l. *Lact.* — l. 41 *litabo* cf. Marin. frat. Arv. p. 587 sq.

p. 142 prave signata est 114.

p. 144 l. 6 cf. Suet. gramm. 10. 15. — l. 22 l. *opp.*
p. 145 l. 34 leg. *antap. I*, 41.
p. 147 l. 26 *Tibi luditur.* Conferri meretur proverbialis locutio *ludere de suo, de alieno corio.* Martial. III, 16, 4: „Ut velles corio ludere, cerdo, tuo," ubi de sutore sermo est. Apul. met. VII p. 193: „Revera ludis de alieno corio." Tertull. de pall. 3: „Hoc soli chamaeleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere."
p. 151 l. 42 cf. Stat. Silv. IV, 1, 26: *Purpureique patres.*
p. 153 l. 19. De *τρόπα* cf. Meinek. frr. com. gr. I p. 113. 137 sq.
p. 154 l. 10. Insigne Amoris trochum tenentis exemplum v. apud Gerhard. Auserl. Vasenb. I t. 65.
p. 157 l. 30 l. *Cic.*
p. 158 l. 17 add. Epict. ench. 22.
p. 165 l. 15 l. *cribro decussa*, *panis* cett.
p. 168 l. 38 dele punctum.
p. 170 l. 6 l. *blanditur.* — l. 12 l. *cum.* — l. 15. De *Anticyra* pro helleboro posita v. Diphil. ap. Clem. Al. Str. VII p. 303: *διὰ τῶν νεφέων διάπεμψον Ἀντικύραν, ἵνα τόνδε κόριν κηφῆνα ποιήσω*, ubi Meinek. (frgmm. com. gr. IV p. 417) laudavit Plut. de ira p. 462 B.: *τὴν μανίαν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ Ἀντικύρα θεραπεύει, μιχθεῖσα δὲ ὀργῇ τραγῳδίας ποιεῖ καὶ μύθους.*
p. 171 l. 1. *I nunc*, eodem sensu *Eat nunc*, Suet. Ner. 35. — l. 13 post v. *pendet* pone colon.
p. 172 l. 28. Add. Galen. de an. morb. cur. 2 p. 520 sq. Ch.
p. 174 l. 22 l. *servatae.*
p. 175 l. 7. Cf. Coel. Aurelian. acut. I, 11: „Corporum defluxionem et cutis veluti ruginosam vel sulcatam pannositatem," cl. Reines. epp. ad Daum. p. 34 sq. — l. 30. *Cubito tangere*, similiter *cubito pellere* Tertull. de anima 55.
p. 179 l. 2. *Cerdo* mercatoris nomen est apud Apul. Met. II p. 120 ubi v. intpp. Inscriptionem, in qua est CERDO FABER praeter Sponium edidit e cod. Vatic. Donius (cl. VII, 92), apud eundem (cl. VII, 43) ex eodem cod. haec edita est C. CESTIVS. C. L. EROS | AVG. MINISTER. CERD | ON. FABR. A. TABVLIS. Nomen *Cerdonis* est etiam in titulo apud Osann. syll. p. 530, 2. — l. 5 l. *Grut.* 8, 5. — l. 15 *curta* cf. Markld. ad Stat. Silv. IV, 6, 45.
p. 181 l. 17 l. prolegg. p. VIII sqq.
p. 184 l. 17. Ne quid omittam, quod ad h. l. explicationem facere possit, moneo parasitum pulla veste indutum in scenam prodiisse, teste Poll. IV, 119.
p. 186 l. 5. Adde Lobeck. Aglaoph. p. 170. — l. 31. Adde Gerhard. prodr. p. 40 sq.
p. 188 l. 18 *artificem* cf. Cic. Brut. 25, 96 ib. Bernhard. — l. 35 l. *ann.*
p. 192 l. 5 l. *Hanc.*
p. 193 l. 15 dele prius semicolon.
p. 196 l. 22 l. *Ratione.* — l. 40 l. *perone indutus*, *quod* cett.
p. 197 l. 35. Cf. Stat. Silv. IV, 8, 40: *Et creta signare diem.*
p. 198 l. 24. Cf. Creuzer. melett. I p. 20.
p. 201 l. 22 sq. Galeni locus est de usu part. III p. 369 Ch. — l. 42 add. Simpl. ad Epict. I, 1 p. 9. H.

p. 204 l. 6 l. *Stat. Theb. V*, 3. — l. 24 l. *gloss. H. Steph. p.* 174.
p. 205 l. 24. Add. Marin. frat. Arv. p. 559. — l. 26. Adde Lucan. VII, 391 sq.: „Tunc omne Latinum Fabula nomen erit."
p. 207 l. 14 *obiurg.* cf. Petron. 34 ib. intpp. — l. 27 l. *exstare.*
p. 214 l. 1. De Gaviis egit Cardinali diplomi imp. p. 235 sq.
p. 215 l. 32. Add. Ovid. Trist. II, 377. Stat. Silv. V, 3, 130; 150.
p. 216 l. 8. Non memor fui loci I, 34 ubi part. *et* transposita est.
p. 218 l. 31. Adde Tac. dial. 9. Hist. V, 7.
p. 224 l. 19 l. *creos graece caro.* — l. 36. De *Bovillis* add. Atti dell' acad. Rom. di arch. III p. 121 sqq. *Clivum Aricinum* in bulla Sergii II aut III apud Marinium (papiri p. 216) memorari adhuc, notavit Uhdenius l. mox l. p. 192.
p. 225 l. 10. *Manios* pro vilibus et abiectis, qui se gladiatorio certamini vendiderunt, ponit etiam Petron. 45 ex fide cod. — l. 24 l. *avi.*
p. 227 l. 38 l. *exime.*
p. 228 l. 41 l. *exercuisse.*
p. 229 l. 31 sqq. Galeni locus est de cur. morb. an. 9 p. 534 Ch. Simplicii ad Epict. ench. 39 p. 298 H.
p. 235 n. 6. Passovius p. 83 leg.: *recitante, quin illa vera poemata esse diceret,* om. vv. *a clamore.*
p. 240 n. * l. 1 leg. *cod. Trev.*

III. Scholl.

I, 2 p. 248 l. 5. Ernstius varr. obss. I, 8 leg. *de re manifesta.*
I, 15 p. 251 l. 14. Ernst. l. l. leg. *nova, valde abusive pro nitida.*
I, 18 p. 252. Hoc schol. aliter disposuit Ernst. l. l.: *Patranti — procreant, Fractus — effeminatus. Et est hyp. — genu. Item ocello — trementes.*
p. 253 n. 1 leg. *titos.*
p. 255 l. 16 leg. *nescis.*
I, 51 p. 260 l. 9. Ernst. l. l. leg. *κακοστόμαχοι.*
I, 61 p. 262 l. 21. Ernst. l. l. leg. *exemplo.*
p. 264 l. 3 l. *lucum.* — l. 18 vv. *accenso foeno* uncis includenda sunt.
p. 265 l. 11 l. *quem.* — l. 22 l. 5.
I, 77 p. 266 l. 29. Ernst. l. l. leg. *papillae* pro eo quod tacite correxi *populae.*
p. 267 l. 21 l. *ephebus.*
p. 268 l. 28 l. *is.*
p. 271 l. 21 l. *sacrilego.*
p. 272 l. 22 l. 4.
I, 115 p. 274 l. 35. Ernst. l. l. leg. *dens* pro eo, quod tacite correxi *deus.*
p. 275 l. 18 l. *libere.*
p. 278 l. 18 l. *laetis.*
p. 281 l. 25 l. *nobilitatur.*
p. 282 l. 15 l. 2.
II, 26 p. 283 l. 14. Ernst. l. l. c. 9 leg. *sepelivit* pro eo quod tacite correxi *sepeliunt.* Verum desinam afferre, quae ille eodem modo restituit, ut a me factum est. Cod. Ambros., quem hic illic affert, similis videtur ed. pr.
p. 286 n. 6 l. *Tucca καταχ.*
II, 50 p. 288 l. 12. Ernst. l. l. ita restituit ope cod. Ambros.:

Donec — accessionis, quae erat dum pecunia usque ad imum consumta, nummus in ea deficiat. Post pro *exspectationem par.* coni. *absentiam par.*, et pro *non minus* emend. *nummus.*

II, 59 p. 290 l. 2. Ernst. l. l. leg. *quod aes postea dictum est, aes enim in aede* cett. — n. 1. Cf. glossa a Dübnero edita (Rhein. Mus. II p. 601): *Λαπανήτης, prorogator.*

p. 293 l. 17 l. *queritur.*

p. 294 l. 6 l. 3.

p. 295 l. 36 l. *querendo.*

p. 296 l. 21 leg. 20.

p. 297 l. 32 leg. *impetrabilibus.* — n. 2. De *dapibus delibatis* cf. Marin. frat. Arv. p. 289.

p. 303 l. 11 leg. 2.

p. 306 l. 8 l. *Diva — tenebat.*

p. 309 l. 3. Rutgers. lectt. Venus. p. 422 em. *caeteroquin.* — l. 17 l. *quotiens.*

IV, 18 p. 313 l. 17 *colorarii* cf. gloss. H. Steph. p. 310 *colorarius, εὔχρωμος.*

p. 315 l. 34 l. *nec.*

V, 9 p. 320 l. 13. Ernst. l. l. c. 11 leg. *significari putant.*

p. 331 l. 17 l. *sambucam.*

p. 334 l. 23 l. *quicquam.* — l. 39 sq. leg. *vox est excitantis.*

V, 135 add. Gl. cod. Bern. „*Castoreum*, bibirche.“

p. 336 l. 15 l. *pecunia.*

p. 338 l. 16 l. *animus.*

p. 343 l. 12 l. *modicum.*

p. 345 l. 8 l. *Bestius.*

p. 348 l. 32 l. *cum.* — l. 41 l. *quia.*

p. 394. Asteriscus post v. *cevere* delendus et v. *cerdo* addendus est.

IV. Prolegg.

p. IV l. 33 l. *Etruscis.*

p. VI n. 1 l. 4 l. *formas.*

p. XII n. 2 l. 3 l. *exstare.* — l. 4 l. *revera.*

p. XIII l. 26 l. *Martinius.*

p. XIV l. 8. Non omitti debuit Suidae locus s. v. *Λαχάρης· ἔγραψε περὶ κώλου καὶ κόμματος καὶ περιόδου, Διαλέξεις, Ἱστορίαν τὴν κατὰ Κορνοῦτον, Ἐκλογὰς ῥητορικὰς κατὰ στοιχεῖον*, ubi recte monuit Bernhardy, Cornuti mentionem referendam esse non ad historicum opus, sed rhetoricum. Huius titulus latere mihi videtur in vv. *ἱστορίαν τήν.*

p. XXI n. 1 l. 19 l. *der.*

p. XXII l. 13. De hoc Lucio, poeta grammatico, nihil erat quod quaererem, nam Lucilium esse docet Isidor. orig. I, 32: *Nam Lucilius centum genera soloecismorum dixit.* Iam vix dubito, quin apud Cornutum quoque (p. 2283) scribendum sit cum Heusdio (in Lucil. stud. p. 320) *Lucilio*, cuius in libro nono aptissimum locum habet quaestio, quando Q aut C littera ponenda sit. — l. 14 lege *de enuntiatione integrum opus.* — Cur Niebuhrius (ad Cic. orr. p. 55) *M. Annaeum Cornutum* laudet nescio, ego M. praenomen non invenio apud Putschium.

p. XXIV n. 1 l. 6. Inter eos, qui Fulgentium suspectum habuerunt, nominandus fuit etiam Bentleius (opp. p. 512).

p. XXVI n. 1 l. 2 l. *sed significare.*
p. XL n. 1 l. 5 leg. *cetastis.*
p. LVI l. 6 l. *tinctus.*
p. LIX l. 13 l. *adhibenda sit.*
p. LXI l. 24 l. *vero.* — l. 30 l. *prorsus abstin.*
p. LXV l. 8 l. *fecta.*
p. LXVI l. 10 del. *ea.*
p. LXX n. 1 l. 7 l. *tegitur.*
p. LXXII l. 19 l. *v.* 123.
p. LXXVI l. 9 l. *diversi.*
p. LXXXIV n. 1 l. 1 dele semicolon.
p. LXXXV l. 4 l. *a Caes.*
p. XC l. 1 l. *quam.* — l. 13. Cum de vv. *ἠθολόγος, ἠθολογεῖν* dicerem, non praetereundum erat v. *ἠθολογία.* Ita vocabant grammatici exercitationis genus, quo discipuli ad eloquentiam praeparabantur (Suet. gr. 4. Quint. I, 9, 3). Eam a sententia ita discernit Quintilianus, ut dicat: *Sententia universalis est vox, ethologia personis continetur*, quod recte explicat Bonnellius (de mut. sub primis Caess. eloquentiae Rom. cond. p. 15). Nam cum *sententia* sit e. g. „Amicus certus in re incerta cernitur," *ethologia* talem amicum describit, certis igitur personis utitur, easque ad verum delineat. Ita philosophi vocarunt *ethologias* virtutum et vitiorum descriptiones, quales in hominibus apparent, quorum imagines depinguntur, ut in Theophrasti libello conspici potest, cf. Senecc. epp. XCV, 66. Igitur hic quoque morum imitandorum artificium habemus. — n. 1 l. 22 l. *Amm. Marc.*
p. XCI n. 2 l. 2 l. *ad Phr.*
p. XCII n. 1 l. 8 l. *ἀκούοντας.*
p. XCIII n. 1 l. 3 l. *a Blomf.*
p. XCV l. 2 l. *e myth.* — l. 11 l. *Salmasio.*
p. XCVI n. 1 l. 4 l. *qui tradit.*
p. CXII l. 16 l. *masculum et br.*
p. CXVII l. 19 l. *pisenni.* — l. 24 l. *pisennos.*
p. CXVIII l. 1 l. *Romani.*
p. CXXI l. 30 l. *ultimum.*
p. CXXVIII l. 2 sq. l. *celeberrimum.*
p. CXXX l. 28 l. *hippocoercium.*
p. CXXXI l. 1 l. *mstam.*
p. CXXXVI l. 24 del. punctum post v. *Probus.*
p. CXXXIX l. 10 extr. add. (XVII, 9, 5).
p. CXL l. 13 l. *verborum explicationem.*
p. CXLII n. 1 l. 14 l. *verno.*
p. CXLIII n. 2 l. 18 l. *Suetonio.*
p. CXLVI l. 26 l. *facili.*
p. CLII n. 1 l. 21 l. *inde script.* — l. 27 l. *Emilius.*
p. CLXI l. 13 l. *Erl. legitur comm.*
p. CLXIII n. 1 l. 3 l. *p.* 1001.
p. CLXV l. 23 l. *parmis.*
p. CLXXI l. 13 l. 2.
p. CXCV l. 15 l. *est.*
p. CCIX l. 4 l. *Parisiis.*
p. CCX l. 16 l. *non sane.*

AULI PERSII FLACCI

SATIRARUM

LIBER.

CUM SCHOLIIS ANTIQUIS

EDIDIT

OTTO IAHN.

LIPSIAE,

TYPIS ET IMPENSIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

1843.

BINDING SECT. JAN 21 1971

PA
6555
A2
1843
cop.3

Persius Flaccus, Aulus
Satirarum liber

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY